



JOHANNIS STRAUCHII JCti Salani
DISSERTATIONES ACADEMICÆ

Quinque

DE IMPERIO MARIS.
DE CENTUM LAPIDIBUS URBICARIIS.
DE STATUTIS à SUMMO PRINCIPE.
IRNERIUS NON-ERRANS,
seu, ad Auth. quas actiones, C. de SS. Eccles.
DE INDUCIIS BELLICIS.

Tertium recognitæ & emendatæ.

Quibus accesserunt adhuc duo alia, nempè,

BERYTUS; seu ad tit. Cod. de Metropoli Beryto,

&

KALENDÆ JANUARIÆ,
vel ad Tit. de Votorum oblatione,
Codice utroque.

JENÆ,
Sumtibus ac Typis JOHANNIS WERTHERI,
Typographi Ducalis.

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

DN.

BERNHARDO

Duci Saxoniæ, Juliaci, Cliviæ ac Bergæ, Landgravio Thuringiæ, Marggravio Misniæ, Comiti Palatino Saxoniæ, Principi Comitatus Hennebergici, Comiti de Marcâ & Ravensburgo, Dynastæ in Ravenstein,

Domino Clementissimo,

JOHANNES STRAUCHIUS,

JCtus Serenitatis suæ Consiliarius Aulicus, Vice-Cancellarius & in Academiâ Salanâ Antecessor,

devotissima
offert
Obsequia.



JCti Romani, Domine, de Rerum dominio agentes, quasdam earum ita comparatas docent, ut in patrimonio singulorum omninò esse nequeant: Quo censu habent, quas naturali jure communes esse omnium perhibent, nempe aerem, mare, aquam profluentem: Communio autem ita ferè est accepta, ut ejusmodi quidem res ad usum omnibus prostent, proprietate verò singulorum esse nequeant. Sed quâ ratione factum, ut hæ solæ res communione fungantur, cæteris in proprietatem abeuntibus, de eo non memini aliquem superiorum temporum interpretem paulò curiosius fuisse sollicitum. A quo verò India à Lusitanis navigando fuit aperta, controverti cœpit, an his solis ad Indos proprietatis velut jure patere debeat navigatio, ut tanquam territorio suo alios prohibere possint. Exstitêre hac de re diversæ inter partes, quarum interesse credebatur, sententiæ: Sed annis abhinc quasi triginta vir inexhaustæ eruditionis & ferè divinus, Hugo Grotius, ut Batavis assereret navigandi ad Indos libertatem, inter argumenta alia & hanc maris communionem urgebat, ac si proprietatis suâ naturâ esset incapax, quâ ratione etiam factum fuisse censebat, ut postquam gentes humanæ à primævâ rerum aliarum communione, consensu quodam, per divisionem recesserint, mare in pristinâ hac communione non potuerit non permanere. Ex-

ſtat hac de re ſcriptum elegantiſſimum ejus, de mari libero, anno ſeculi hujus 33. editum. Quam ſuam ſententiam poſtea in perfectiſſimo, de jure belli & pacis, opere repetivit. Non diu pôſt ei à Johanne Seldeno Anglo oppoſitum, Maris clauſi, opus, qûo proprietas maris cum univerſi, tum Britannici ſui aſſeritur. Secutæ inde doctorum virorum crebriores de hoc argumento diſquiſitiones; Nam & Grotio ſecundas egit Joh. Iſacius Pontanus diſcuſſionum hiſtoricarum libro ſecundo, cum Theodoro Grasvvinckelio: Et Seldeno Petrus Baptiſta Burgus, pro dominio Reipub. Genuenſis in mari Liguſtico, & civis Seldeni, Johannes Welvvod: Sed & Jacobus Godofredus ad L. ἀξίωσις, de L. Rhod. de jactu, & alii, ita ut ad pulpita quoque ſcholarum Academicarum tranſiret hæc diſputatio. Hac ratione & mihi ante aliquam multos annos, cū docendi publicè causâ à Sereniſſimis Saxoniæ Principibus ex Academiâ Lipſienſi in Salanam ſuam vocarer, occaſio nata eſt, bono juventutis de materiâ hac commentandi. Degebat tum in celeberrimâ hac Salanâ ſtudiorum gratiâ, Juvenis antiquiſſimi generis juxta atque virtutis eruditionisque inſignibus nobilis, Caſpar Matthias à Bork, Eques Pomeranus, qui, & me docentem ante in Academiâ Lipſenſi ſectatus, jam recens in Salanam venienti hoc negocium honeſtâ petitione mandabat, ut de nobili hac, nec vulgatâ quæſtione ſcriberem, quod diſputando ipſe in publico tueri poſſet. Nolueram Juvenis amiciſſimi deſiderio deeſſe, præſertim cum obſecundandi neceſſitatem mihi quandam officii etiam ratio imponeret, & illuſtriſſimum, quod habiturus eſſem auditorium, calcar adderet. Patere hîc quæſo, Sereniſſime Domine, in memoriam revocari Tibi ejusce diei panegyrin, quâ precibus Nobilis Borckij, unâ cum Celſiſſimo Fratre Dn. Friderico, nunc inter cælites recepto Te in auditorium diſputantium inferebas. Enim verò videbamini vaſto non ſolùm in juris oceano, ſed & de jure oceani fluctuantibꝰ nobis, tanquam Dii ex machinâ apparere. Et, quod admodum pueri apud Principem Poëtarum legiſſe meminimus, quemadmodum Æneâ Tyrrhenum navigante, atque Æolo, invidiâ & iris Junonis, emiſſis è carcere ventis, magno murmure oceanum miſcen-

ſcente, Neptunꝰ, maris imperium obtinens, ac tantas regno ſuo turbas tempeſtatesque immiſſas ægrè ferens, caput celeriter ex alto protuliſſe, ventisq; è regni ſui finibus fugatis imperium maris aureo ſuo ſibi tridente vindicaſſe, ſerenitate illicò reducta, fertur: Ita dum noſter Borckius, velut alter quidam Æneas, non Trajano, ſed quod glorioſius, Germano ſangvine cretus è prætoriâ cathedræ non de parte aliquâ maris, ſed de imperio totius cum æqualibus, non ſine murmure, ac tempeſtate gymnaſticâ, animis ancipi pugna calidis, decidebat, Tu, Domine, imperio Academico & Rectoris perſona potite, aureo ſceptrorum tridente, cum Fratre, incedens ſerenitatem, atque ſilentium religioſum tecum inferebas. Quo quid aliud egiſſe dicam atque olim Tiberium, quem dum in ſeceſſu ſuo Rhodi ageret, gymnaſia & auditoria Profeſſorum aſſiduum obambulaſſe, Tranquillus refert, Nimirum hic Rhodus tua, Salana erat, quâ ſaltandum, ut vetus eſt verbum, duxeras. Niſi forſan digniùs & celebriùs fuerit, Rhodum Tiberii Salanam, quàm Salanam Rhodum veſtram ſalutare. Placuit tamen vel hoc nomine magis comparatio, quod in ipsâ diſputandi palæſtrâ etiam Rhodiorum eunomiam, quam præter hiſtorias & pandectæ Juſtinianæ celebrant, ſub incudem revocaremus. Quod verò ad partes & ipſe veniebas, Domine, egregium atque ſolenne fuit hoc teſtimonium, quantâ apud Te fuerimus gratiâ. Atque ſimul oſtendebas, quàm animus veſter omnium profectò artium capax, omnibus artibus major eſſet. Forſan ingenii non infimi laus erat de ripâ muniendâ, aut quadrupede pauperiem faciente, aut, (in quâ ſcilicet aulâ mirificè, at ridiculè, ſe jactat ſubbaſilicanorum hominum vulgus,) de ſex-ſeptem libellorum formulis concipiendis ſollicitum fuiſſe. At tuus TE ardor in ardua omnia ferebat, & arbitrum olim, ubi de imperiis & regnis terrâ marive diſceptabitur cum dignitate ſeſſurum portendebat. Sed magnitudinis tuæ admiratione, ceu ventis ſecundioribus nimis in altum abripi ſentio. Vela itaque vertam, & ad ſuburbicarias Italiæ me regiones, Præfecti olim urbi partes, centumq; lapidum imperium recipiam. De his verò paucis abhinc annis quanta fuerit ſtudio diverſa-

rum circa religionem partium concertatio, non Tibi, Domine, suggesto opus est. Agitata enim hæc causa publicis speciosorum ingeniorum monumentis, hinc quidem, ut prætercam antiquiores, Salmasii atque Jacobi Godofredi, inde verò Sirmondi, Aleandri, aliorum. Et illi quidem contendunt Patriarcharum diœceses ad civilium diœcesium formam & typum constitutas fuisse, atq; adeò fieri, ut quemadmodũ Præfecti Urbi diœcesis centesimo ab Urbe miliario circumscripta fuerit, ita iisdẽ spaciis & suam Episcopi Romani fuisse definitam. Cujus sententiæ Rufinum habent auctorem, qui concilii Nicæni canonem sextum ita accepit, ut Episcopi Romani diœcesin intra solas urbicarias Ecclesias constringeret. Sed Ecclesias suburbicarias ego quidem non attigi, contentus, quod magis JCti erat, de Præfecturâ Urbicâ egisse. In quâ asserendâ defendentis partes susceperat Dn. Adamus Cortrejus Hannoveranus, antequam ei facultas summos honores Doctorales capessendi ab ordine Juridico Salano decerneretur, Vir exasciatæ eruditionis, ingeniique felicissimi, jam JCtus & Doctor, Reique publicæ Halensis Syndicus, Amicus noster quem honoris causâ appello. Superioribus hisce tertia adjecta est, de statutis à summo Principe, exercitatio, cujus conscribendæ mihi auctor Generosus Juvenis Joachimus Fridericus von dem Knesebeck/ Eques Lüneburgicus, non magis Majorum suorum quàm suâ virtute omni honore dignissimus. Cujus nominis mentionem spero Tibi, Domine, non minus fore gratam, quàm gratiosus ipse ad Vos erat, tantoque sereniore fronte Te accepturum hanc disputationem, quò magis huic ejus vindici tum temporis factum volebas. De me, sanè post tantum temporis, peregrinationeque jam dudum ab eo confectâ, firmum ejus adhuc constantemque animum etiamnum experior. Quem satis mihi testabatur etiam, cum bis ad me Brunsvigæ dum hærerem, viseret, ut dubitem amiciorem olim in Academiâ eum sectatorem habuerim, an fautorem nunc habeam propensiorem. Porrò conjeci in hunc, quem Vobis offero, fasciculum, Irnerium meum non-errantem. Sic enim appellare placuit. Fuit hæc dissertatio, ut sic dicam, valedictoria, sub

abi-

abitum è Salanâ Brunſvigam habita. In quâ hoc inprimis mihi propoſueram, vindicare Avthenticam, ut appellant ſeu epitomen illam de Nov. 131. c.6. contractam, & poſt Legem XXIII. Codicis Juſtiniani, ſub titulo de SS. Eccleſiis locatam, quam hypobolimæam Interpretum recentiores, verſiculumque ejus ultimum ab Irnerii manu eſſe, criminantur. Quo ſimul & præſcriptionem centenariam Eccleſiæ Romanæ aſſerere, atque Irnerium ſemel erroris abſolvere, dum auctorem eum epitomarum iſtarum fuiſſe nego, tentavi. Quæ etſi non parum multis procul dubio παραδοξότερα videbuntur, non minùs atque illud alterum; quod verſio Novellarum vulgata Græco, quem nos habemus, textu ſit integrior, fidelior, & archetypo ſimilior; Sed & hoc, quod avthenticæ à Friderico primo, Imperatore, in vim legis confirmatæ fuerint: Etſi, inquam, præter multorum opinionem hæc aſſerentur: Spero tamen non præter rationem viris doctis aſſerta viſum iri. Cæterum & hæc ὑπερασπιστὴν invênit è præcipuâ Nobilitate Miſnicâ, cum gentis antiquitate, tum celebritate nemini ſecundum, Bernardum Pflug/ Dominum in Poſterſtein &c. Parentum, Agnatorumque ſuorum & literis partâ, & geſtarum armis rerum gloriâ non ſolùm, penè dixerim, ebrium, ſed æmulum profectò atque imitatorem ſtrenuum; Jam Sereniſſime Princeps Conſiliarium veſtrum Intimum, Mecænatem noſtrum. Tandem ſuperiorum velut agmen claudit, quam de induciis compoſui exercitatio, argumento civili, quàm juridico, potius. Hæc quidem ſecundum temporis rationem cæteris omnibus præmitti merebatur. Eam enim jam Lipſiæ anno hujus ſeculi quadrageſimo octavo examinandam, me moderante, expoſuit Dn. Andreas Brummerus Lipſienſis, poſt Juris utriusque Doctor clariſſimus, amicus olim noſter. Sed hujus ordinis, cum fraus nulla, nullum præjudicium, non ſpero me rationes cuiquam debiturum, Typographi præſertim arbitrio penitus relicti.

Quare potius nunc eſt, ut exponam, quamobrem, Sereniſſime Dux ac Domine clementiſſime, dedicatam Vobis hanc Pentadem voluerim. Quâ in re incomparabiles animi veſtro di-

dotes, & raro exemplo heroicas planè virtutes non allegabo; Commune enim hoc cuivis de Vobis argumentum eſſe poteſt; Et virtus hæc non laudem, quippe omni major; ſed admirationem atque reverentiam admittere duntaxat poteſt: Animi autem veſtri magnitudo, ingeniique ſublimitas abſtinere potiùs dedicatione aliquem, quam invitare debebat. Cauſa ergo hæc mihi unica, ſed longè maxima eſt, ut & nunc quoque in hâc ipsâ Salanâ redux denuo, publico velut monumento, ſummam illam gratiam, quâ apud Te, Domine, quamdiu Jenæ fui, florui, teſtatam facerem, ejusque memoriam ſummâ cum devotione adhuc fideliter à me coli pro eâ qua debeo fide demonſtrarem, ſimul quoque hoc nomine, quas referre nequeo, agerem gratias, atque ut, quæ manſvetudinis & clementiæ veſtræ bonitas eſt, porrò hunc animum ſervare mihi proprium dignaremini, precarer. Id quod verò, ſi neque ſatis olim meritus ſum, neque mereri poſthac potero, hoc faciam tamen, ut, publicâ hac veneratione, pietatis erga Vos teſtimonium aliquod exſtet, quo hominis obſequioſi partes vel expleſſe, vel ſi id quoque fieri nequit, bonâ fide explere voluiſſe judicer. Eſt mos iſte Magnatum, quorum animi de cœlo uti alia plurima, ita & hoc trahunt; votum, quam factum, magis reſpicere. Quorum benignitatem rependere velle, eſt & fructu ejus illos, & ſe operâ defraudare. Quare finio, Deum venerans, ut cum belli pariter, ac pacis artibus floreas, tàm pacis juſtitiæque cultui, quàm ſicubi ſalus publica hanc Tibi neceſſitatem imponet, virtuti bellicæ pàrem gloriam magisque magisque augeas, & latè per Orbem propages. Vale.

Jenæ, die XXI. Februarii, Anno cIↄ Iↄc LXXIII.

Σὺν



Σὺν Θεῷ.

DISSERTATIO PRIMA,

De

IMPERIO MARIS.

Conspectus dissertationis primæ.

Argumentum & summa dissertationis est, probare, quod maris naturæ non repugnet, proprietas, contra eos, qui hoc à primævâ rerum communione perstitisse huc usque liberum volunt. Quare & in illam pristinam communionem inquiritur capite primo.

CAPUT I.

De pristinâ rerum communione.

Th. 1. Adducuntur scriptorum testimonia, quibus communio primæva adstruitur. Ubi & de *Poetarum auctoritate apud JCtos* Romanos, in probandâ juris quæstione.

Inde, quot modis aliquid commune dicatur. *Th. 2.*

Et quâ ratione à communione ipsâ discessum fuisse volunt communionis assertores, *Th. 3.* ostenditur.

Status controversiæ formatur, nempe de duobus disputandum postulatis. An res omnes initio exclusâ omni proprietate in promiscuo usu fuerint: Et; an dominia divisione demum & occupatione originem ceperint. Quod utrumque negatur. Inde

Rationes quare communio primæva non possit statui, voce communionis in primo significatu acceptâ *Th.* 5. 6. 7. redduntur.

Deinde & communio, in altero vocis significatu reprobatur *Th.* 8. Ubi an rerum dominium toti humano generi à Creatore, datum fuerit, an Adamo soli, disquiritur, & *Th.* 9. summa disquisitionis colligitur, Adamo divinâ donatione rerum universitatem cessisse in proprietatum, exclusis etiam ejusdem liberis.

Quod *Th.* 10. demonstrat amplius, & consensu patrum quorundam Ecclesiæ probatur. Ubi de *canone Pseudo-Clementis 2. caus. 12. q. 1.* cujus auctor fuisse *Faustinianus quidam Ethnicus* probatur. *Th. 11.* traditur, unde opinio ista pervulgata, de pristina rerum communione invaluerit.

Th. 12. Proprietatem non cœpisse ab occupatione & divisione, sed à Deo datam disputatur: Sed nihilominus res quasdam mansisse vacuas possessoribus, tanquam pro derelictis habitas.

A　　　　1. Prin-

I.

Communionis primæva assertores.


Rincipio rerum communia fuisse omnia, privata nulla naturâ, scriptorum omnis generis passiva est sententia. Quam Poëtarum res judicatæ etiam confirmant. Quibus testimonium denunciare, Homero scilicet & Virgilio, JCti prisci non dubitant. Nempe ubi vel de vocis alicujus significatu agitur, ut *l. 65. §. 4. ff. de leg. 3. l. non facilè. §. 4. ff. de grad. l. venenum. ff. de V.S.* Vel ubi de formulis, & conceptis verbis res est. *l. 1. §. 1. ff. de mort. caus. don.* Vel ubi proverbialis locutio usurpatur. *l. si uxor. §. 1. ff. de adult.* Vel ubi de more aliquo veteri quæstio est. *l. 1. ff. de contr. emt. l. 9. ff. de supell. leg. l. aut facta. ff. de pæn.* Vide Scip. Gent. *πάρεργα lib. 2. c. 2. & seqq.* Jacob. Godofr. *de cenotaphio p. 10.*

Sic autem princeps eorum. *I. Georg.*

Nec signare quidem aut partiri limite campum
Fas erat, in medium quærebant.

Sequitur Naso *I. transf.*

Communemq́; prius, ceu lumina solis & auræ
Cautus humum longo signavit limite mensor.

Seneca *Octavia.*

Pervium cunctis iter
Communis usus omnium rerum fuit.

Et *Hippolyto.*

Nullus in campo sacer
Divisit agros arbiter populis lapis.

Horatius.

Propriæ telluris herum natura nec istum
Nec me, nec quenquam statuit.

Ex historicis Justinus *lib. 43. Erant Saturni ævo omnia communia, & indivisa omnibus, veluti unum cunctis patrimonium esset:*

Et Cic. *I. Offic. Privata nulla naturâ.*

Confer Macrob. *I. Satur. 8.*

II. At

Commune, quot modis dicatur.

II. At verò cum commune potissimùm dupliciter dicatur; vel ita, ut, quod proprium est pluribus pro indiviso, usum singulis communem præbeat: vel quod proprietatis omninò nescium omnium promiscuo usui prostet, communiter scriptores eò tendunt, quòd primæva communio talis fuerit, quæ proprio simpliciter opponatur; non verò tale quid, quale nunc usurpatur, quando commune dicimus illud, cujus proprietas inter plures consortio quodam, aut consensu collata sit, exclusis aliis vide Castrens. *ad l. ex hoc jure 5. ff de J. & J.* Grot. *mari. l. c. 5.*

à communione, quâ ratione discessum statuant fuisse.

III. Jam si, qvâ ratione ab hâc communione discessum fuerit, quæras, parata est responsio; jure gentium dominia distincta, agris termini positi, ædificia collocata *d. l. 5. de J. & J.* Et ne dubio superesit loco, qui præ cæteris aliquid vidisse videri possit Grot. *de J. B.* id factum fuisse tradit, vel expresśa pactione per divisionem, vel tacitâ per occupationem, atque adeò proprietatem demum conventione gentium exortam fuisse. Ex quo porrò confici putat, ut in quas res præsumta talis voluntas paciscentium non cadat, illas ad nostram ætatem communes perseverasse.

De duobus postulatis agendum.

IV. Summa ergò eorum, quæ communis de primævâ communione nos credere vult sententia, ad duo redit capita: Alterum, res omnes exclusâ penitùs proprietate patuisse promiscuo usui: Alterum, dominia divisione demum & occupatione esse exorta. A cujus utroque postulato, si discessum fecerimus, veniam nobis ab hisce Saturnaliorum assertoribus dari volumus.

Rationes, quare communio primæva rejicienda primo sensu accepta.

V. Principio, quod ad communionem, indubitatum hoc est, quale quantumque juris cunque Primus mortalium in res creatas habuit, à Creatore eum omne ita accepisse. Jam fac nudam utendi facultatem, sine proprietate, accepisse, sanè non potuit à posteritate ejus proprietas sine injustitiæ specie, & usurpatione ejus, cujus usu creator mortales interdixerat, atque adeo πλεονεξίᾳ usurpari.

VI. Deinde repugnat διαῤῥήδην divinæ traditionis formulæ ejuscemodi communio, cum primæ illius post res creatas, *Gen. 1.* tum alterius reparato post diluvium orbe. *Gen. 9. Replete terram, & subjicite eam, & dominamini universis animantibus*; *Et: omnes*

pisces maris manui vestræ traditi sunt: Terror vester & tremor sit super cuncta animalia. Quâ formulâ quin longè potentius quàm nudi usus jus, vel mera facultas re utendi significetur; vis ipsa verborum fateri cogit. Quod si verò excipiat quis, datam quidem à supremo Numine facultatem rem propriam habendi homini: sed eâ fuisse ipsum ἀδιαφορία sed & simplicitate, ut in commune maluerit colligere: Is primò videat unde assertionem, quæ in facto consistit, probare possit. Nobis post lapsum ejusmodi ingenuam liberalitatem & innocentem æqualitatem fingere, nec conditio hominum sinit, & scripturæ repugnat, quæ de extremâ hominum illius etiam ætatis iniquitate, atque etiam primorum fratrum proprietate plus satis testatur. Deindè fac ita fuisse, sequetur, non demum divisione & occupatione proprietatem natam, quod volunt isti, sed cum divinâ donatione res essent propriæ, communionem arbitrariam supervenisse, quæ tantùm abfuit, ut simpliciter proprio esset opposita, ut Grotius quidem eam describit *de mar. lib. c.5.* ut potiùs proprietas communionem, quæ facti, spontè admiserit, communionem, inquam, non justitiæ, sed liberalitatis & meræ facultatis, à quâ quovis momento pro arbitrio recedere potuerint mortales.

VII. Porrò cum res nonnullæ sint, fatente ipsomet Grotio *de mar. lib. c.5.* quarum usus per naturam suam non est nisi in abusu, isque non aliter consistat, quàm per applicationem corporalem, per quam alii omnes à facultate habendi excluduntur, adeò ut quod quisque eorum arripuisset id eripi ei sine injuriâ non potuerit, Grot. *de J.B. lib. 2. c. 2. n. 2.* videat Grotius, quomodo contradictionis sese absolvat, ἀποτόμως negando proprium, & nihilominus per applicationem corporalem proprietatem ortam, statuendo, quod facit *eodem cap. 5. mar. lib.* Illud quidem *p. 17.* hoc verò *p. 19. inf.* id quod tantò evidentius fit in rebus, quæ non nisi industriâ alicujus & arte parantur. Finge, propriâ industriâ & arte quem sibi pinxisse imaginem, aut statuam sculpsisse, propriâ industriâ gregem ovium vel gallinarum comparasse, quis negare ausit, in dominio artificis vel possessoris ita fuisse, ut non nisi per injuriam invito auferri potuerint: ut ex Moralistis agnoscit Cardinalis de Lugo. *diss. 6. sect. 1.* & ex JCtis Vaconius à Vacuna, quan-

quantum ad res mobiles *l. 2. declar. 43. n. 3.* Non itaq; communio sub orbis cunabulis obtinuit, quæ proprietatem omnimodis excluderet. Consentit Alpha nostrum Bartol. *in l. ex hoc jure. de J. & J. n. 4. per l. 1. ff. de furt.* Et Baldus, JCtus accuratissimus ac φιλοσοφώτατος *ad eandem legem n. 31. ibi: Omnia communia, id est, communicanda tempore necessitatis.* Et nonne Abeli illicò sua pecora & pascua? Kaino agri & sata sua: sed & locus Nod, ubi orbem Hanochiam sibi condidit. Haut dubiè verò & aliæ tum urbes conditæ, qualis profanis scriptoribus Joppe memoratur, Plinio, Melæ, Solino, ante diluvium condita. Et de Kaino affirmat Josephus I. ἀρχ. 3. terminos agris ipsum posuisse.

VIII. Sed fortasse communio, quam jactant scriptores, intelligenda talis, ut nunc est, nempe quâ proprietas inter plures ut universos, non ut singulos, pro indiviso consortio quodam aut consensu collata est, exclusis aliis non solùm extra societatem exsistentibus, sed & singulis de communitate, usu verò singulis intra societatem permisso? Et video hanc sententiam esse Doctorum quorundam moralium Molinæ *Tom. 1. tr. 2. dis. 20.* Joh. de Lugo *Disp. 6. sect. 1.* Michaëlis de Luna & Arellano, *tr. de domin. rat. cap. 3.* Fuisse sc. omnia communia in primis negativè, quatenus natura ipsa nulli privato alicujus rei dominium applicuit. Quatenus verò dominium eorum fuerit penes totam hominum communitatem, ita fuisse communia, ut tamen natura permitteret fieri occupantis. Sed quamnam nobis fingunt hominum communitatem, Adamo solo exsistente, familiæ suæ capite? dicat quis, donatam eam Adæ, non ut homini singulo, sed ut totam ex se nascituram posteritatem repræsentanti. Atqui nec ulla veri similitudinis ratio dari potest, cur Adæ non ut Adæ seu individuo, sed ut speciei vel humani generis ideæ, totus terrarum orbis cesserit. Ipsaque traditionis divinæ formula consignatè ad par unicum hominum restringitur. Adde *Ecclesi. c. 17.* ibi: *Dedit illi potestatem eorum, quæ sunt super terram.* Deinde repugnat id naturæ proprii, si enim penes communitatem, ut universam, dominium fuisse ponas, non potuit natura permittere, ut rei jam occupatæ pars aliqua fieret denuò privatim occupantis. Occupatio enim per naturam rei occupandæ non nisi rei vacuæ datur. Et si quod oc-

Communio in secundo significatu rejicitur.

An dominium rerum toti humano generi datum.

c ıpatum eſt, ſine injuriâ occupanti non poteſt eripi, utique nihil ex univerſitate rerum, humano generi datâ, à ſingulis potuit ſibi, privativè ad univerſitatem, applicari, cum natura rerum ita communium ſit, quod partes habeant, non pro diviſo, ſed pro indiviſo, ita ut nec atomus ſit, in quâ non ſit communio pro indiviſo. *l. 94. §. 1. de ſolut.* quæ ſi ab ſingulorum aliquo ſibi applicaretur, per injuriam communitati eriperetur. Sunt enim ſic omnium, non quaſi ſingulorum tota, ſed pro partibus indiviſis. *l. 5. ff. de ſtip. ſerv.* Quemadmodum cum Stichus & Pamphilus communi ſervo promiſſi ſunt, non alteri Stichus, alteri Pamphilus, ſolvi poteſt, ſed dimidiæ ſingulorum partes debentur. *l. 29. ff. de ſolut.* Itaque ſi communio nulla fuit, fruſtra eſt, quod quo modo diſceſſum ab eâ fuerit, docere conatur Grotius. Nempe communi conſenſu à communione diſceſſum fuiſſe, proprium ſibi quolibet ſumente, vel per diviſionem accipiente; Et v. præterea facti eſt, & nondum probata: nec præſumi poteſt talis diviſio in tantâ rerum inæqualitate, diverſiſſimarum regionum terrarum rerumque aliarum qualitate & æſtimatione, denique hominum avaritiâ, cupiditate & injuſtitiâ, ut fingere quidem liceat, contingere non potuerit. Nec ulla ratio eſt, cur aliter fuiſſe fingatur. Forſan dixeris niſi toti humano generi in perſonâ primorum hominum ceſſit terrarum orbis oportuiſſe, ut poſt mortem demum Adami liberi ejus proprietatem rerum adquiſiſſent. Id verò repugnare ſacris literis, quæ proprietatem liberis Adami vivo adhuc humani generis parente tribuant. Sed nihil obſtant hæc, quo minus, quod diximus, ſuſtineamus. Quæ enim ratio prohibere Adamum potuit, quo minus traditione, aſſignatione, ceſſione vivus ipſe ac ſuperſtes divideret cum liberis? Non obſtat *l. 1. de adq. poſſ.* ubi dominium à naturali poſſeſſione cœpiſſe dicitur. Quaſi ſequatur quod proinde poſſeſſio à dominio non potuerit cœpiſſe. Id enim de dominio actuali intelligendum eſſe non dubito. Nos verò de potentiali, quod nihil aliud fuit, quàm poteſtas occupandi & poſſidendi, atque adeo dominium in actu primo, per quod in poſſeſſionem, & à poſſeſſione in dominium, quod eſt actu ſecundo, venitur. Quem ad modum v. g. ſi quis inſtituit me hæredem, rectâ & immediatè dominium hæreditatis mihi defertur,

fertur,

fertur, sine apprehensione, statim à morte testatoris, de habitu, sive potentiâ. Simul atque accedit possessio, simul incipit dominium in actu. Itaque naturalis possessio nihil aliud significat JCto, quàm actualem possessionem, potestativæ seu habituali oppositam.

IX. Itaque communionem talem planè neutram vidisse prisca illa secula magis ex vero puto. Nam per donationem divinam statim sub orbis infantiam Adæ tota rerum universitas cessit, ita ut ipse in solidum eam haberet propriam. Quæ proprietas in eo fuit, ut non solùm à rebus à se possessis excluderet alios, sed & nemo alius, si quis fuisset, jus occupandi res nondum possessas universas & possidendi haberet; In tantum ut liberos quoque Adami planè fuisse exclusos dominio rerum illarum, quamdiu familiâ patris continerentur, nisi si quâ assignatione aliquid proprii, & ut Romano more appellem, peculia eis permisit, & demum post emancipationem mortemve ejus divisis inter se rebus fratres ei successisse doctissimo Seldeno facilè assentiar. Divinæ enim traditionis formula nemini jus dedit nisi uni hominum pari. Neque enim tum exstabant liberi Adami. Oportet igitur duorum alterum statui, aut proprietatem rerum soli Adæ ac Evæ datam, à quibus titulum possidendi acciperent ejus liberi, aut in personâ Adami universitatem rerum toti humano generi fuisse datam, quod supra rejecimus.

X. Porrò quod diximus, satis divisio orbis inter Noachidas mundo à diluvio reparato facta probat, *lib. gener. cap. 10.* Cujus Noachum ipsum autorem fuisse, eamque testamento suo firmatam, quod moribundus Semo filio exequendum mandarit Eusebius ex Epiphanio in *Anchorato & hær. 66.* locuples testis cum Cedreno est. Ut jam non dicam, dominium Adamo priscæ Ecclesiæ patres in tantum arbitrari, ut imaginem Dei quadam sui parte in eo constitisse affirment Basilius *hom. 10. in Genes.* ejusque frater Gregorius, *Orat. I. in illud: faciamus hominem. Et lib. de opif. hom. c. 4.* nec non Chrysostomus, & ex Latinis S. Ambrosius & Augustinus. Quid ergò restat, quàm albis dentibus ridere autorem *Can. 2. c. 12. q. 1.* ubi, si DIs placet Homericis, Clemens rescribit fratribus Hierosolymitanis: *Communis usus omnium, quæ sunt in*

hoc:

hoc mundo, omnibus esse hominibus debuit, sed per iniquitatem alius suum hoc esse dixit, & alius illud, & sic inter mortales divisio facta est. Deniq; Græcorum quidam sapientissimus hoc ita sciens esse, ait, communia debere esse amicorum omnia: In omnibus autem sine dubio sunt, & conjuges &c. Euge verò, mi Luci, Hoc Ithacus velit & magni mercentur Atridæ! Sed cujuslibet quàm Clementis potiùs hæc sunt. Et ne quis erret, totus hîc locus desumptus est ex lib. 10. Recogn. & sunt verba Faustiniani cujusdam Ethnici, & ab ipso ibi Clemente refelluntur, teste ipsomet Bellarmino de script. Ecclesf. Eat nunc Mercator iste Isidorus & mango sceleratus, obtrudat impura istius Ethnici verba pro Clementinis. Et omnem ludit operam Michael de Luna, qui ad sanitatem reducere conatur hanc communionem *de bom. nat. c. 8.*

unde opinio communionis pristinæ nata.

XI. Quid ergò fiet tamdiu creditæ communioni rerum? Nimirum id, quod Lactantius *de Justitiâ c. 5.* docet. *Cum Deus,* inquit, *communem omnibus terram dedisset, ut communem degerent vitam, non ut furens & rabida avaritia sibi omnia vindicaret, nec ulli deesset quod omnibus nasceretur. Quod Poëta dictum sic accipi oportet, non ut existimemus, nihil omninò tùm fuisse privati, sed more poëtico figuratum, ut intelligamus, tàm liberales fuisse homines, ut natas sibi fruges non includerent, nec solis absconditis incubarent, sed pauperes ad communionem proprij laboris admitterent. Nec mirum, cum promptuaria justorum benignè paterent omnibus, nec avaritia intercipiens beneficia divina, famam sitimq; vulgò faceret, sed omnes æqualiter abundarent, cum habentes non habentibus largè copiosèq; donarent.* Nec, meo judicio, erret, qui famam hujus communionis cum Eusebio *Præp. Ev. 12. c. 13.* ad statum hominis in Paradiso referat. Quod Ethnici erroris opinione ad tempus post lapsum transtulere & aureum sibi nescio cujus Saturni seculum commenti sunt.

proprietas non cæpit ab occupatione & divisione.

XII. Ex hisce jam apparet, proprietatem rerum à Deo homini datam, non occupatione demum ac divisione ortam esse, quasi per has dominium adepti fuerint. Verùm secuta divisionem occupatio hoc præstitit, ut jure proprietatis divinitùs adquisito possessionem mortales per illam adipiscerentur. Ita tamen, ut proprietate istâ quantumvis stante, nihilominus quædam res

pos-

possessoris vacuæ manserint, non per alterutram illarum communionum, contra quas disputatum hactenus fuit, sed respectu certi usus, & velut ex causa derelicti. Cum enim quarundam rerum natura ferat, ut sine proprietarii injuriâ, secundùm certos usus cuilibet alii inservire possint, mansêre res istius usus ratione à dominio & possessione ab initio liberæ, etsi secundum substantiam suam, aliosve, atque alios usus occupatæ fuerint, ut aqua profluens, & mare. Et tamen nihil obstat, quo minus tales res etiam respectu illius usus, quo ab initio aliquando liberæ à proprietate manserunt, postea occupari & proprietati obnoxiæ fieri potuerint. Sed maris gratiâ cum omnis futura nobis disputatio, jam porrò thesin ad hypothesin ῥητορικῶς transferamus.

CAPUT II.

Quod nec natura maris, nec ratio aliqua moralis proprietati repugnet.

Summa capitis, nec naturam maris, nec rationem moralem proprietati repugnare. Ubi quid proprietas sit, & quotuplex, corporis nempe & juris, quod utraque ejus species constituat peculiare dominium. *Th. 1.* Mare tam dominii, quam imperii ratione fieri posse proprium. *Th. 2.*

Rationes, quæ pro libertate maris à Grotio afferuntur, examinantur: *Th. 3.* Eisque respondetur. *Th. 4. & 8.* Inde

Quinam in mari termini statui figique possint, traditur. *Th. 5. 6.*

I.

ET maris ergò proprietatem statuimus? Sic sanè. Sed oportet, quid per proprium intelligamus exponi. Est autem proprietas talis rei qualitas, quâ res eodem modo, quo alicujus est, alterius esse non possit. Qvumque quid alicujus dici possit, non modò secundum substantiam seu corpus ipsum: Verùm etiam secundùm alias atque alias rationes, quibus de re disponimus, &, ut communi verbo utar, pro diverso respectu, hinc proprietas alia est corporis, alia juris in corpore. Illud constituit dominium. Est enim proprietas formalis ratio dominii. Hæc verò juris proprietas, siquidem res incorporalis, seu jus, aptum natum est in patrimonio esse, itidem dominium parit. Nihil enim aliud est dominium, quàm adfectio rei (in sua latitudine acceptæ, ut & incorporalem comprehendat) civilis, per quam

Proprietas, quid?

alia corporis, alia juris.

Utraq; dominium constituit, sed non indifferenter.

quam res patrimonialis propria est: Sin res ista incorporalis aptitudine patrimonialis non est, proprietas ejus non ad dominium quidem proficit, facit tamen ad excludendum alios ab usu ejusdem generis. Quale jus v.g. patria, dominicave potestas, tutela, imperium, jurisdictio, quæ ita unius propria, ut nemini præterea in eodem subjecto & secundùm idem competant, in patrimonio tamen non computantur. Etsi de jurisdictione & imperio secus sit moribus nostris.

Imperii & dominii differentia.

II. Utroque modo mare per naturam suam proprietatis videtur capax, nimirùm tàm imperii, quàm dominii corporalis ratione, quorum duorum discrimen, præter ea, quæ à nobis jam dicta, eleganter exprimit Seneca *7. de benef. 4. & 6.* Hotom. *illust. qq. 1.* Heig. *p. 2. q. 40.* Godofr. *in Nov. 105. c. 2. inf.* Neque enim ratio apparet, ob quam à cæteris rebus homini à Creatore mancipio datis, hoc eximi debeat vel possit. Habuit ergo primus homo ejus dominium, sive mare accipias secundum totum, sive secundum præcipuas sui partes; possessionem fortè non habuit. Et quia hîc nobis antiqua & gravis adversaria constituta, excutiemus non omnia, sed quæ magnam præ reliquis verisimilitudinis speciem præ se ferunt.

Rationes dubitandi pro libertate maris.

III. Et principio videntur eæ res, quæ occupari non possunt, aut occupatæ nunquam sunt, nullius propriæ esse posse, quia omnis proprietas ab occupatione cœpit: Tale autem quid mare, commune omnium elementum, infinitum ita, ut possideri non queat. Id quod duplici ratione communitur, alterâ physicâ, quia occupatio non procedat, nisi in re terminatâ, liquida verò per se terminari non posse; alterâ verò morali, quod tanta maris magnitudo, ut ad quemvis usum omnibus populis sufficiat.

Responsio.

IV. Verum enim verò nos isthæc de gradu nondum depellunt. Quod enim dicitur proprietas ab occupatione cœpisse, superius à nobis refutatum est, ostensumque non ab occupatione proprietatem, sed à proprietate jus occupandi manasse, sed nec magis verum, mare occupari non potuisse, quod infinitum sit. Non enim infinitum est, quod cum terra unum facit orbem, qui, quantus quantus, finitus est. Ratio autem physica rem minimè con-

conficit. Eâdem enim effecero, ne ullius liquoris, ne vini quidem aut lactis, sit proprietas, cum omnium liquidorum, & quotæcunque eorum partis eadem sit natura, ἀόριστον εἶναι οἰκείῳ ὅρῳ. Sed nec simpliciter interminabile liquidum Philosophus pronunciat, sed suo nimirum duntaxat termino; terminabile verò utique alieno. Et hoc oppidò sufficit dominio distingvendo.

V. Quod si, qui termini in mari alieni sint, à nobis quis requirat, eum Seldeno doctissimo delegare *lib. 1. mar. clauf. c. 22.* possemus: sed quia tamen ausi sunt nonnulli ejus sententiam convellere, nos quid reponi illis possit videamus. Quod ergò mare terminatum sit litoribus, præter codicis sacri auctoritatem *Jobi 38. v. 8. Prov. 8. v. 29.* consensus omnium hominum est. Quid enim est litus nisi quousque fluctus maximus à mari provenit, *l. 96. de V. S.* quatenus hibernus fluctus maximus excurrit. *§. 2. Inst. de rer. div.* Quid ergò id est, ubi maris æstus & excursus sistitur, si terminus non est? Et frustra excipit Pontanus, *disc. hist. lib. 2. c. XI.* esse litus maris non tanquam limitem, sed in respectu ad sinum aliquem certum, qui hoc vel illo nomine censeatur. Nec melius, qui nuper prodiit, Stypmannus, JCtus, *c. 4.* litora tantùm extrema maris finire. Benè sanè, quod extrema. Neque enim alium uspiam vidi, nisi extremorum terminum. Et ripæ non nisi extrema fluminis terminant, quæ tamen, quod non sint alicujus propriæ, nemo JCtis ausit negare.

Termini maris.

Litora.

VI. At quid hæc ad diffusum ac vastum illud mare oceanum? *quærit Pontanus.* Nimirum & huic termini sui, quales sunt scopuli, brevia, adversa invicem promontoria, insulæ hinc inde sparsæ, è quibus linearum rigores, versuræ, seu flexus angulorum cossæ, gammæ, ut agri mensores loqvuntur, sumi possunt. Sed & ex gradibus longitudinis & latitudinis, triangulorumque doctrinâ, præsens remedium, Selden. *d. c. 22.* Et vanus timor est, indignaque auctore suo, Grotio, *de mar. lib. p. 37.* causatio, nempe, si hoc reciperetur, ut dimensio talis ad possidendum valeret, jamdudum nobis Geometræ terram, Astronomi etiam cœlum eripuissent. Mirum autem, si eadem ratione veritus non fuit Grotius, ne sutor pedem illi suum, sarcinator etiam ventrem eripe-

B 2 pe-

peret, mensuram integumentorum pro modo corporis sumentes. Mathematicorum lineæ per se ad distingvendum regionibus, non ad possidendum pro suo orbem excogitatæ sunt. Neque unquam nuda finium descriptio sine animo possidendi & corpore occupante in possessionem ivit. Prius itaque est, ut animum possidendi habeas, inde ut occupes corpore, tum denique de terminis possessionis circumspiclendum, quos præstare etiam Mathematicorum tibi lineæ queant. Sint sanè lineæ istæ imaginariæ *καὶ λόγῳ μόνῳ θεώρητοι*. Quid tum? Neque enim de essentiâ limitis vel termini est, esse aliquid reale, vel materiatum, qualia, lapis, arbor, fossa, via, mons, arca finalis. Sufficit si certum, fixum, perpetuum & satis cognitum sit istud, vel omnibus, vel quorum interest. Et frustra est Stypmannus *d. loc. n. 49.* qui æquatorem, tropicos, & similia plus nautis servire, quàm dominis, ait. Si enim serviunt nautis, & satis certa fixaque sunt, ad dirigendum & tenendum certos cursus per tot mille vias, & infinita itinerum divergia, quò minus itidem distingvendis terminis ad causam possessionis valere queant, quid impediat, non liquet. Sed plus satis pro terminis maris, & de ratione istâ physicâ, quam Grotius urget.

An vastitas oceani repugnet proprietati?

VIII. Videamus nunc moralem alteram. Et demus quod postulat *ὁ πάνυ* Grotius, vastissimam maris magnitudinem ad quemvis usum omnibus suffecturam (quod tamen secundum omnem maris usum verum non est) quid hoc ad negandum proprietatem? Neque enim inexhausta rei sufficientia vel abundantia proprietati repugnat. Quin potius vertendum dixerim. Quia tantæ magnitudinis mare est, ut ad omnes usus sufficiens sit, potuit per partes occupari, citra cujusquam injuriam, quoniam semper supersit tantum, quantum aliorum usibus satis sit. Et hæc potius communionis retinendæ ratio est, si res divisa nulli sociorum suffectura sit. Quicquid ergo divisum nemini sociorum sufficiens futurum, illius communio demum servanda: Igitur vice versâ quod inexhaustæ & omnibus sufficientis est abundantiæ, illud proprium fieri nil impedit. Et sic ostendimus proprietatem mari, sive eam, quæ dominium; sive alteram, quæ imperium constituit, non repugnare; sed in primum hominem

fa-

facultatem utramque collatam fuisse, etsi universum, non magis atque ipsa continens, vix unquam, nedum ab uno, possessum fuit.

CAPUT III.

De Imperio, quod Romani in mari possederunt.

Agitur de imperio, quod Romani in mari habuerunt. Ubi *Th. 1.* afferuntur Juris Rom. loca, quibus communio maris adstruitur. Inde

Non eodem modo, sed ὁμωνύμως, mare, aërem, aqvam profluentem communia dici, *Th. 2.* Ubi exponitur, quid JCtis significet *jure naturali commune esse.*

Et ostenditur, quibus locis juris probari possit, mare non commune, sed publicum esse. *Th. 3. 4. 5. 6.*

Th. 6. 7. 8. 9. exponitur celeberrima *L. ἀξίωσις ff. de L. Rhod. de jact.* & de lectione ejus disquiritur.

Th. 10. quomodo ex eâ dominium & imperium in mare probari queat ostenditur.

I.

NOn satis est ostendisse, mare suâ naturâ proprietatis capax esse, nisi probemus etiam pro suo à gentibus fuisse possessum. Nam utut res aliqua proprietatis juri non sit adversa, potuit tamen à gente hac vel illa negligi, & pro derelicto haberi. Et de aliis quidem, atque priscis gentibus non agemus, quas partes exegit sedulò Seldenus: Tantum de Romanis, quorum jure hodie utimur, videbimus. Et illo sanè proprietatem mari nullam competere tot locis probari posse videtur, quotquot hoc commune esse dicitur. Quo nomine vel dupondio cuique notissimus est §. *& quidem. 1. & 5. Instit. l. 2. §. 1. ff. de rer. div. l. injuriarum. 13. §. ult. ff. de injur. l. 14. de A. R. D.* Et *in l. 13. ff. comm. præd.* mare omnibus patêre dicitur, & si qua alia sunt parallela. Sed salva res est. *Mare Romanis commune.*

II. Equidem dicuntur laudatis locis aër, aqua profluens, & mare, respectu usus, res communes, sed valde ambiguè. Rebus enim istis, quæ necessitate physicâ non magis homini, quàm aliis rebus creatis communes dicuntur, usus moraliter non rectè tribuitur, cum omnis usus hoc significatu juridico libertatem utendi complectatur, quæ in hisce nulla est, quales sunt aër, lumen so- *Res communes ambiguè dicuntur.*

 lis,

lis, aura, venti, & similia, quæ hominis à Creatore commercio non sunt subjecta. Itaque non potest his rebus facultas utendi tribui, quibus homo non potest non uti. Earumque usus non cadit sub dispositionem legis, nec ad JCtum pertinent, & extra patrimonium sunt negativè. Unde consequitur, de aëre & mari, ut & aquâ profluente non aliter dici usum, quàm æquivocè. Maris enim & aquæ profluentis usus in hominis potestate & arbitrio est. Aëris non est. Hinc communis maris usus intelligitur non per omnia. Sed ut loquuntur signatò JCti omnibus iis locis, quibus de maris communione sermo est, JURE NATURALI. Per naturale autem intelligunt jus tale, quod non humani generis proprium, sed omnium animalium commune est. §. *2. Inst. de Just. & Jur.* Quare quando dicunt, mare esse commune jure naturali, intelligunt communionem secundum usum talem, qui homini cum bestiis communis est, ut est usus lavandi, natandi, hauriendi, fortè & pisces capiendi. Et quando dicunt mare esse juris gentium, ut §. *1. in f.* & §. *6. Inst. de Rer. div.* intelligunt usum talem, qui solius humani generis est, ut est villas, monumentum, ædificia habere *&c.* §. *1.* casam ponere, retia siccare. §. *6.* Quo sensu & publicum dicitur mare, & publicum jure gentium. Quare cum mare non secundum totam sui naturam commune sit, hæc communio dominio obesse non potest. Quemadmodum enim nemo negat culmos messis meæ meos esse, adeoque & detritas de hisce spicas, itemque aquam per tubos subterraneos in labra mea collectam, meam esse; Et tamen in usus promiscuos specilegia atque racemationes, superfluum denique aquæ per tubos colliquatæ, Der Abfall/ patere, experientia docet: Ita nihil impedit alio atque alio respectu quidvis aliud, in dominio esse & non esse. Quin quod proprietas rei usum alius, quàm domini, non excludat, in privatorum rebus, vel ususfructus & usus doceat. Et uti agellus meus propterea non desinit mihi proprius inque dominio esse meo, multo minus mihi & Titio communis incipit fieri, si Titius in eo usum aut fructum habeat: Ita mari nec obstabit communis ejus, certâ quadam ratione, usus, quo minus non tantum imperio populi, de quo minus forsan dubii, sed & dominio sit. Exemplo sint flumina, quæ

Communio maris quomodo intelligitur JCtis.

quæ ut ut proprietate populi, ratione tamen partium communi usui obnoxia sunt, ad lavandum, hauriendum, aquandum & similia, nec minus portus ac ripæ. Potuit ergò mare in proprium describi, & certo tamen respectu pro derelicto haberi, puta ad usum lavandi, in prædia immittendi, molem jaciendi, navigandi fortè etiam, atque piscandi, idque tàm diu, quàm ejus, qui imperium maris possidet, lex alia contraria, aut interdictum non intercedit. Et consentientes habemus de imperio Dd. plerosque Gl. *in l. quadam. ff. de rer. div.* ait: *Litora, quæ sunt omnium communia, quantum ad usum & dominium. Sunt tamen populi Romani quoad protectionem.* Hinc Baldus *ibi* ait, *proprietatem maris esse nullius, usum quoad jurisdictionem esse Cæsaris.* Adde Heig. *quæst. ult.*

Imperium maris probatur inde, quod mare publicum dicitur.

III. Mare itaque ἐν τῇ οἰκουμένῃ in Romanorum fuisse ditione omnibus illis locis probatur, quibus publicum illud esse dicitur. Quid enim est publicum nisi proprium populi, & scilicet in Republ. Romana, Romani? *§. 15. & 16. ff. de V. S.* Hinc jus publicum, quod statum Reip. spectat. *l. 1. §. 1. de J. & J.* Quod autem non commune, sed publicum jure gentium sit, docet *§. litorum 5. Inst. de rer. div.* Nec officit quod sequitur *d. §. litorum 5. Inst. de rer. divis.* ubi litorum proprietas, ut maris nullius esse dicitur. Loquitur enim Imperator pro argumento præsenti de proprietate, quæ per occupationem & apprehensionem corporalem rem facit esse singulorum. Ideò autem signatè mare publicum jure gentium dicitur, non quidem, ac si per hunc προσδιορισμόν significetur, esse commune; sed ut distingvatur ab eo publicum, jure civili. Est enim publicum aliud jure gentium, quod populi quidem proprium, usu autem quo pro derelicto est, omnibus patet. Aliud publicum jure civili, qualia sunt civitatium bona, peculia servorum, civitatium vectigalia, quorum nulla tenus usus publicus est, sed quæ in solidum sunt in patrimonio populi. *l. 17. ff. de V. S.* Non itaque sequitur, mare proprietatis absolutè esse incapax, quia quædam, nempe dominii proprietas, cuidam, scilicet privatis civibus, secundum usum promiscuum non competit. De rebus enim & eorum jure Justinianus non aliâ ratione agit, quám quâ privati cives eorum sunt capaces. *§. 4, vers. dicendum. I. de J. & J.*

IV. Por-

2. Ratio. IV. Porrò publicum esse mare probatur *l. 13. §. si quis. 7. ff. de injur.* ubi conductori maris interdictum datur, ut conductione sua fruatur. Quis verò locator, quis conductor rei communis, eâ scilicet communione, quæ omnis proprietatis expers, intelligi possit, ego non intelligo. Deinde si per molem in mari jactam alicui noceatur, datur ei interdictum. *l. 2. ff. Ne quid in loc. publ.* Ergo mare hactenus pro publico est, *per l. 2. §. 2. & 5. ff. Ne quid in loco publ.*

3. Ratio. V. Ulterius certum est, quod litora jure maris censeantur, *arg. l. 2. §. 1. ff. de rer. div.* ibi: *& per hoc (mare) litora.* Litora verò populi Romani esse Celsus signatè tradit *l. 3. ff. Ne quid in loc. publ.* Quid restat, quàm ut concludamus, & mare ejusdem imperii esse. Et quamvis maris communem usum esse, ut aëris, ibidem affirmet, tamen id ita illicò temperat, ut verum sit, nisi quâ deterior maris vel litoris usus futurus sit. Si ergo quatenus deterius usu fieri potest, mare commune est, utique non est absolutè commune. Ex quo itaque maris usui modus statuitur,

4. Ratio. exinde apparet imperii maritimi ratio. Porrò si illud, quod mare occupat, publicum sit, *l. 10. in f. ff. de rer. div.* mare quoque

5. Ratio. publicum esse oportet. Denique si pro parte mare occupari potest hactenus, ut in eo ædificatum fiat privatum *d. l. 10. de rer. div.* & passim alibi, absurdum sit, minus juris populo in occupando toto, vel maxima parte esse, quâm privato. Id quod multò magis firmatur *per l. 14. ff. de injur.* ubi maris proprium jus ad aliquem ita pertinere dicitur, ut, uti possidetis, interdictum ei competat, si prohibeatur jus suum exercere. Denique etsi *l. 13. ff. Comm. præd.* dicitur mare omnibus patêre, tamen illud ea tenus intelligi verba statim sequentia cogunt, ne privatâ (secus ergò publica) lege servitus ei imponi possit: Minimè verò ut proprietati populi præjudicetur. Aliàs sequeretur, ut quia neque flumini publico à privato servitus imponi potest, quod & ipsum proprietate populi non sit. Vide Steph. Forcat. *Cupidine c. 9. §. 3.* Id quod magis firmat *l. insula. 9. ff. de judic. l. 6. litora. 51. ff. de contrah. emt.* Et *l. quamvis 50. ff. de A. R. D.* ubi usus maris decreto prætoris impetrandus est. Quod minimè fieret, nisi mare populi foret. Quid enim Prætori, ejusque decreto, cum re toti humano generi communi.

VI. In-

VI. Inprimis verò pro imperio maris adſtruendo facit ce- *6. Ratio, ex L.*
leberrima *l. ἀξίωσις 9. ff. de L. Rhod. de jact.* Quæ, quia celebrium *ἀξίωσις.*
virorum, Alciati, Grotii Petiti, Seldeni, Godofredorum, Pontani, Salmaſii, Cironii, Amayæ curas in ſe convertit, age, quia hîc ſumus, & noſtro Diogeni ſaltem dolium volvere liceat.

Ita autem habet lex: *L. ἀξίωσις explicatur.*

Voluſius Mæcianus ex Lege Rhodiâ:

Ἀξίωσις Εὐδαίμονος Νικομηδέως πρὸς Ἀντωνῖνον βασιλέα.

Κύριε βασιλεῦ Ἀντωνῖνε:

Ναυφράγιον ποιήσαντες ἐν τῇ Ἰταλίᾳ διηρπάγημεν ὑπὸ τῶν δημοσίων τῶν τὰς κυκλάδας οἰκούντων.

Ἀντωνῖνος εἶπεν Εὐδαίμονι:

Ἐγὼ μὲν τοῦ κόσμου κύριος, ὁ δέ νόμος τῆς θαλάσσης; τῷ νόμῳ τῶν ῥοδίων ναυτικῷ κρινέσθω, ἐν οἷς μήτις τῶν ἡμετέρων αὐτῷ νόμος ἐναντιοῦται. Τοῦτο δὲ αὐτὸ καὶ ὁ θειότατος Αὔγουστος ἔκρινεν.

Quam ſic vertendam puto:

Libellus ſupplex Eudæmonis Nicomedienſis ad Antoninum (Pium) Imperatorem: Domine Imperator Antonine: Naufragium in Italia facientes direpti ſumus à miniſtris publicis, Cyclades habitantium.

Reſpondit Antoninus Eudæmoni:

Ego quidem mundi dominus; Lex autem maris; lege Rhodiorum nauticâ judicator, in hiſce in quibus Rhodiæ nulla ex noſtris legibus adverſatur. Hoc idem Divus Auguſtus judicavit.

VII. Ubi primò non injuriâ exclamat Petitus *miſcell. 3. c. XI.* *Locus naufragii quis?*
Quid hoc monſtri eſt eos, qui in mari ad Italiam naufragium fecerunt, à Publicanis, qui in Cycladibus ſunt inſulis direptos fuiſſe? Reſcribit itaque Petitus pro ἐν τῇ Ἰταλίᾳ, ἐν τῇ Τηλίᾳ, Corruptione inde manante, quod ſcriptum olim ἐν τῆι τηλίαι. Telus una ex Cycladibus, Stephanus: Τῆλος, νῆσος τῶν Κυκλάδων? Ἐν τῇ Τηλίᾳ, ſupple, θαλάσσῃ, *in mari Telino.* Conſentit Seldenus *lib. I. c. 25. p. 185.* & ſequitur Pontanus *diſcuſſ. hiſt. lib. 2. p. 209.* ſed perperam fortaſſe: Τηλία enim θάλασσα nuſpiam memoratur antiquis. Deinde maribus nomina non ab obſcuris,

qualis Telus, cujus nec Ptolomæus meminit, sed à celeberrimis insulis indita. Salmasius ergò *de mod. usur. c. 5.* ἐν παραλίᾳ, in litore seu ad oram maritimam. Grotius, ἐν τῇ Ἰκαρίᾳ sc. θαλάσσῃ *in flor. spars.* Quod & Jacobo Godofredo placet ad hanc legem; sequitur Vinnius ad Peckium. Fuit enim Icarium mare naufragiis infame, ut liquet vel ex Aristidis oratione, de mari Ægeo, itemque Horatio *1. Od. 1.* inprimis verò Strabone *lib. 10. & 14.* Solino *1. c. 11.* Sed & mare Icarium Cycladibus proximum, teste Strabone *lib. 10.* Plin. *4. c. 2.* remotius verò Telium, quippe Rhodiaci maris pars.

δημόσιοι, qui. VIII. Sequitur in lege: ὑπὸ τῶν δημοσίων, quod reddunt, Publicanorum: At verò non δημόσιοι, sed δημοσιῶναι Publicani vocantur. Quapropter Salmasius & Grotius, τῶν δημοσιωνῶν hic substituunt, & sic reponi vult Vinnius. Rectius nihil mutatur. Sunt enim δημόσιοι, servi publici civitatum. Svidas: Δημοσίους ἔλεγον τοὺς τῆς πόλεως δούλους. Et Ulpianus *in II. Olynth.* Demosth. δούλους εἶχον δημοσίους οἱ Ἀθηναῖοι *fol. m. 31. Lit. F.* Æschynes κατὰ Τιμάρχου: Ἄνθρωπος δημόσιος οἰκέτης τῆς πόλεως. Erant itaque δημόσιοι τῶν τὰς κυκλάδας οἰκούντων, servi eorum qui Cyclades incolebant, non verò δημόσιοι οἰκοῦντες, quod Salmasius frustra replicat, adeoque servi publici, de quibus innumeri juris loci, non solum civitatum, sed & provinciarum & Insularum, per quos in Republ. pleraque gerebantur. Plin. *lib. 10. Ep. 30. 31. & Ep. 40. 41.* Godofr. *cap. 4.*

IX. Sequitur: Ἐγὼ μὲν τοῦ κόσμου κύριος, ὁ δὲ νόμος τῆς θαλάσσης; τοῦ κόσμου &c. ubi de lectione pariter, sensuque ac interpunctione Interpretum sunt dividiæ. Vulgò ita, ut repræsentamus, interpungunt, ut sensus sit: Imperator quidem continentis; maris non item dominus; retinent Salmasius, Grotius, Vinnius: Sed ne hiet oratio, cum nihil sit, de quo judicari velit Imperator, pro ναυτικῷ rescribit τὰ ναυτικὰ Salmasius & Seldenus, & hic scilicet *lib. 1. de dom. mar. p. m. 69.* Petitus emendat:

Pro, νόμος, an ἄνεμος legendum. Οὐδ' ἄνεμος τῆς &c. Quasi hoc velit Antoninus: Ego sanè mundi dominus sum, imperium vento in mari est, ut nequeam præstare, ne naufrageris. Quæ lectio mirè placet Salmasio, *de mod. usur. p. 204.* Sed sine causâ. Non enim Eudæmonis libellus nau-

fra-

fragio remedium, sed deprædationi petebat. Quis vento & Imperatori, tanquam Æolo & Jovi, divisum imperium tribuat, aut Principem dominum Orbis statuat, adeoque & maris, sine potestate tamen mari leges dandi? Ubi Princeps sine lege, lex sine Principe? *l.31. de LL. Nov. 105. c. 2. §.6. Inst. de J. N. G. C.* Si enim lex maris Domina, à Principe est: Si Princeps orbis dominus, per leges dominatur orbi. Seldenus, Rivius, Godefredi Pater & Filius continuo spiritu legunt? ὁδὲ νόμ⊙ τῆς θαλάσσης τῷ νόμῳ . . . κρινέσθω i. e. jus maris secundum legem Rhodiorum nauticam dijudicetur. Quam lectionem improbat Pontanus, Salmasius damnat, Vinnius & Stypmannus his secundas agunt, quasi balbuties & stribligo sit, dicere ὁ νόμ⊙ κρινέσθω τῷ νόμῳ. Sed forsan non magis hæc stribligo est, ac si dicam, jus Vandaliæ jure Lubecensium; aut jus oceani septentrionalis jure Svecorum nautico judicetur, id est, jus, quod fertur oceani septentrionalis, seu quod esse ibi prætenditur, id examinetur, constituatur, exigatur, κρινέσθω pro ἀνακρινέσθω, ἐξεταζέσθω. Vel, si omninò mutandum aliquid, quid prohibet, pro κρινέσθω, legi, κρίνεσθαι: Mos maris est, lege Rhodiorum nauticâ judicari: sed opus non est. Verius atque simplicius est, retinere & lectionem & interpunctionem vulgarem. Hæc itaque Antonini mens est: Ego sanè pro imperio, quod mihi in omnem orbem, leges mari quoque dare possem. Sed non opus lege latâ. Jam lex maris præsto est, lege Rhodiorum nauticâ judicetur, quâ nostris legibus illæ adversæ non sunt.

X. Itaque ut in orbitam revertamur, ex hac lege quadrifariam imperium maris probatur. 1. Quod Antoninus leges dicere vult navigantibus. 2. Inter Eudæmonem & servos publicos jubet controversiam dijudicari. 3. Profitetur se posse Eudæmoni succurrere, etiam sine lege Rhodiâ, & 4. eatenus admittit leges Rhodiorum, quâ suis non adversantur. Quin exstat in hanc rem fragmentum, quod legibus Rhodiorum nauticis præmittitur, quo leges illæ disertim à Claudio, Hadriano, Antonino, Pertinace, Septimio Severo, confirmantur, & autoritatem accipiunt. *tom. 2. Juris Græco-Rom. fol. m. 265.* Nec omittendum, quod Impp. Valentinianus & Valens classem Seleucianam ad auxilium

quomodo ex L. ἀξίωσις imperium maris probetur.

 pur-

purgandi orientis aliasque necessitates habuerunt. *l. un. C. de class.* Nec minus huc pertinet *l. un. C. de off. Com. sacr. patr.* ubi fit mentio officii Hellesponti Consularis. Et in notitiâ dignitatum Orientis sub Proconsule Asiæ memoratur Helles-pontus. Quo nomine, quò minus regionem ad Hellespontum intelligas, ut Pancirollus vult, facit, quod sigillatim pontus is post Asiam recenseatur, cujus alioquin cum pars sit regio, sub toto comprehensa, frustra denuò memoretur: sed & Helles-pontus cum Ponto Polemoniaco præfecturæ nomine jungitur *Nov. 20. in præf.* Tempore Constanti. M. irruentibus Francis & Saxonibus ad defensionem maris Adriatici & Thyrreni classis fuit comparata in Hispaniâ ac Galliis. His classibus qui præsidebant, reique maritimæ curabant, Comites ac Duces appellabantur, ut Comites Tingitanæ, Comites Hispaniarum, de quibus Notitia Imperii. Quid? quod Leo Imperator in tantum imperium maris ad se pertinere credidit, ut, si qua hactenus de maris communione opinio super erat, eam penitus aboleviffe *Nov. 56.* videri possit. Sub Karolo M. memoratur Rotlandus, mari Britannico Præfectus Eginharto *in vitâ Karoli*, Aimon. *lib. 4. c. 90.* Nec minus pro imperio maris facit constitutio Friderici II. *5. Feud. §. 9.* & authentica ejusdem *C. de furt.* Denique constitutio Karoli V. *art. 218.* apud Goldast. *tom. 3. Const. imp. fol. 559.* Et idem Karolus Regem oceani se profitetur in recessibus Imperii, quibus titulos suos præscripsit. Et Ferdinandus II. Friedlandiæ Ducem Imperatorem oceani, marisque Balthici constituit.

XI. Sic adstructis singulis imperii maritimi partibus, de toto facilè judicium fieri potest. Nihil enim aliud est maris imperium, quàm jus absolutum & independens ferendi leges, constituendi magistratus & jus reddendi, per suam cujusque ditionem maritimam, illamque tuendi. Cum enim hæ partes ponantur τῷ κυρίῳ Philosopho in genere, eædemque in mari deprehendantur, quis dubitet totum quoque potentiale inibi deprehendi?

CAPUT IV.

De modis adquirendi imperii maritimi.

Th.

Th.1. divisionem orbis à Noachidis factam. *Th.2.* Possessionem ab occupatione cœpisse.

Tertius adquirendi modus est accessio. *th.3.* Ubi, quid *Vicinum* sit *in* jure.

Quartus præscriptio. *th. 4.* ubi, quantum temporis requiratur.

I.

EST ergò mare ex eorum numero, in quibus jus populo adquiri potest. Loquimur autem hîc de acquisitione in actu, ut dicitur, secundo. Jam supra enim diximus, facultatem possidendi à divino Numine primo parenti concessam fuisse, qui etsi omnia ipso facto non occupavit, jus tamen occupandi in posteros transmisit. Hoc titulo divisio orbis à Noachidis facta est. Orbis, inquam, id est, terrarum atque marium, & omninò omnium, quæcunque cœlorum ambitu continentur. Et quidem Josippus auctor est *1. Antiq. 6.* Japeto cessisse à Tauro & Amano montibus incipientes in Asia ad amnem usque Tanaim: Inque Europâ usque Gades. De Chami filiis sic habet: *Chami filii Syriam, & regionem Amano, Libanoq; montibus hærentem obtinuerunt, quidquid ejus ad mare vergit* (mediterraneum) *occupando, & Oceanum usq; ditionis terminos proferendo.* Semi denique filii Asiam usque ad Indicum Oceanum incoluere ab Euphrate propagandæ ditionis initio facto. Adde Salian. *Ann. Eccl. ad An. M. 1788.* Et facere huc non nihil potest Gentilium historia & Theologia, quibus subinde Saturnus Noachus est, cui tres filios tribuunt, Jovem, Plutonem & Neptunum, inter quos orbis imperium divisum. Et huic posteriori maris dominium cessisse, ostendunt verba Euhemeri in sacra historia ab Ennio translata: *Jupiter imperium Neptuno dat maris ac insulis omnibus, ut quæ loca secundum mare essent, omnibus regnaret, citante Lact. 1. de fals. rel. c. XI.* Hunc autem Neptunum non alium esse quam Japetum doctissimi quique consentiunt. Hinc ipse apud Homerum:

Divisio orbis à Noachidis facta.

> Ἤτοι ἐγὼν ἔλαχον πολιὴν ἅλα ναιέμεν αἰεὶ παλλομένων i. e. Ego v. ex iis, quæ sorte tribuebantur, accepi cæruleum mare, ut in eo semper habitarem.

Sed in hisce non morabimur amplius.

occupatio. II. Possessio itaque maris cuivis Noachidarum assignati, ab occupatione cœpit. Et hoc titulo imperium maris Cretici Minoi tribuunt historici, Diodor. *biblioth. l. 4.* Strabo *Geogr. 10.* Cedrenus *pag. 11.* Sed & si quid ejus ab alio postea derelictum, ab alio sub ditionem illud venit eodem modo. Variis enim secutis gentium migrationibus, quæ frequentissimæ contigerunt, à millenario secundo, multa olim occupata, nunc inculta fuêre relicta, multa in censum populi antehac non relata, possideri cœpta. Vide de his migrationibus Senecam *1. cons. ad Helv. Liv. 5. 33.* Berneg. *quæst. in Tac. 3.* Hoc jure possident Veneti mare Adriaticum, quando ex vicinis in illa maris æstuaria & insulas adversus Attiliæ furorem sese recipientes urbem sibi condiderunt. Vide Fransc. de Ingen. *de jurisd. Venet. in mar. Adriat.* Et malè eorum proprietas maris à præscriptione aliis arcessitur. Dicitur autem id occupari, non quod primocuique sub adspectum cadit, sed quod corpore tangitur. Errat ergò Accursius *in §. item lapilli. Inst. de rer. div.* putans solum visum ad acquirendum thesaurum sufficere, quem Dd. communiter refellunt.

III. Successit occupatio bellica. Quo jure Corcyrâ sociisque sub imperium redactis, Lacedæmonii de diutinâ contentione desistentes suâ sponte Atheniensibus imperii maritimi principatum concessisse, pacemque his legibus constituisse, ut Athenienses mari duces essent, testatur Cornelius Nepos *Timotheo.* Agothocles, Siculorum Rex, Carthaginensibus prælio devictis maris imperio potitus est. Diodor. *lib. 20.* Romani Carthagine ferè in ipso mari deletâ imperium ejus occupaverunt, Flor. *2. 6.* Et hic quidem adquirendi imperii modus originarius est, quo proprietas primò adquiritur: Reliqui modò derivativi sunt, quibus adquisita proprietas alienatur & in alium transfertur.

accessio. IV. Talis & accessio est: Communiter enim huc pedibus eunt Interpp. ut dominus vicini continentis maris alluentis imperium habeat, Roderi. Svarius. *l. de usu mar. per l. insula ff. de judic.* Sed quousque porrigatur hæc vicinitas, non est expeditum satis. *Vicinitas quomodo intelligenda.* Bartolo id dicitur vicinum, unde vox clamantis exaudiri potest, *in l. si tertius. 6. pr. ff. de aq. pluv. arg. l. 1. §. 27. ff. de SCt. Syll.* Cui similis est distantia *in Nov. Leon. 71.* in quantum telum ab

ab arcu mitti potest. Sed plerisque longitudo placuit à litore ad centum milliaria. Bart. *de Insul. n. 1.* P. Castres. *in l. 9. de judic.* Cacher. *decis. 155. n. 30. apost. ad Abb. in c. expositis. n. 2. X. de arb. c. nonnulli. 28. de rescr. c. præsenti. 34. de prebend. in 6.* Dissentit Gryphiand. *de insul. c. 14. n. 25.* Etsi quandoque ad sexaginta milliaria duntaxat extensam fuisse, & ita in causa Ducis Allobrogum judicatum refert Bodin. *1. de Rep. 10. n. 170.* Nempe variat modus pro spacio maris ad possidendum vacuo. Stante jam hâc sententiâ sequitur, ut ex sola occupatione adjacentis terræ præsumtio pro occupato etiam tanto maris spacio sit, etsi actus alius nullus occupantis accedat, tamque diu quàm de contrario domini terræ continentis animo non apparet. Secus atque Grotio videtur *lib. 2. c. 3. n. 11.* confer. Cæpolla, *de serv. rust. præd. tit. de mari. n. 12. & 13.* Cacheran. *decis. 155. n. 2.* Nec dubium est de reliquis modis, quibus res in commercium deducta legitimè transferri potest, quin & his transferatur maris dominium, puta, permutatione, adjudicatione, donatione, investitura & similibus.

V. De præscriptione addendum, hanc in mari vasto & nondum occupato frustra requiri, cui sola occupatio sufficit. In partibus autem occupatis, si jurisdictio unà cum territorio præscribatur, decem vel viginti annos sufficere, sine territorio 30. v. 40. requiri Dd. plerique ajunt. Balb. *tr. de præscr. p. 2. pr. q. 1. 2. 3.* Sin agatur de libertate præscribendâ, eam communiter subditis negant, ut neque immemorialis præscriptio sufficiat. Gail. *1. obs. 21. n. 6.* Covar. *q. 4. n. 1.* Vasq. *1. illust. quæst. 2. n. 14. & 2. c. 78. n. 4.* Modest. Pist. *cons. 4. n. 24. vol. 1.* Cui rei adducunt *l. 1. C. de serv. fug.* qui libertatem nullo tempore præscribit. *item l. Barberius. 3. de off. Prat.* Wesenb. *cons. 57. n. 10.* Cravet. *cons. 6. n. 110.* Sed si fatendum, quod res est, summi imperii adquisitio regulis, quæ privatæ adquisitioni præscriptæ, & rebus in commercio existentibus positæ sunt, ineptissimè subjiciuntur. Neque uspiam gentium exauditum est, jura Regnorum ad prætorias hasce formulas & vim festucariam disceptata. Cum rempublicam liberam suoque jure utentem, legibus alterius alicujus alligari non conveniat. Quare rectius statuitur, sufficere tanti temporis

Præscriptio.

quantum

temporis requiritur. poris silentium in domino, quantum ad repetendum jus suum probabiliter satis sit alii, non negligenti, & sufficienter ad repetendum instructo. Intra quod si tacuerit, jus suum pro derelicto habuisse censebitur. Confer Grot. *de J.B. l. 2. c. 4. n. 2. & 12.* Etsi maxime detur, juris privati decempedâ mensurari imperiorum controversias posse, tamen si non aliis rationibus, quàm ejusmodi res agatur, minus nihilo proficies. Quod enim dicitur, servum fugitivum libertatem nullo tempore præscribere, id neutiquam ad subditos pertinet. Neque enim hi servi neque fugitivi sunt, neque libertatem, quam nunquam amiserunt, quærunt, neque in patrimonio, ut servi sunt. Quod itaque servus fugitivus libertatem non præscribit, id inde est, quia est res patrimonialis, quæ fugiendo, furtiva fit, ut propter furtivitatis vitium nunquam possit usucapi. Quæ omnia imperitè & insulsè ad cives, qui homines liberi sunt, applicantur. Nec juvat si ratione obsequii quis eos comparare velit. Neque enim obsequium in servo ratio est, ob quam fugiendo liber non potest fieri: sed quia fuga ejus contrectatio furtiva est. Detrectatum autem obsequium in cive non facit civem furtivum, cum non sit in bonis. Et præterea nec jure civili aliâ ratione servo tribuitur, quàm quâ aliæ, etiam inanimes, res dominio nostro subjiciuntur.

CAPUT V.

De Modis retinendi imperii maritimi: Classe: magistratibus. Ubi de *L. un. C. de class. l. 4. C. de off. mil. jud. l. 4. C. de off. Magist. off. L. 46. ad SC T. Treb.*

Qualis est *classis. th. 1.* ibi, de *classibus Romanorum.* De *Lusoriis Danubii.* Emendatur *l. 4. de off. milit. jud. & L. 4. de off. mag. off.*

Th. 3. alter modus retinendi imperii exhibetur, magistratuum creatio. Comes litoris Saxonici per Britanniam. *Admiralius.* quale officium. *th. 4.*

I. Im-

I.

IMperium iis artibus facilimè retineri, quibus initio partum est, regula est πολιτικωτάτε historicorum Taciti, *6. ann. 48. n. 3.* Quod Polybius *10. 33.* exemplo firmat Carthaginensium: *Aliter,* inquit, *censebant quari imperia debere, aliter servari: Nec imbiberunt, eos optimè retinere dominia, qui in iisdem institutis perseverant, quibus ea initio sunt adepti.* Id quod, cum commentarer publicè in Paterculum in Academiâ Lipsiensi celeberrimâ, pluribus persecutus sum *lib. 2. c. 57.* addi potest Clapmar. *arc. 3. 14.* Freinsh. *in Flor. p. 29.* Id verò non tantum de σοφίσμασι πολιτικοῖς, sed & causis & modis legitimis verum est. Itaque si per occupationem imperium obtinuisti, ita tenendum etiam est, per classem ad id comparatam. Talis enim detentio maris pro possessione est Br. *in tract. Tyber. tit. de alveo.* Cœpoll. *lib. 2. de serv. rust. 26. n. 9.* Bl. *in l. si plures in 4. col. in pr. C. de cond. ins.* Gryphian. *de Ins. c. 14. n. 61.* *Classis.*

II. Fecerunt Romani, quorum per medium imperium cum mare iret, classes perpetuas constituerunt, quibus hostes excluderent & suis transitum & transvectionem cum opus esset, statim darent. Tales erant in mari quatuor: Primæ majores duæ, prætoriæ dictæ, Misenensis & Ravennas, ab Augusto institutæ Svet. *Aug.* Tacitus *4. Annal.* Italiam utroque mari duæ classes, Misenum apud & Ravennam præsidebant. Optimè Veget. *lib. 4. Ap. Misenum & Ravennam singulæ legiones cum classibus stabant, ne longius à tutelâ urbis abscederent, & cum ratio postulasset, sine morâ, sine circuitu, ad omnes mundi partes pervenirent. Nam Misenatium classis, Galliam, Hispanias, Mauritaniam, Africam, Ægyptum, Sardiniam, atque Siciliam habebat in proximo: Classis autem Ravennatium Epirum, Macedoniam, Achaiam, Propontidem, Pontum, Orientem, Cretam, Cyprum petere directâ navigatione consveverat.* Minores autem fuêre, altera in Galliâ Narbonensi, coloniâ & portu Forojuliensi. Tac. *4. Ann.* & Strabo *lib. 5. p. 127.* Altera minor in ipso Ponto, cujus statio supra Byzantium. Vide Lips. *not. ad 3. hist. Tac.* Joseph. 2. περὶ ἁλώς *c. 16.* Pseudo-Hegesippum (quem Ambrosium Mediolanensem fuisse eruditè conjicit Clariss. Gronovius *obs. in Script. Eccl. c. 1.*) *de exid. Hier. lib. 13. c. 19.* *Classes Romanorum.*

D

c. 19. Lipſ. *de magn. Rom. lib. 1. c. 5.* Poſtea Imperator Trajanus & in mari rubro claſſem conſtituiſſe fertur Sexto Ruffo *c. 20.* Sed & claſſes in fluminibus habebantur, ut Rheno, Florus: *Bonnam & Geldubam pontibus junxit, claſſibusque firmavit.* Et Danubio: Tacitus: *in Danubio operientem perfugit, Vannius. l. 12. c. 30.* Eſt

Luſoria Danubii. & titulus Codice Theodoſ. *de luſoriis Danubii.* Quæ vox Vopiſco *in Bonoſo* reſtituenda, ubi vulgò, *luxuria*, legitur: Sed & eadem vox reſtituenda *l. 4. C. de off. milit. jud.* ubi hodie legitur, *luſtrationumque.* Et *l. 4. C. de off. mag. off.* pro eo, quod hodiè habetur, *clauſularum*, ſi Salmaſium Vopiſco ſequaris. Vide Pontan. *orig. Francic. 1. 2.* Inprimis memoranda claſſis Seleucena Orontis, qui amnis eſt Syriæ, Seleuciam affluens, cujus meminit *d. l. un. C. Theod. & Juſt. de claſſic.* Vide deſcriptionem orbis ſub Conſtantio & Conſtante *c. 17.* & *ibi* Godof.

Magiſtratuum per mare creatio. III. Alter ſuccedit retinendi imperii modus, magiſtratuum maritorum creatio. Diviſo in orientem & occidentem imperio Præfectus Prætorio Orientis imperabat X claſſibus Orientis, & claſſicorum numerum ex incenſitis atque accreſcentibus ſupplebat *l. un. C. de claſſ.* In occidente ſub Præfecto Prætorio Italiæ erant claſſis Veneta, Ravennas, Comenſis, Miſenas, Viennenſis, Bracaria, Maſſilienſis, Ararica, Anderetiana. Vide Onuph. Panv. *deſcript. Imp. R. l. 3. fol. 418.* Memoratur in *l. 46. ff. ad SCt. Trebell.* Archigubernus claſſis Britannicæ ſub Adriano, & Antonino Auguſto, de qua & Tacitus, *4. hiſtoriarum*, & vetus inſcriptio Romæ in Gruteri opere *fol. 493.* Confer Pontan. *diſcuſſ. hiſt. 1. c. 5.* ſic invaleſcentibus Francis & Saxonibus, poſt Danubii claſſes, & quæ mari Adriatico habebantur, ut & Tyrrheno, Hiſpaniis & Galliis quoque qui boream ſpectant, claſſes dabantur, quibus qui præſidebant Comites appellati, ut Comes Tingitanæ, Comes Hiſpaniarum. Huc pertinet & Comes litoris Saxonici, per Britanniam, de quo Pontan. *d. l. 1. c. 6. &c.* Karolus M. litori Britannico cum claſſe præfecit Rutlandum, contra piratas Normannos. Aimon. *lib. 4. c. 90.*

Admiralius. IV. Ejusmodi magiſtratus poſterioribus temporibus Admiralius dici cœpit, & præfectura ipſa Admirallatus. ἀμηρᾶλιος Græcis; Curopalatæ, *de off. Aulæ Conſtantinopolitanæ, ibi* Junius &

& Grezetus. De hisce in Britannico mari videatur Seldenus *d. l. 2. c. 14.* De Ammirallo Galliæ videatur de Popellinire, tractatu qui inscribitur *l'Amiral de France.* Ejus officium est totius rei maritimæ disceptationem omniumque criminum cognitionem sibi vindicare; nautas & mercatores litigantes audire, in sua verba adigere navium triremiumque præfectos, fidem publicam dare & cum hostibus pacisci inducias: Ei pro insigni est ancora & corniculum, Vincent. *Lup.* Joh. Tilius. Choppin. *de doman. lib. 1. tit. 15. §. 11. & 13.*

CAPUT VI.

De modis retinendi imperii per actus imperativos, quales; jubere vela dimitti, angariæ, jus portus.

Agitur de modis retinendi imperii per actus imperativos, qualis *velorum submissio: th. 1.* cujus duplex finis ostenditur. Angariæ navium. *th. 2.* ibi ejus vocis explicatio, definitio & cætera *th. 3.*

Th. 4. recensentur res, quæ angariatis navibus transvehebantur. Qualis *annona.* Ibi, quotuplex ea ap. Romanos. *Civilis. Militaris. Expeditionalis. Civica, popularis, Panis gradilis* Annonæ transvectio, *sacra embola,* quid. *Anabolicæ species. th. 5.*

Th. 6. Quæstio tractatur: an navis angariatæ damnum teneatur respubl. præstare. Quod N. si alias, præter publicas species cogantur naviculärii transvehere, an damnum, qui vehere coëgit, præstet. An privatus imponens onus proprium oneri publico teneatur de casu fortuito.

Th. 7. agitur de jure *portus.* Hic accensetur regalibus. De portus Præfecto. *th. 8.* Ibi: An naves privilegiatæ profiteri merces cogantur.

An hostiles naves persequenti alienum portum ingredi liceat. *th. 9.*

I.

Porrò retinetur imperium per actus ejus proprios, ut sunt jubere, vetare, permittere, punire *arg. l. 7. ff. de LL.* Quod ad imperandum attinet, occurrit primo loco velorum submissio das Segelstreichen. Non novum hoc esse inventum Appianus testis sit *lib. 6. civil.* ubi Antonii & Domitii Ænobarbi prætoriæ naves casu sibi obviæ. Sed duplicem hæc submissio habet finem, vel salutandi, ubi superior pars mali sum- *Velorum submissio.*

 mit-

mittitur: Daß im Mittelmaß die oberste Flagge/ wann man gegen ein Königl. Castel kömt/ ein wenig herunter gelassen/ und alsobalden wieder auffgezogen wird. Quæ submissio imperium necessariò non arguit. Ejus exemplum est ap. Sleidanum *lib. 22. hist.* vel imperii exercendi, wann das Top-Segel halb hernieder gelassen/ und nicht eher biß man einen canon Schuß weit in die See ist/ wieder auffgezogen/ dofern die Schiffer nicht wollen pro contumacia einen jeden Schuß/ der nach ihnen geschicht/ mit einen Rosinobel lösen. Stypman. *p. 5. cap. 1. n. 21.*

Angariæ navium. II. Deinde vi imperii exiguntur præstationes seu angariæ navium. Ἀγγάρου Persicam esse vocem Hesychius autor est: *ἄγγαρος, ἐργάτης, ὑπηρέτης ἀχθοφόρος. Ἡ λέξις δὲ περσικὴ, σημαίνει δὲ καὶ τοὺς ἐκ διαδοχῆς βασιλικοὺς γραμματοφόρους.* Idem testatur Herodotus, *lib. 8.* *Τοῦτο τὸ δράμημα τῶν ἵππων καλέουσι Πέρσαι ἀγγαρήϊον.* Et Suidas *τοὺς τῶν βασιλέων ἀγγέλους* à Persis *ἀγγάρους* appellatos scribit. Inde & ignes angaros legimus, incensas ex omnibus regni locis sublimibus faces, quibus uno die Imperatori significabatur, quod scito opus erat. Vide Brodæum *miscell. 6. c. 6.* ut & Joh. Barclai. *Argen. lib. 1.* Sed Græcis *ἀγγαρεία* pro quovis servitio, vel operâ, quæ ab invito præstatur. Et *ἀγγαρεύειν* ejusmodi servitium præstare, *ut Matth. 6.* Angariabantur homines vel in proprio corpore & persona, ut Simon Cyrenæus *Matth. 27.* quæ angaria infimo latinitatis ævo, manopera, nobis Handfrohnen. Vel in rebus suis, jumentis, plaustris, navibus, adversus quam vide orationem Libanii *περὶ τῶν ἀγγαρειῶν.*

III. Separandæ autem ab initio angariæ, quæ ad cursum publicum pertinebant, *de quo tit. C. de curs. publ. lib. 12.* ab illis, quæ expeditionis tempore à provincialibus exigebantur, per Decuriones, quod munus cogendarum angariarum dici potest. *l. 1. C. quando civ. mun. lib. XI.* De hisce navium angariis nobis hîc sermo. Est autem angaria jus exigendi navis ad transvehendum comitatum ejus, qui cum imperio ac summa potestate est in Republ. Hinc jure feudali inter jura regalia referuntur, *c. un. quæ sint regal. 2. F. 56.* & habentur pro oneribus patrimonialibus, à quibus immunis nemo *l. 1. & 2. C. de nav. non excus. l. un. C. de naut.*

naut. Tyb. Et si quæ affixis potentiorum titulis se excusaverunt, confiscantur *l. 1. C. de nav. non excus.* Nec Ecclesiæ, nec personæ in dignitate positæ *l. 2. C. de Navic.* Nec veteranus *l. pen. §. 1. ff. de Veter.* Ut nec rescripta contra hanc præstationem elicita valeant. *l. 10. C. de SS. Eccl.* Dummodo tamen illæ naves duorum millium modiorum capacitatem habeant *l. 2. C. de nav. non excus.* Nov. Theodosii. I. Sed nec peregrinus quidem *l. ult. §. 12. ff. de mun. & hono.* dum tamen merces justa solvatur *l. 6. C. de Navicul.* Et si transvectioni mercium publicarum certi destinati homines non sufficiunt, compelli poterunt alii vicini certâ mercede numerum supplere *l. 17. & 22. C. Th. de Navicul.* Christinæus *decis. Bel. vol. 5. ad tit. C. de Navic. dec. 59. n. 18.* An verò tum & eas dies, quibus adversa tempestate progredi non potuit, computet nauclerus, ut merces pro iis solvatur? Videtur ita, *per l. 61. §. 1. ff. locat.* Perez. *tit. de Navic. n. 31.* Quia servire nobis intelliguntur etsi, qui cupientes nobis inservire, impediuntur *l. 4. §. 5. ff. de Stat. lib.* Et casus fortuitus in nullo BF. judicio præstatur. Et si quid in fraudem hujus juris factum, id publicatione navis vindicatur. *l. 10. C. de S. S. Eccl. l. 1. C. de nav. non excus.* Cujus rei gratiâ in regno Svediæ signum unius vel trium coronarum, quod est regni insigne, appingi his solitum ait Loccen. JCtus *lib. 1. de jure mar. c. 5. n. 4.* Sed & cessantes naucleri aliter coërcentur *l. ult. C. de fabricens.*

Annona apud Rom. quotuplex.

IV. Inter res, quæ angariatis navibus transvehi solebant, præcipua fuit annona, quæ & species annonariæ, & species publicæ appellantur. Erat non unum annonæ genus. Reperimus enim civiles, militares, expeditionales, civicas, populares. Civiles civilibus Magistratibus dabantur, & quidem in tesseris, ejusque emolumenta in hæredes transmittebant, vel vendere etiam licebat *l. Titia Sejo ff. de leg. 2.* Militares, στρατιωτικαὶ σιτήσεις, asservabantur in limitaneis civitatibus, & horreis publicis conditæ promebantur. Ex limitaneis autem urbibus ad castra devehebantur, per vicinioris limitis provinciales, militesque in limitaneis castris constituti duas alimoniar. partes ibidem de conditis sumebant, tertiam ipsi vehere cogebantur *l. 15. C. Th. lib. 7. l. 4.* Expeditionales sunt, quæ expeditionis tempore à militibus biduo per-

percipiuntur. Quæ in pane buccellato, vino atque aceto, sed & larido & carne vervecinâ præstabantur. In duobus diebus buccellatum, in tertio die panis. Uno die vinum, altero acetum, uno die lardum, altero caro vervecina. Ad vicesimum lapidem milites capitum petebant *l. 4. 5. 6. 7. C. Th. de erog. milit. ann.* Hoc annonarum genus ab Hesychio *σιτηρέσιον* appellatur, quod interpretatur ipse *ἐφόδιον*, quod ad iter conficiendum miles accipit. Usitatè commeatus dicitur *l. 2. C. Th. de domest. & protect. l. 3. C. T. ne collat. post.* Annona civica, quam cives Romani in viginti panibus sordidis consequebantur. *Vide l. 5. C. T. de annon. civ.* hæc frumentatio dicebatur Svet. *Aug. c. 42.* Vide Lips. *1. Elect. 8.* Dicebantur & annonæ urbicæ. Populares annonæ in pane gradili consistunt *l. 5. C. T. de ann. civ.* atque dabatur mendicis invalidis. *l. un. C. de mend. val.* Distribuebatur in gradibus amphitheatri Romæ, unde olim congiaria populo dabantur, æra dividebantur, missilia spargebantur, & tesseræ mittebantur. In urbe autem Constantinopolitana hæc erogatio in foro fieri solita. Ibi enim populus per gradus distingvi, & per turmas divisus in suo quisque loco & gradu stans panes accipiebat. Salmas. *H. A. fol. 373.*

Capitum, quid?

Panis gradilis, quid? in l. 5. C. T. de ann. civ.

Sacra embola.

V. Hujus annonæ transvectio, quæ à Justiniano sacra embola dicta videtur *l. 10. C. de S. S. Eccl. & l. ult. C. de Nav. non excus.* alia erat ab Naviculariorum functione, quæ omnibus indifferenter incumbebat *dd. LL.* Etsi enim de significatu vocis non convenit eruditis, Hotomano expeditionem interpretante, quem sequitur Pancirol. *var. lect. 1. c. c. 77.* & ita usurpatum legimus etiam Thucyd. *l. 2.* Optimus tamen sui interpres Justinianus est *Edict. 13. c. 4.* ubi *αἰσίας ἐμβολῆς διοίκησις; τῆς αἰσίας ἐμβολῆς σῖτος.* Et *c. 5. περὶ αἰσίαν ἐμβολὴν ἀποπλεῦσαι.* Et ita postea *l. 2. var. lect. c. 164.* ipse Pancir. exponit. Hinc pro eo, quod vulgo ap. Vopisc. *Aureliano c. 45.* legitur, anabolicas species, rescribi vult Turnebus embolicas species. Vide tamen Joh. Nicol. Loëns. 4. *Epiph. 27.*

Anabolica species.

Navis angariata damnū an Respub. præstat.

VI. Hîc quæritur: si navis in præstatione angariæ deripiatur à prædonibus, aut deterioretur, num damnum à rep. resarciri oporteat? Negamus cum Peckio *ad tit. C. de nav. non excus.*

Loc-

Loccen. *de jure mar. lib. 1. c. 5. n. 9.* quia angaria onus est patrimoniale, quod sumptibus cujusque obnoxii præstandum *l. 1. §. 1. ff. de mun. & hon.* Christin. *ad tit. C. Ne quid oneri publ. n. 11.* Porrò si navicularii cogantur alias, præter publicas species transferre, & ob hoc naufragia vel jactus fieri contingat, tenebitur, qui coëgit, ad emendationem damni, & criminaliter punitur Bart. *in l. uni. C. Ne quid oneri pub.* idque extra ordinem. Secus itaque si sciret navicularius secundum Gloss. Rebuf. *n. 1.* Quæritur autem an privatus imponens onus proprium oneri publico, teneatur de casu fortuito sequenti, si onus receptum fuerit consentiente nautâ? Respondetur, utrumque puniendum esse. Nautam quidem, quia nullum jus habuit ad recipienda onera privatorum, sed solum vehendi species publicas: Privatum autem quia consensus nautæ, super re prohibitâ exonerare illum non potest. *l. qui Romæ §. Callimachus ff. de V. O.* & ita judicatum in senatu Mechlinensi refert Christinæ. *ad T. C. ne quid on. publ. decis. 63. n. 21.* Adde Perez. *ad d. Tit.* Rebuff. *n. 1.* *An teneatur de casu oneri publico privatum adducens?*

VII. Succedit jus portus. Est autem portu locus conclusus, quo importantur merces, & inde exportantur *l. 59. de V. S.* Dicitur etiam statio, locus ubicunque naves tuto stare possunt. *l. 1. §. 13. ff. de Flum.* Hic accensetur Regalibus ratione imperii, quod non minus in eo, atque in mari Princeps habet, ut & propter reditus vectigalis, quod ex navium statione Imperatori penditur *l. 17. §. publ. ff. de V. S. c. un. quæ sint regal.* Cœpoll. *de Serv. P. R. c. 28. n. 2.* Hinc princeps & quælibet Resp. libera vi imperii securitatem ingredientibus portum, & egressis à concussione vel damno præstant *l. un. C. de lit. & itin. custo.* Reichs Abschied zu Augspurg 1559. §. Damit dann die Obrigkeit. dum tamen naucleri deponant, in quam provinciam ituri sint. *d. l. un.* adeò ut, non minus ac domini territoriorum, teneatur, deprædato resarcire damnum à prædonibus datum. Gail. *2. obs. 64.* Rosenth. *de feud. c. 5. concl. 22.* Köppen. *q. 37.* Bern. Græven. *2. pract. concl. 64.* Dissentit Bocer. *de regal. c. 2. n. 156.* *Portus.* *Nov. 134. c. 4.*

VIII. Porrò vi imperii maritimi Præfectus portus constituitur, qui in naves unde veniant, quid vehant, quo tendant, ad quem spectent, & similia inquirit. Quemadmodum ap. Maronem *Præfectus portus.*

nem Æneâ in portu Evandri delato Pallas quærit *8. Æneid.*

Quo tenditis? inquit:

Quod genus? unde domo? pacemne huc fertis? an arma?

Deinde exiguntur literæ commeatus, quas magister navis à suo magistratu exhibere tenetur, vulgò certificationes dictæ. Tenetur insuper profiteri, quas vehit merces, & ostendere publicanis, ne aliud pro alio profiteatur, vel merces prohibitas importet exportetve. *l. interdum ff. de publican. Quæritur autem* an naves privilegiatæ, quæ non solum mercium ratione, sed proprio etiam jure immunes sunt, teneantur profiteri & ostendere publicanis merces, quas vehunt. Et probatur Lud. Romani negativa sententia *in l. interdum ff. de publican. n. 2.* secundum quam judicatum refert Christinæus *vol. 5. decis. 58. n. 13.* Potest etiam eodem imperii jure resp. jus protimeseos in merce in portum delatâ sancire, ut, quod Imperanti placeat, justo pretio vendere magister navis cogatur, quem modum jure Svedico *c. 1. de jure naut. & c. 33.* cautum esse JCtus doctissimus Loccen. *lib. 1. de jure mar. c. 8. n. 5.* tradit.

An naves privilegiatæ profiteri merces cogantur?

IX. Quæritur: an hostiles naves persequenti in alieno portu invadere liceat? Interesse putarim, an de jure persequentis adversus hostem, quæras, an de jure ejus, cujus portus est. Priori sensu jure gentium persequi licitum putamus, eodem jure, quo delinquentem in alterius territorium fugientem ibidem in continenti apprehendere licet, quod vulgò, Nacheyl vocari solet, per Recess. Imp. *de anno 1555. §.* würde sich aber bey einem. *& de anno 1559. §.* Und haben uns demnach. Dissentit Zas. *ad l. ult. n. 10. ff. de jurisd.* Hackelm. *disp. 4. th. 14.* Gail. *1. de PP. c. 16. n. 25.* Mynsing. *cent. 2. obs. 28.* Vide Besold. *de jure territ. c. 3. thes. 3.* Faciebat id Trompius, classis Hollandicæ præfectus anno 1639. classi Hispanorum in portu Duinensi Britannorum. At verò si de jure ejus qui cum imperio in portus est, quæras, non licet. Habet enim is jus prohibendi, Loccen. *d. l. c. 8. n. ult.* Dixi, id juris in persequente esse: Extra hunc casum hostes in territorio pacato deprehensos impugnare non licet. Non tam propterea, quod ubi judicia vigent, ibi cesset jus promiscuum nocendi Grot. *de J. B. lib. 3. c. 4. n. 8.* Vix enim est, ut cognitionem hanc respubli-

An hostiles naves persequenti alienum portum ingredi liceat?

publica media sibi sumat: Vix, ut partes belligerantes ejus cognitioni se summittant: Sed propter jus imperii, quod habet dominus pacati portus: Vide in hanc rem exempla à Grotio adducta *d. loc.*

CAPUT VII.

De imperandis vectigalibus & jure stapulæ, Zaken/ Kapen/ Tonnen/ geranio.

Exhibet jus vectigale, definit vectigal. *th. 1.* Qui solvere teneatur *th. 2.* ubi variæ quæstiones expediuntur. Et de commissis agitur. Immunes à vectigalibus *th. 3.* Res non vectigales. *th. 4.* Justitia exigendi vectigal, & modi tuendi navigationem. *th. 5.*

Th. 6. agitur de Jure *stapulæ*, vocis origo eruitur, definitur res, & differentia à *jure gemnii* demonstratur.

I.

VEctigal summi imperii tesseram esse nemo dubitabit credo. Neque enim inconsultis Principibus instituuntur. *l. 3. C. vect. nov. instit. non posse. l. 10. ff. de publ. & vect.* Quæ propterea justè exiguntur, quod penes Imperantem stet, utrum transitum dare velit, nec ne. Non enim majus jus dominio privati fundi, quàm Principi territorii dare ratio permittit. *l. 16. ff. de serv. rust. præd. l. 3. §. 1. ff. de A. R. D.* præsertim cum vectigalia solventibus repromittatur securitas per territorium, & damni restitutio. *Nov. 134. c. 4.* Est autem vectigal fructus imperii maritimi pro securitate transitus & onere tuendæ navigationis, personis vel mercibus imperatus. *Vectigal.*

II. Tenentur illud solvere omnes, præter hos, qui immunitatem impetrarunt, in tantum, ut merces, quas quis non fuerit professus, in commissum cadant. *l. 4. §. 5. ff. de off. Proconf. l. 3. C. de naut. fœn. l. 7. C. de Navicul.* Etsi publicanus non admonuit transeuntem. *l. ult. §. dixi quoq; ff. de publican.* Hinc qui fraudandi vectigalis ergò per devia transit, à solutione ejusdem minimè liberatur, imò res ipsæ in commissum cadunt. *l. 3. C. de Naut. l. 2. & 5. C. de curs. publ. l. qui fiscales 5. C. de navicul. l. 3. C. de naut. fœn. l. 4. ff. de off. Proconf.* Bald. *ad l. 3. n. 4. C. de priv. fisc. & ad l. cum proponas n. 9. C. de naut. fœn.* Colerus noster *de process.*

E exsec.

Quæstio. *ex sec. t. 3. 74.* Ubi quæritur: si publicis rebus privatæ sunt adjunctæ, an ob defraudatum vectigal & privatæ in commissum ceciderint? sed verius est, culpam naucleri præstare dominum rei privatæ non oportere. *l. publicanus.* §. *1. ff. de publ.* Bald. *ad l. 3. ff. de fæn. naut.* Gvid. Pap. *decis. 572.* Christin. *vol. 5. decis. 58.* Peckius *ad l. 1. de Navicul. n. 6.*

Quæstio. Quid verò si socius, qui rem portat communem non solvat vectigal, numquid & alterius socii pars commissa erit? Negativa Bartoli verior est, *per l. fraudati. 8.* §. *1. ff. de public. & vect. & facit l. Cotem. 11.* §. *Dominus. vers. Quod si absente. & l. ult.* §. *magnus ff. d. l. Itemque l. sancimus 22. C. de pæn.* Bocer. *de regal. c. 2. n. 210.* Dissentit B. Fried. *2. de mand. c. 43. n. 7. & 11. per l. cum duobus. 52.* §. *2. & l. 60. ff. per soc.* Resp. prius probandum erat, culpam vel dolum nocuisse socio, præsupponit enim hæc objectio, quod socii innocentis pars in commissum cadat, quod est principium petere.

Quæstio. Quid verò si nauta necessitate compulsus in devium portum deferatur, an ejus loci vectigalia solvere tenetur? Negat Peck. & qui eum perpetuo describit Christinæus, ille *ad l. 5. C. de Navic.* Hic *vol. 5. decis. 61.* ubi dicunt communi sententiâ receptum esse. Verum enim verò cum militet eadem ratio, quâ jus vectigalis tuemur, nempe securitas transitus & stationis, & onus tuendæ navigationis, contrarium verius puto. Secus est de naufragis. Pœna autem commissi & in heredes transit, non post litem demum contestatam cum defuncto; ut volunt quidam. Sixtin. *de Regalib. 2. 6. n. 167.* sed statim crimine commisso scil. si rem possideat, & agatur intra quinquennium. Si non possidet, non potest conveniri, quæstione, vivo delinquente non motâ. Per *l. 14. ff. de publ.* ubi dicitur, quod crimine commisso dominium rei vectigali adquiratur, ut persecutio ejus sit, sicut adversus quemlibet possessorem, ita & adversus heredem.

Immunes à Vectigalibus. III. Diximus vectigal exigi vel à personis, vel mercibus. Id quod verum est, nisi utræque speciali privilegio gaudeant. Gaudent autem eo Princeps, Fiscus, Nobilitas, *l. omnium. 6. pr. C. de vectig.* P. Frider. *lib. 2. de mand. c. 42. n. 6.* Bocer. *de Regal. c. 2. n. 197.* Legati. *l. 8. C. de vectig.* Studiosi, qui ad Academias proficiscuntur. *auth. habita. C. ne fil. pro pat.* quadruplici pœnâ, præ-

ter

ter dati restitutionem in publicanos constituta, qui aliquid studiosis extorserint. Item hac immunitate ornati sunt Clerici. *c. quanquam 4. X. de cens. in 6.* Ecclesiastici ac Navicularii. *l. 6. C. de vect. & commis.* si non mercandi causâ, sed proprio commodo ea convecta probabuntur, hoc est, si in propriam utilitatem, usus que proprios, non lucri faciendi gratiâ bona sua secum vehant. *l. 4. §. 1. l. ult. §. 3. & 9. ff. de public. l. 5. C. de vectigal.* Jacob. Vander Graef. *ad L. non dubito. ff. de capt. & postl. c. 30. num. 11. p. m. 262.*

IV. Inter res exemtas sunt, exercitui paratæ, *l. 9. §. 7. ff. de publ.* res fisci *§. 8.* res de quibus nunquam antea præstitum vectigal, *d. l. 9. §. 6.* Res ruris exercendi gratiâ & ad proprium usum destinatæ *l. 5. C. de vectig.* Res omnes personarum, quas enarravimus, immunium, quas in usum proprium non negotiationis causa aliquò deportari curant. *l. 103. pr. ff. de V. S. l. universi. 5. C. de vectig. l. ult. §. Divus. 9. ff. de publ. & vectig. Clem. ult. de censib.* Nihilominus tamen profiteri eas oportet. *l. ult. §. quoties. 3. & §. divus. 9. ff. de publ. & vect.* Cujac. *4. obs. 3.* Frider. *2. de mand. 43. n. 10.* alioqui in commissum casuras. *l. 14. ff. de public. l. 2. C. de vectig.* *Res non vectigales.*

V. Diximus pendi vectigal non solum pro securitate transitus, & stationis, sed & tuendæ navigationis onere. Hoc fit de impedimentis navigationum, cavendo, *d. t. ff. Ne quid in flum.* portus, si naturales non sint, arte extruendo, quo nomine Trajanus Imperator, in arcu, ipsius honori Anconæ in portu erecto celebratur, ap. Gruter. *inscript. 247. 6.* Modum verò tutum exstruendi portum describit Vitruvius *lib. 5. c. 12.* & Gvillielmus Jansonius *de navigatione & descriptione omnium portuum, Amstelodami 1619.* Pertinet huc & jus erigendi vascula eminentia, in quibus ignis alitur, Feuer holten/ ponendi stipites coronatos, corbes impositas in summitate ostentantes, Baken/ palos introrsum implicatos, Kapen/ exstruendi pharon, Luchten oder Blüsen Styp. *p. 2. c. 4. n. 246.* Item, uti periculosa loca tonnis notentur, quæ ancoris sustinentur & supremâ parte rotundæ & latæ sunt, inferiore graciles, pice inunctæ, quæ maximam partem ad dextram jacent in enavigando, apud sinistram in redeundo, & si periculum alicu- *Ratio exigendi vectigalis.*

bi ab arenis est, ibi albæ locantur tonnæ. Ubi ancoræ commodè dimitti possunt, signum ancoræ statuitur. Ubi cæci scopuli vitandi, ibi signum crucis † apparet.

Jus stapulæ. VI. Videamus de jure stapulæ. Stapula ex veteri Teutonico Stapa vel Stapel/ quod forum Latinè expositum in vetustissimo Lexico Latino-Saxonico olim vidisse apud Marquardum Freherum Heidelbergæ testatur Salmasius *obser. ad Jus Atticum c. 5.* Inde facere stapam, quod Græcis, *ἀγορὰν παρέχειν*. Conf. Voss. *de vitiis sermon. in Staplus*, Lindebrogium *gloss. ad Leges Germ. vet.* Et errant itaque, qui cum Gviccjardino in descriptione Belgii vocem Gallicam esse volunt, estable: Nam sic Latina potius esset stabulum: Et diversissima vocabula sunt apud Gallos estable, & estappe, quod posterius stapulam designat. Est autem stapula jus merces externas in portum delatas sistendi, ut non prius, quàm venum ibi expositas alio transferre liceat. Hoc esse jus summi Imperii post alios tradit Sixtin. *de Regal. c. 5. n. 229.* Thomas Mich. *de Jurisd. th. 12. lit. a.* Maxim. Faust von Aschaffenburg *consilii pro ærario conf. 255. ord. 406.* Besold. *thes. pract. tit.* Staffel-Gerechtigkeit. Bert. *in descr. Holland. Austral. fol. 213.* Klock. *de ærario lib. 2. c. 16.* Et nec dubito falsum esse Elbertum Leoninum *conf. 67. n. 2.* cum asserit, sub jure stapulæ necessitatem vendendi non comprehendi, quod vox stapulæ propriè non nisi appulsum & exonerationem significet. Contrarium enim ex significatione vocis nobis probatum, in quo plerique JCtorum consentiunt: Sed nimirum ita res habet, quod jus stapulæ gradus suos habeat, pleniusque jus aliquando, quandoque minus plenum contineat, prout summæ potestati placuit. In nonnullis enim civitatibus non nisi certo tempore merces venum exponi necesse est: In quibusdam nulla necessitas est vendendi, sed solummodò naves exonerari oportet, & vectigal solvi, quale est ad Rhenum, de quo Lehman. *chron. spir. 4. 22.* Welche Schiffe den Reinstrom auff und abfahren/ und mit staffelbaren Gütern beladen seyn/ daß sie daselbst auffkehren/ dieselbe ausladen/ ins Kauffhauß führen / niederlegen / und davon die Schuldigkeit zahlen müssen/ welche nach entrichteten accis in andere Schiff/ oder auff die Achse geladen, und in die Oberreynische Lande geführet

führet werden &c. Id quod propriè jus geranii, die Franen Gerechtigkeit dicitur, wann die angegebene Wahren besichtiget/ gezehlet/ oder gemessen werden/ damit den Zollen kein Eintracht geschehe. Adde Leonin. *consf. 7. & 8.* Denique in quibusdam locis liberum, non necessarium est, merces deponere, & ad venditionem liberam servare, ut tradit auctor partis ultimæ ad Stypmanni tractatum *c. 2.*

CAPUT VIII.

De actibus imperii prohibitivis.

An navigatio possit prohiberi? *th. 2.* Quod affirmatur, ita ut transituro opus sit veniâ, nec transitus negatus vindicari potest, contra Grotium.

De rebus transire prohibitis. *th. 3.* An vi imperii *Elisabetha Angliæ R.* licuerit Hispano merces advecturos transitu prohibere.

Jus piscandi an possit prohiberi? *th. 4.* Dudum apud Romanos piscationem non omnibus promiscuè fuisse permissam. Ubi & de venatione. *th. 5.* Jus jaciendi pilas in mari, jaciendi ancoras *&c. th. 6.*

I.

QUemadmodum proprietati rei privatæ comitatur jus prohibendi: Ita etiam ad imperium ejusmodi jus & longè quidem magis consequi oportet. Imperio enim proprium est dare leges. Itaque oportet & leges navigandi, modosque præscribi posse. Neque id maris communioni, quam quantum ad facultatem navigandi non negavimus supra, magis derogat, quàm juri liberi transitus per continentem proprietas territorii officit. Imò tum demum navigatio ex facultate merâ in jus abit, ex quo per legem modus ei punitur. Potest itaque, cujus interest, Princeps quibusdam navigationem denegare. Quemadmodum in continenti quoque transitum permittere nemo cogitur, non obstante *c. 3. c. 73. q. 1.*

II. Primò itaque imperium maris hoc præstat, ut navigatio prohiberi possit. Stracha *de navig. n. 6.* Batt. *in rubr. ff. ut in flum. publ.* Angel. *consf. 290.* ubi de jure prohibendi Venetorum. Sic jam olim, cum maris dominarentur Carthaginenses, Roma- *Navigatio an possit prohiberi?*

 nis

nis modum posuerunt, jusseruntque, ne vel Africam vel Sardiniam appellerent, nisi aut commeatus recipiendi, vel naves reficiendi causâ, teste Polybio, *fœdere Carthag. cum Rom.* Sic prohibent Reges Hispaniæ & Daniæ, ille, ne Belgæ & alii in Indias, hic, ne in Islandiam, aliasque insulas ab ipsis prius occupatas, inque provinciæ formam redactas navigent, ibique liberè negotientur Joh. de Platea & Angel. Aut. *in §. flumina. Inst. de R. D.* Idem Angel. *cons. 290.* Franc. Balb. *tract. de præscript. 4. part. 5. princ. q. 6.* Beneven. Straccham. *tract. de navig. n. 6. & 7.* Hier. Schurf. *cons. 29. cent. 3.* Bartol. Cæpoll. *tr. de serv. urb. præd. c. 16. n. 3. & seqq.* Ubi Venetos ait, tanquam superiorem non recognoscentes omnes homines prohibere posse, ne per mare eorum navigent. Junge Dinner. *de justo rer. pret. quæst. 3. n. 24.* Itaque qui liberum transitum affectat, eum ab hoc, qui cum imperio est impetrete oportet. Exemplum est *Num. 20. & 21.* ubi Moses transiturus per fines Idumæorum & Emorræorum cautionem offert, se viâ regia iturum, nec deflexurum ad possessiones privatas. Cujus ratio hæc est, quod periculi metus ab extraneo transituro, præsertim cum classe & armis, justus sit. Ideò omnino exploranda est voluntas Imperantis, cum vel hoc libero quovis homine indignum & minimè ferendum sit, ab altero necessario periclitari & ad injurias nudari. Solus itaque metus sufficit, ad inhibendam navigationem. Neq; aliter denegatio transitus, belli, siquidem id justum futurū, causa justa est, nisi sine ratione justâ & per injuriam meram denegetur. Tantum abest, ut postulatus, sed negatus per causam, transitus, vindicari possit; quod vult Grotius *2. de J. B. c. 2. n. 13.* Nec ad rem facit, quod Grotius ait: jus meum metu tuo non tolli. Quale enim jus habes eundi per alienum, suo Principe invito? Quod nec habiturus sis per privati alicujus Titii fundum iturus. *l. 13. §. ult. ff. de Injur.* nisi servitute quæsitâ. Quis autem putet libertatem territorii, quæ universitas agrorum est, non minui inconsulto domino, propriaque auctoritate transeundo, cum minuatur agelli unius libertas hoc modo, itinere alii permisso. Imò si servitute itineris, actus, viæ, jure constitutâ libertas prædii minuitur; quid non minuatur facto transeuntis mero usurpata? Sed fac, jus tibi esse, dicam, omni-

omninò constringi, si inde securitati metuam. Est enim securitas inter bona externa Reip, quæ invito nemini debet attrectari usurpativè: sed jam dixi repugnare conditioni hominis liberi, atque servile esse, inevitabili necessitate cogi ab altero metuere. Quod verò addit Grotius, cavendi esse rationes, ut securus sit dominus, in eo sibi, quàm nobis, magis adversatur. Sequitur enim, ut quamdiu securitati meæ cautum non fuerit, metu meo jus tuum impediri. Quæ diximus de itu, eadem de navigatu vera sunt.

Prohiberi transitu res & personæ possunt.

III. Non tantùm imperium maris personas tenet, sed & res, puta merces. Neque enim personis tantùm, sed & mercibus transitus negari potest, si utrobique subsit par ratio. Etsi enim quo minus gens quæque cum quavis gente sepositâ commercium colat, impediendi nemini jus est, quàm si meâ non intersit, commercium per ditionem meam fieri. Quemadmodum nemo impediendus est, quo minus eat, ambulet, impediri tamen potest, ne me invito per meum eat, agat. Idque non solùm non licet, si aliæ sint viæ, sed & si nullæ. Non enim propter tuum incommodum jus in meo meum tollitur. Et societas communis inter homines hoc exigit, ut alterius indigentiæ succurras, non ita, ut qui indiget, jus exigendi inde accipiat, & quasi suo jure id sumat, sed tuâ gratiâ, quousque sine tuâ fraude damnove id fieri potest. Vide Lud. Molinam *de J. & J. tract. 2. disp. 105.*

Elisab. Angl. factum.

Hinc quæritur, an vi imperii maritimi licuerit Elisabethæ Angliæ respublicas, quæ annonam & arma Hispano, hosti suo, advehebant, transitu per mare suum prohibere? Quod in dubium vocatum fuisse mirum est. Cum non tantùm imperii maritimi, sed belli quoque jure id l[illegible]e oporteat. Quis enim hunc transitum innoxium credat? Quo merces, tanquam instrumenta ad bellum sustinendum, actionemque hostilem exercendam comparata transportantur. Quis neget eum, qui instrumenta bellica & alia, quæ saltem ut causæ sine quâ non belli sese habent, suppeditet, de ipsâ hostili actione participare? Nec obtentu eo, quod neutri parti addictus sis, juvaris. Is enim neuter est, qui neutrum juvat. Nam ut Ambrosius *3. off. 9.* si non potest alteri subveniri, nisi alter lædatur, commodius est, neutrum juvari, quàm

quàm gravari alterum. Hinc rectè & prudenter Regina Elisabetha Hanseaticis civitatibus conquerentibus naves suas à classe Anglicâ spoliatas, quibus tamen per pacta liceret amicis esse hostibus Angliæ, respondit: Non hoc esse cum utrisque colere amicitiam, si alteros lædas, juves alteros: Imò hoc esse auxiliari hostibus, & cum his adversum alios facere. A. Gentil. *de J. B. lib. 2. c. 22. p. m. 438.* Thuan. *lib. 96.* Eadem responsio olim Amalasunthæ ad Justinianum, Procop. *3. Goth.* Et omnis, qui audaciorem facit hostem, opem dicitur & auxilium ferre hosti. Bald. *ad l. 5. C. de accus.* Et hostis censendus, qui facit, quod hosti placet. Agath. *lib. 3.* Et sic olim quoque visum Corcyrensibus ap. Thucyd. *lib. 1.* Atheniensium officii esse, si extra partes esse velint, aut Corinthios prohibere, ne ex agro Attico militem conducant, aut idem sibi permittere. Lucius Æmilius Prætor Tejos arguit, quod commeatu classem hostium juvissent, vinumque promisissent, addens, nî eadem darent Romanæ classi, se pro hostibus eos habiturum. Liv. *lib. 37.* Vide Grot. *lib. 3. c. 7. n. 3.*

Piscandi jus an possit prohiberi?

IV. Jus prohibendi quoque ad piscationem rectè extenditur. Quod enim Justinianus *§. 12. Inst. de R. D.* dicit, animalia mari nata statim fieri capientis, id minimè officit. Jam enim ante Justinianum dudum piscationem non fuisse liberam, indicio est, quod Juvenalis *sat. 4.* Domitianum perstringit piscationem Rhombi sibi vindicantem:

Quis enim proponere talem
Aut emere auderet? Cum plena & litora multo
Delatore forent, dispersi protinus algæ
Inquisitores agerent cum remige nudo,
Non dubitaturi fugitivum di[illegible] piscem
Depastumq; diu vivaria Cæsaris, inde
Elapsum, veterem ad dominum debere reverti
Si quid Palphurio, si credimus Armillato,
Quidquid conspicuum pulcrumq; ex æquore toto
Res fisci est, ubicunq; natat.

Neque enim color, quem Poëta Palphurio & Armillato tribuit, eò pertinet, ac si absque eo, alio nullo jure Principi rhomborum piscatio vindicari potuisset. Qui si maximè verus fuisset, rhombum

bum

bum Principis potestati non restituisset, quippe laxitati naturali jam assertum. *l. usufructuarium. 5. §. si in vivariis. ff. de usufr. §. feræ. vers. quidquid & l.3* [illegible] *de A. R. D.* Sanè Ambrosius *Hexaëm. lib. 5. c. 30.* piscium jura, sicut vernaculorum, conditione Principibus servitii subjecta fuisse suo jam tempore testatur. Vixit is autem sesquiseculo ante Justinianum. Quare quod piscatio jure Justinianeo dicitur jure gentium prædam facere capientis, id juri prohibendi minimè obsistit. Quemadmodum enim fera in alieno privati fundo contra prohibitionem domini capta fit capientis, ex veriori Interpretum sententiâ: Ita in Principe jus prohibendi, salvo adquirendi jure gentium modo, stare posse nihil prohibet. Quamvis nec hoc rectè sequatur, quando pisces capientium fieri dicuntur jure gentium, quod omnibus propterea piscari promiscuè liceat. Diversæ enim sunt quæstiones, quem modum adquirendi jus gentium probet, & cui jus sit, hoc adquirendi modo uti. Hoc pendet ex permissione vel prohibitione Principis. Et cur longi temporis usus, quo quis in diverticulo fluminis solus piscatus est, jus prohibendi alios pariat. *l. si quisquam. ff. de divers. & temp. præ.* Imperium autem summum, à quo, quantum-quantum est, præscriptionis jus est, non pariat? Etiam sine consensu subditorum, sine quo id Principi concedere nolle, gerræ germanæ sunt.

V. Sic etsi venatione subditis interdicitur, nihilominus manet venatio juris gentium. *Venatio.* Sufficit enim Principem esse, qui non alio quàm gentium jure facere feram suam potest. Et supervacua est disputatio, quo jure interdicant venatu subditos Magnates. Quod alii præscriptione, alii occupatione, alii servitute constitutâ, alii aliter fieri volunt. Sed faciunt & facere potuerunt jure optimo maximo imperii. Et sufficit, cùm hîc agamus de jure quærendo, quod minuere Princeps omninò potest. Gloss. & Dd. *in l. servus creditoris. C. de pact.* Decian. *resp. 5. n. 20. vol.* 1. Aim. Cravet. *cons. 332. n. 18.* Heig. *q. ult. n. 15.* Gail. *2. O. 142.* Hinc piscatio inter jura regalia. *c. un. quæ sint regal.* non ut obligatio personalis; quæ subditos tantùm prohibentis stringat, exteros non item, quod vult Grotius, mari lib. p. 34. sed ut jus reale, cujus vi jus prohibendi Principi competit, & actio realis. Idque

F mu-

mutatâ sententiâ Grotius tandem agnovit, *2. de J. B. c. 2. n. 5.* ubi ait: *De feris, piscibus, avibus illud notandum est, qui imperium habet in terris & aquas, ejus lege posse impediri aliquos, ne feras, pisces, aves capere & capiendo adquirere eis liceat, atq; hac lege teneri exteros.* Quamvis tractatu de mari libero, studio partium & causæ inserviens aliter statuisset. Et ex remisso & temperato hoc prohibendi jure nata sunt fœdera Regum Angliæ cum vicinis Principibus, quibus libertas piscandi ita utrinque fuit indulta, ut constante fœdere, velut ager compascuus, tàm fœderato utenti, quàm Anglo domino mare deserviret, ait Selden. *2. mar. clauf. 20.* Et ex bibliothecâ suâ edidit, in apologiâ, pro navigatione Hollandorum, adversus Pontum Heuterum, clariss. Boxhornius instrumentum de mutuo commercio inter Henricum VII. Angliæ & Philippum Archi-Ducem Austriæ, Londini, *anno 1495.* confectum; quo libera utriusque Principis subditis halecum piscatio per mare sancitur. *c. 14.* Cambdenus ait *lib. 2. c. 21.* veniam piscandi semper concessisse Anglos, honore sibi reservato, utilitate verò exteris, quasi per desidiam, resignatâ. Sed huic rei quia dedit Seldenus caput integrum *lib. 2. mar. clauf. c. 21.* ideo supersedemus pluribus adducendis.

Prohibitio ædific. in mari.

VI. Porrò ad jus prohibendi pertinet, ne ædificetur in mari, jactis in id pilis. *l. 3. §. 1. ff. Ne quid in lo. publ. l. 24. ff. de dam. inf. l. 1. §. si in mare. ff. de flum.* Adeo ut hæc imperii pars in jurisdictionem perpetuam abierit. Dat enim Prætor interdictum, *ne quid in mari l. 1. §. 17. ff. de flum.* atque ut omninò in mari ædificari liceat, decreto Prætoris opus est. *l. 50. ff. de A. R. D.* II. Ne ancoras jacere liceat, Alexand. *conf. 13. lib. 6. col. 4.* cujus concessio jus ancoragii, jus exituræ aut portugalii Roman. *conf. 271.* Borell. *ad Bellug. spec. princ. rubr. 1. lit. m. ad fin.* Albergum etiam Italis dici tradit Frizius *de jure mar. p. m. 340.* III. Ne contra mandata Principis navigetur. *l. 15. de publ. & vect.* cujus legis initio; pro Cæsare, legendum vult, Censor, Forner. *select. lib. 1. c. 25.* sed frustra. IV. Ne ars conficiendi naves doceatur barbaros. *l. ult. C. de pœn.* V. Ne noctu navigantes lumine ostenso fallantur, *l. 10. ff. de inc. ruin. naufr.* Sed quæ pœna fallentium? Accursius raptorum pœnam arbitratur. Quod verum est, nisi amissâ nave

nave homines quoque trucidentur, ubi capite plectendos fallentes existimat Peckius, *ad d. l. 10.*

CAPUT IX.

De actibus Imperii punitivis.

De actibus imperii punitivis, ubi de maleficiis, crimine Maj. falso, repetund. annonâ, peculatu. *th. 1.*

De Piraticâ, *Corsaris*, àn fides eis data servanda? *th. 2.* Quinam apud Romanos investigandis latronibus præpositi, de stationariis, Irenarchis, latrunculatoribus, *Dioemitis*, fugitivariis. *Corocotta. Farnaculus. th. 3.* An quis teneatur indicare Piratam? *th. 4.* An magistratus ob prædas à piratis in socios & amicos actas teneatur? An magistratus eos persequens in alieno territorio sistere cogatur?. Ubi *de Remissionibus maleficorum. th. 5.*

De hostes navibus instruentibus. De his, qui ex naufragio lucrum captant, clavum furtim auferentibus. *th. 7.*

Th. 8. Delicta nautarum excutiuntur. *Cotes* Cretenses optimæ, quibus similes *Gardelebienses.*

Ob merces illicitas navis confiscatur. *th. 9.* Ubi & de Naviculario, fiscales species avertente, de possessoribus agrorum, in quibus direpti naufragi, ubi & de constitutione Adriani *in L. 7. ff. de Incend. mar. nauf. th. 10.*

I.

AD imperium pertinet, curare, ut malis hominibus provincia purgetur. *l. 3. ff. de Off. Præs.* Quod non magis in ditione continentis, quàm maritimâ obtinet. Maleficia autem vel utrique imperio & terrestri & maritimo sunt communia, vel huic propria. Utraque vel publica vel privata. Inter publica communia facile primum est læsæ Majestatis, quod committitur, si quis adversus securitatem domini ditionis committit, *l. 1. §. 11. ad L. Jul. Maj.* hostes commeatu juvat, *l. 4. eod.* navem vel classem prodit hostibus, vel prodere attentat. *l. 5. & 6. C. ad L. Jul. Maj.* Lege Juliâ de vi publica tenebitur, qui arma domi suæ præter usum navigationis habet. *l. 1. ad L. Jul. de vi.* Qui hominibus armatis possessorem navi suâ dejicit, vel eam expugnat. *l. 3. §. fin. ad L. Jul. de publ.* Pœna est publicatio bonorum & deportatio. *§. 8. Inst. de publ. Jud. l. 10. §. fin. ad L. Jul. de vi publ.* hodiè fustigatio, cum relegatione. Dn. Carpz. *pr. crim. p. 1. q. 40. n. 7.* Lege Juliâ de vi privatâ tenetur, qui aliquid ex naufragio rapit, dolo malo. *l. 1. §. 1. ad L. Jul. de Vi. Lex Cornelia de* *Crimen majestatis.*

 sica-

ficariis locum habet, si quis naufragium suppressit, *l. 3. §. 4. ad L. Corn. de sic.* vel quorum consilio & fraude naufragi per vim suppressi, ne navi vel in eâ periclitantibus opitulentur. *l. 3. §. 8. de incend.* *Falsum.* De falso tenetur, qui navim suam diversis nominibus & titulis tuetur, in fraudem publicæ necessitatis *l. 1. C. de nav. non excus.* Qui falsis literis & sigillis utitur. *l. 29. §. 6. ff. ad L. Corn. de fals.* quas literas Lurden-Brieffe vocari tradit Stypmannus. *c. 16.* Qui hodiè navium merciumque amissione puniuntur. Item qui munerum effugiendorum causâ imaginem navicularii assumit. *Repetundar.* *l. 3. §. 9. de jure immun. l. 4. §. fin. de muner.* Lege Juliâ repetundarum Senatori non licet navim habere. *l. 3. in f. ff. de Vac. mun.* Pœna exilii vel durior. *l. 7. §. fin. ad L. Jul. rep.* Lege Jul. de annonâ *(De annonâ.)* tenetur, qui navim nautamque retinet, vel dolo malo facit, quo magis retineatur. *l. 2. §. 4. ad L. Jul. de ann.* Pœna viginti aureorum. *Peculatus.* Peculatûs tenetur, qui pecuniam trajectitiam furatur. *l. 9. §. 4. ad L. Jul. pec.* Vide Stypmann. *d. loc.*

II. Delicta imperii maritimi propria vel contra rem nauticam, quo ea lædatur, perpetrantur, vel à nautis ipsis committuntur. *Piratica.* Contra rem nauticam piratica exercetur. Piratæ, qui Suidæ ἀπὸ τῆς πείρας dicuntur, *πεῖρα ὁ δόλος καὶ ἀπάτη καὶ ἡ τέχνη, ὅθεν καὶ πειραταὶ οἱ κατὰ θάλατταν κακοῦργοι.* Ita & Hesychius cui etiam *θηρευταὶ ἐν ὕδασι.* *Corsaro.* Italis Corsaro. Inde Nicetæ in Isaacio *lib. 1.* *κουρσάριοι*, ut *κουρσεύειν* prædari, Codin. *de off. aulæ Constan.* sunt latrones & prædones *l. 7. ff. de incend. ruin.* aggressores in mari maritimi, qui in naucleros prædas agunt, & navigantes in mari violenter aggrediuntur. Hi publicæ fidei hostes, ipsoque jure proscripti, &, ut loquuntur Bald. & Salic. diffidati habentur, *ad auth. navigia. C. de furt.* Et Cicero *lib. 2. off. c. 13.* cum pirata nec fidem esse debere, nec jusjurandum commune ait. Et quotannis in Bulla, quam vocant, Cœnæ Domini, pridiè parasceves excommunicantur piratæ, cursarii ac Latrunculi maritimi, discurrentes mare Ecclesiæ, à monte Argentario, usque ad Terracinam, ut habent verba Bullæ, quæ exstat apud Laërt. Cherubin. in *Bullario tom. 3.* & Rebuffum *prax. benefic. fol. 301.* Adi & Joh. And. & Abb. *in c. excommunicationi. X. de Rapt.* Strach. *de*

naut.

naut. p. 3. n. 31. Ubi quæritur, an fides eis data servanda sit? Rectè distingvit Grot. *de J. B. 3. c. 19. n. 3.* utrum cum pirata, ut tali, contractum sit, nec ne. Illo enim casu omnino servandum pactum. Etsi enim ob scelus suum, quo societatis humanæ vinculum, quod fides est, solvunt, nullius civitatis pars sunt, adeoque nullius juris socialis, inter quod est jus pacti, capaces, sed de iis, à quovis pœna sumi potest, tamen, quo sciens quis cum tali, ut tali, contrahit, hoc ipso statum dissolutæ societatis, & jus sociale hactenus redintegrat, ex quo fidem servare jam obligatur. Idem est in contractibus juris gentium, quos Piratæ super rebus suis ineunt. Hinc Depositum latronum reddendum Tryphonius elegantissimâ *l. 31. §. 1. v. quod si ego*, respondit. Et Marcellus commodati ei dat actionem. *l. 16. ff. commod.* Sic belli piratici magnam partem Cn. Pompejus pactionibus confecit, vitam illis pollicitus, & sedes in quibus sine rapto viverent. Confer. Bodin. *1. de Rep. 1.* Extra has duas causas piratæ etiam à privatis propria auctoritate apprehendi posse videntur, *l. si Barsatorum. 13. C. de fidejuss.* Ubi latronem invenire est, capere, corripere, exhibere, sistere. *l. 11. C. Th. de desertor. d. 35. §. 5. ff. de contr. emt.* Scilicet ut apprehensi sistantur ei, qui habet imperium. Hinc Jul. Cæsar, privatus adhuc, à quibus captus fuerat, postquam liberatus, non distulit, quin è vestigio classe deducta persequeretur abeuntes Tranquill. *Jul. c. 4.* inque potestatem redigeret, atque Pergami in custodiam daret. Cumque Junius, qui cum imperio Asiam obtinebat, atque adeò de captivis supplicium sumere debebat, cunctaretur, ipse Cæsar Pergamum contendens in crucem eos egit. Plutarch. *in Cæsar.* Id tamen non aliter, quàm in famosos latrones licitum esse putamus, aut tum, cum publico edicto id cuivis privato permissum. *Quæstio.*

III. Erant olim Imperio Romano stante diversi investigandis latronibus præpositi. Ejus generis erant Stationarii milites ab Augusto post bella civilia dispositi. Sveton. *Aug.* nec solùm per Italiam: sed & in provinciis. Tertul. *apolog.* De his *l. 1. §. 2. ff. de fugitiv. l. 8. C. de accus.* Deinde Irenarchæ. *l. 16. ff. de cust. rer. & t. 1. utriusq. Codd. de Iren.* Tertio Latrunculatores. *l. 6. §. ult. ff. de judic.* λῃστοδιώκται, & similes, de quibus Justin. *Nov. 7. 8. c. 12. 13.* *Stationarii.* *Irenarchæ.* *Latrunculatores.*

F 3 & 34.

Diocmitæ. & 34. Tales & Diocmitæ milites de quibus Marcellinus *l. 27. Capitol. in M. Ant. Philos.* Turneb. *advers. 25. c. 18.* Marcell. Donat. *in Capitol. p. m. 893.* Salmas. *ibid. f. 92.* Jacob. Godofr. *ad l. 13. C. de fidei. p. 21.* Scaliger Docimitas volebat, à Docimeo, quæ urbs est Phrygiæ: Sed à Δοκίμειον neque secundum artem, neque secundum consvetudinem Δοκιμίτης descendere potest. Nam aut Docimenses aut Docimei dicebantur. Vide Stephanum. Salmas. ἀπὸ τοῦ διωγμοῦ, vel, ἀπὸ τοῦ διωγμῆσαι, quod verbum à διωγμός. Genus militum expeditorum, ad persequendum fugitivos aut latrones, Diocmitæ, pro diogmitæ: Sed & ad Defensores civitatum pertinebat cura eadem. *l. per omnes regiones 6. C. de Def. civ.*

Fugitivarii. Fuêre & inquisitores peculiares alii, fugitivis eruendis, qui fugitivarii dicti. *l. 18. de præscr. verb. l. 1. C. Theod. si vag. petatur manc.* Confer Cujac. *19. O. 11.* Denique per publicos libellos quandoque vel præconium præmium publicè propositum his, qui latrones invenissent. Hic quæritur: An Augustus Imperator cum in

Corocotta. Corocottæ, latrociniis infamis, caput decies HS statuisset, isque ultrò se Imperatori stitisset, præmium statutum hoc ipse meriturus, Dio *Cass. lib. 56.* aliquâ justi specie id ei solvere obligatus fuerit? Quod nego, per *l. 4. §. ult. in f. ff. de cond. ob turp. vel inj. caus.* ibi, si fur indicium à me accepit, vel furis aut fugitivi socius, an condictio locum habeat, quæritur: Et habere JCtus respondit. Quamvis enim indicium accipere non sit turpe, *d. l. 4. §. 4. & l. solent. 15. de præsc. verb.* adeoque ubi nulla accipientis turpitudo versatur, condictio non videatur locum habere: Tamen id non nisi in tertio innocente verum est, non in ipso malefico, qui se sociumve indicando non exercet actum virtutis, præmio dignum, confitendo propriam turpitudinem, sed exercet actum ad irrogandam pœnam directum. Indicii enim finis est indicati pœna. Ergò actus tendens ad pœnam non potest operari in eodem subjecto præmium. Quâ de re in lectionibus pubb. *ad d. l.* Vide Bart. & Jason. *ad l. 4. §. 4. ff. de cond. ob turp. caus.*

Farnarolus. ubi Farnarolum quendam justè suspensum fuisse narrant, Perusii, qui socios suos, quibus cum Sabbatho Judæum occidisset, indicaverat.

Quæstio. IV. Porrò quæritur: An quis teneatur indicare piratam? Negant

gant Dd. *in l. civile est. C. de furt.* Hostiens. *in sum. tit. de furt.* Quod limitant tamen non tantum quod ad forum conscientiæ. *c. 4. X. de furt.* Sed & in subditis qui in criminibus enormibus tenentur indicare, ut & puniuntur, nisi indicent. *l. utrum cum gl. & l. seqq. ff. ad L. Pomp. de parric.* Hinc dicit Bart. *in d. l. utrum, circa finem,* quod scientes proditionem contra civitatem, & non revelantes puniantur. *Et in l. 1. §. occisorum, ff. ad SCt. Syll.* Dissentit Bald. *in consil. incipiente: In Dei nomine.* Quid? Si quis promiserit se inventurum latronem, nec præstiterit, ad quid tenebitur? Resp. in hoc teneri, ut nisi oportuno tempore in latrone inveniendo operam suam impenderit, conveniri hoc nomine possit. *l. si Barsatorum. C. de fidejuss.* quemadmodum is, qui pro alio cavit, exhibere cogitur. *l. 17. ff. de in jus voc.* præsertim cùm hîc agatur de sponsione Reip. factâ. Quod si nolit, causamque obtendat, transmitti jubetur ad præfectum prætorii, vel ad Præsidem provinciæ, ad causæ cognitionem, *d. l. 13. C. de fidej. & ibi* Godofr.

V. Sed & hoc amplius dubitatur: An magistratus ob prædas à piratis in socios vel amicos actas teneatur? Quod tum demum affirmandum, si, quantum in se, non prohibuerit. Hinc rectè Grotius, Teucæ, Regina Illyriorum, excusationem improbat. *lib. 2. de J. B. c. 21.* A. Gent. *lib. 1. de J. B. c. 21.* Tenebitur autem non in aliud, quàm ut, si reperiri possint, piratas puniat, aut dedat, prætereaque in bona raptorum jus reddi curet. Atque in eam partem à supremi auditorii judicibus contra Pomeranos quosdam pronunciatum esse testatur Grot. *2. 17. 20.* Sed nunquid magistratus eos persequens, si in alieno territorio apprehendat, ibi sistere cogitur? Quod verius in tantum, ut, ni fecerit, actione injuriarum teneatur. Bald. *in l. quid si fugitivus. §. item Celsus. ff. de Æd. ed.* Clar. *pract. crim. q. 29.* Geil. *1. de pac. publ. c. 16. n. 25.* Et tum si Judex loci, quo quis captus, cognovit persequenti fuisse in delinquentem juris dicundi potestatem, & delictum fuisse constiterit, ad petitionem judicis persequentis potest fieri remissio. Vide Farinac. *lib. 1. tit. 1. q. 7. n. 41.* Neque enim jure gentium ad aliud tenetur magistratus, quàm ut aut ipse pro merito puniat de-

delicti compertum, aut suo magistratui puniendum remittat, quæ remissio Latinis auctoribus, deditio appellatur. Vide de hac remissionis justâ postulatione res judicatas plerarumque gentium congestas Grotio, *2. 21. 4.* captorum autem & damnatorum pœna ex edicto Prætoris fuit quadrupli. *l. 1. ff. de inc. ru. nauf.* Quod & Impp. constitutionibus firmatum *l. 5. C. de Navic.* Jure canon. sunt ipso jure excommunicati *c. 3. X. de raptor. c. 1. X. de tren. & pac.* & possunt impunè lædi. *c. si quis 6. c. 23. q. 3.* Imperator Hadrianus, ut de latronibus, gravem sententiam de his ferri sanxit. *l. 7. ff. de inc. rui. nauf.* Id est, ultimi supplicii. *l. 28. §. ult.* Quod generali consvetudine receptum ait Peck. scilicet, ut capita amputentur, & juxta portûs in terrâ palo infigantur. Quod de piratis diximus, idem & de receptatoribus verum est. Bald. *in l. eas. C. de furt. l. 3. §. 3. ff. de inc. ruin. nauf. l. 1. de Recept. l. 1. C. de crim. pec. l. 1. C. Th. de his qui latr.* Peck. *ad l. 3. ff. de incend. pag. 314.*

Hostes navibus instruentes.

VII. Satis de his. Nec minus (2.) ad publicum rei maritimæ incommodum delinquunt, qui hostes navibus instruunt. Unde grave crimen habetur eorum, qui conficiendæ navis peritiam, ante incognitam barbaris, tradiderunt. *l. ult. C. de pæn.* quod capitali supplicio vindicatur. *d. l. ult.* (3.) Iis, qui ex naufragio lucrum captant, olim quadrupli pœna constituta est. *l. 1. pr. ff. de incend.* sed distingvendum ex *l. 3. ff. inc.* An eo tempore, *l. 1.* & loco, *l. 2.* quo naufragium fit, vel factum est, rapuerit quis, *l. 3.* an ex intervallo? Ille tenetur in quadruplum, *dd. LL.* Is verò, qui post naufragium clanculariè rem in litore jacentem abstulerit, furti nec manifesti solùm tenetur. *l. 1. ff. de vi bon. rapt.* vel si cum custos appositus esset, vi rapuit, vi bonorum raptorum, non edicto, *de incendio &c.* tenetur *l. 1. inf. l. 2. l. 3. pr. l. 5. eod.* Sed & interest, peritura collegerint, id est, ejusmodi merces, quæ aquarum transmissione corrumpuntur. Has enim dominus pro derelictis habuisse videtur, an, quæ servari possint, flagitiosè invaserint, quo casu liberos fustibus cæsos in triennium relegari; sordidiores in opus publicum ejusdem temporis dari D. Antonius rescripsit. *l. 4. ff. de incend.* servos flagellis cæsos in metallum damna-

Ex naufragio lucrum captantes.

mnari: sin non magnæ pecuniæ res fuerit, liberos fustibus, servos flagellis cæsos dimitti. *d. l. 4.* Denique hoc veteri pœnæ à Friderico Imperatore *auth. navigia C. de furt.* adjectum, ut, qui ex naufragio quid rapiunt, auferunt, bonorum publicatione multentur. Est & SCtum Claudianis temporibus factum, ut, si quis ex naufragio clavos, vel unum ex his abstulerit, omnium rerum nomine teneretur. *l. 3. §. 8. ff. de incend.* ubi dubitatur ab Interpp. nostris, quid clavorum ibi nomine veniat. Neque enim præter unum, in navi reperias? Clavus modò *ἀντὶ τȣ̃ πηδαλίȣ*, sive pro toto gubernaculo, modò pro *ἄκρῳ τȣ̃ πηδαλίȣ* ponitur. Vide Jul. Poll. *περὶ μερῶν νεώς, libr. 1. cap. 9.* Quapropter Accursius rectè exponit de gubernaculis clavo annexis. Quæritur: An salvis, an verò amissis demum rebus, de omnibus ita teneatur, qui clavum aufert? Et puto, etiam salvis. Delictum enim ablato clavo jam completum est per contrectationem. Nec pœna ad damnum respicit. Et sufficit in re illicitâ deprehensum, unde damnum plerumque exsistit, cum occasionem præbens damnum dedisse videatur, per *L. Rhod. naut. c. 10. & 11. tom. 2. Juris Græco-Rom. l. 30. §. 3. ad L. Aquil.* (4) his, qui à nautis aliquid injustè extorquent, decem librarum auri multa proponitur. *l. 5. C. de Nav.*

clavos furtim auferentium ex naufragio pœna.

clavus, quid?

VIII. Ad coërcenda delicta nautarum pœnæ constituuntur, (1) in eum, qui contra mandatum Principis navigat, arbitrariè. Ubi quæsitum, cum Cæsar Insulæ Cretæ cotorias locaret. (Hujus enim insulæ cotes diu maximam laudem habuisse testatur Plinius, *lib. 36. cap. 22.* quemadmodum in Germaniâ Aquenses, & in Saxonibus, Garlebenses, ut scribit Agricola *de nat. fossil. lib. 9. f. m. 266.*) legemque diceret, ne quis post idus Martias cotem ex Insulâ eximeret, cujusdam verò navis onusta cotibus ex portu Cretæ ante eidus Martias profecta, vento in portum relata est, & deinde iterum post eidus easdem profecta est, num contra legem post eidus cotes ex Insulâ exisse viderentur? Responsum est, non videri eas contra legem exisse. *l. 15. ff. de public. & vectigal.* Fuit alioquin ordinarium, (ut hoc obiter) navigandi tempus à Kalend. Aprilibus in diem Kalend. Octobris. *l. quoties. C. de Nauf.* quo tempore mare dicebatur apertum; Quemadmodum idem clausum à III.

Delicta nautarum, L. 15. de publ. & vect.

Eiduum Novembr. usque ad VI. Eid. Martiarum. Veget. *de re mil. 4. c. 39.* Jul. Ferret. *de re nav. lib. 11. §. 2. & 3.*

Ob merces illicitas navis confiscatur. IX. (2) Si merces illicitæ in navim positæ sint, navis fisco vindicatur. *l. 2. C. quæ res export.* sed hoc distinctionem recipit. Si enim dominus vel vectores navis aliquid illicitè in navim imposuerit, navis fisco vindicatur; Quod si absente domino id à magistro, vel gubernatore, aut proretâ, nautave alio factum, ipsi quidem capite puniuntur, commissis mercibus, navis autem domino restituitur. *l. 11. §. 2. de public. & vectigalib.* (3.) Si navicularius fiscales species avertendo distraxit, capitali pœnâ plectendus. *l. 7. C. de navic.* Sed quæ capitalis ibi pœna? An deportatio? Sic, Accursius. Capitalia enim delicta intelliguntur, cum quis morte naturali vel civili afficitur, *l. 2. de publ. jud.* Rectius distingvemus, an personæ viliores sint, ubi pœna mortis irroganda. *l. pen. & ult. C. quæ res ven. non poss.* Honestiores enim stylum proscriptionis & amissionem omnium bonorum incurrunt. *l. ult.* Peck. & Vinnius *ad l. qui fiscales 7. C. de Navic.*

Navicular. fiscal. species avertens.

Direptio naufragorum. X. Denique si quando navi infixâ vel fractâ intra fines agri cujusque naufragia diripiuntur, Præsides judicia dare constitutione Hadriani jubentur his, qui res suas direptas queruntur, ut quidquid probaverint ademtum sibi naufragio, id à possessoribus recipiant. *l. 7. ff. de incend. rui. naufr.* Quod etsi videatur esse iniquum, raptorum facto, per tertium, agri, possessorem & innocentem gravari, & quod magis est, ad æstimationem teneri rerum amissarum, quarum ad illos fortè nihil pervênit: Hæc tamen constitutionis, quæ Divi Adriani, ratio erat, quod sciant, certè debeant scire, quippe prædia vicina mari possidentes, naufragium inter fines suos esse factum, quod colligere cum neglexerint, propriæ pœnam culpæ meritò luant. *c. 1. & 2. X. de præsumt.* Nisi justa ignorantiæ causa allegetur, quales absentia, morbus & similes. *c. cum tua, & ibi* Panorm. *X. qui matr. accus. poss.* Bart. *in l. is potest. ff. de acqui. hered. n. 71.*

XI. Non hoc satis contra raptores prospexisse naufragis: Etiam contra magistratus ejus, qui maris potitur, aut

aut imperium litoris habet, sanctio erat promulganda. Invaluerat enim mos oppidò barbarus & inhumanissimus, quo contra jus & fas naves ripis impactæ, aut ruptæ, aut submersæ unà cum mercibus impositis per officiales diripiebantur, ipso etiam nautâ in periculum capitis tracto, quapropter Fridericus II. Imperator *in auth. navigia C. de furt.* sanxit, ut sublatâ omni tali penitus consvetudine, tàm ipsa navigia, quàm navigantium bona dominis suis integra serventur. Id quod Karolus V. *c. pen. sanctionis criminalis* denuò prohibuit: Sed ne sic quidem compesci potuit pessima & omnis rationis expers consvetudo. Vide Gail. *1. O. 16.* Bodin. *de Rep. 1. c. 1. ubi hoc ἄλογον jus, imò injustitiam geminam germanam apud Anglos, Gallosque, Neapolitanos, Siculos usurpari dicit,* Zœs. *ad tit. ff. de L. Rhod. num. 12.* Selden. *Mar. Clauf. 25.* Grot. *de J. B. 2. 7. 1.* Et nescio, quo gentium jure Annas Momorantius, Magister equitum in Galliâ, Legato Cæsaris coram Henrico II. Galliæ conquerenti, duas naves ad litus ejectas, à Jordane Ursino captas, nixus respondit: *Ea, quæ ad litus ejecta, gentium jure ad eum, cujus imperium in litore, pertinere.* Quam sanctius longè, atque innocentius Respublic. Romana, Hadrianus & Antonius *l. 7. & ultim. C. de inc. ruin. nau. l. 2. C. de Naufr.* Sic postea & constitutiones Siculæ seu Neapolitanæ. *lib. 1. tit. 58. c. 2.* Et leges Visigothorum *lib. 7. l. 8.* Et Gail. *1. O. 18. num. 6.* testatur, mandata sine clausulâ in Camerâ Imper. decerni contra consvetudines de bonis naufragis jure litoris fisco addicendis. Consentit Jus Juticum *lib. 3. c. 61. 63.* Scanicum, *8. 3.* Danicum, *art. 49. 73.* Norvegicum *c. 26.* Prussicum, *lib. 4. tit. 19. art. 5. §. 4.* Belgicum, pactumque inter Henricum IIX. Angliæ, & Philippum Archiducem Austriæ *an. 1495.* Pomeranicum, im Lands *privil.* §. dem handtierenden Kauffman: Tantum abest, gentium jus in contrarium ut sit, aut ut regalium Jure defendi deceat, quod facit. *P. Gregor. 9. de Rep. c. 1. n. 29.* Vide *Loccen. lib. de jure mar. c. 7. n. 10. Friz. part. 5. c. 5. jur. naut. Vent. de Valent. Parth. lit. 1. c. 13. n. 5. Frider. 2. de mand. c. 57. Less. lib. 2. de J. & J. c. 5. dub. 18. n. 67.*

G 2 DIS-



Σὺν Θεῷ.

DISSERTATIO SECUNDA,

COMMENTARIUS,

De

CENTUM LAPIDIBUS URBICARIIS,

Ad

Tit. II. *de officio Præfecti Urbi ad Rubricam.*

CONSPECTUS.

1. Ræfectura Urbis Regibus Romanorum est coæva. Tacit. 6. *Annal.* 11. *Ante profectis domo Regibus, ac mox Magistratibus, ne urbs sine Imperio foret, in tempus deligebatur, qui jus redderet, ac subitis mederetur. Feruntque ab Romulo Dentrem Romulium, post ab Tullo Hostilio Numam Marcium, & ab Tarquinio Superbo Spurium Lucretium impositos.*

2. Et

2. Et Pomponius JCtus *in l. 2. §. 33. ff. de O. J.* *Quoties Magistratus proficiscuntur, unus relinquitur, qui Jus dicat. Is vocatur Præfectus Urbi.* Et puto Pomponium his verbis non de suo tempore loqui, quo certè non absentibus Magistratibus demum Præfectus Jus dicebat, sed omnino de præterito. Sequitur enim apud eundem; *Qui Præfectus olim constituebatur.* SCIO quidem Muretum & P. Fabrum *ad tit. de O. J.* legere: Qui profectis, subaudi, magistratibus, olim constituebatur. Quod & viro doctissimo Christoph. Adamo Ruperto Professori quondam Historiarum Norico in Enchiridio Pomponii video placuisse. *p. 294.* Sed nimis durum mihi videtur, & jam ante dictum fuerat. Neque tamen cum doctissimo Viro Dn. Coccejo planè delenda hæc verba censeo. Loquitur enim more historicorum in præsenti de more creandi præfectum, & ne quis suspicetur, adhuc durare hunc morem, subjicit: *Qui Præfectus olim creabatur.* Nempe ejusmodi Præfectus, ea potestate, qui absentibus Magistratibus jus diceret, olim constituebatur, Regum ac primis Consulum temporibus, puta, quum adhuc sufficerent Reip. suæ COSS. At verò augescente magis magisque imperiô, prolatisque finibus, cum & bellis distinerentur COSS. nec domi sufficerent Reip. gerundæ, propterea creato Prætore urbano *d. l. 2. §. 27. de O. J.* cui necessario in urbe manendum, credibile est, intermissum creandi Præfecti morem, ut benè conjicit Vizzanus *proleg. de mand. pr. n. 3.* 3. Ut non nisi feriarum Latinarum causâ constitueretur. Tacitus *d. l. Durat simulacrum, quoties ob ferias Latinas præficitur, qui consulare munus usurpat.* Et id quotannis observari ait Pomponius *d. §. 33.* De Feriis Latinis videatur Dionysius *lib. 4. & 6.* Liv. *fin. lib. 6.* Plutarch. *Camil.* Muret. Corras. *ad l. 2. §. 33. de O. J. n. 5.* Sigon. *de ant. jur. Ital. 1. c. 3. n. 40.* Cluver. *Ital. ant. p. m. 906.* Manut. *Comm. Epist. ad Att. 2.* A. Gell. *14. 8.* Sigon. *de Jure Civ. Rom. c. 2. p. m. 78. n. 40.* Alex. ab Alex. *5. 7.* & novissimè Dn. Coccejus *ad d. §. 33. de O. J.* nec non Claris. Rupertus comm. in Enchir. Pomp. p. 292. Conveniebant autem populus in montem Albanum, agnosque ac caseos, & liba conferebant. Communis omnium victima taurus erat candidus, qui pro salute omnium immolabatur. Sed postea & rufulus. Arnob. *lib. 2.* Talis

præfectus feriar. Latinarum causa fuit ex primâ nobilitate ætatis nondum senatoriæ adolescens, Gell. lib. 14. c. ult. & Sacerdotio plerumque ornatus. Vide Nicol. Damascenum in excerpt. Peiresc. p. 477. Drusus Germanici filius apud Tacitum *lib. 4. c. 36.* Et Nero sub Claudio. *Sveton. Nero c. 21.* Marcus Antonius apud Kapitolium. Is, quem Commodus interfecit, ut Lampridius scribit, Commodo, cujusque memoriam restituit Pertinax, teste
4. Kapitol. 4. Fuit ergo initio Urbis hic Magistratus non nisi
extra ordinem, nec perpetuus, sed quoties Reges vel COSS. abessent, ad præsidium urbis, & subita, ut Tacitus loquitur, si qua
5. evenirent, relictus. 5. At verò ab Augusto, consilio Mecænatis, ut ex Dione *lib. 52.* constat, longè aliâ ratione majoreque cum dignitate, tum potestate in Remp. receptus, ita ut non solùm ordinarius esset statusque, sed & continuus. Tac. *fine cap. 10.* ait, *Lucii Pisonis ex eô præcipuam fuisse gloriam, quod Præfectus Urbi recens continuam potestatem temperavit.* Et id est, quod Tranquillus ait, *Augusto, c. 37.* sub Augusto cœpisse potestatem hanc excogitari. De Mecænatis præfecturâ vide Meibom. in Mec. p. 71. Nec sibi adversatur *c. 77. Julii*, quando ait, à Julio Præfectos pro Prætoribus constitutos, qui præsente se res urbanas administrarent. Nam fuerunt & hi extraordinarii, non minus atque Cilnius Mecænas, quem Augustus cunctis apud Romam atque Italiam præposuit, ut scribit Tacitus *l. 6. c. 11. Vide Casaub. & Torrent.*
6. *in hunc locum.* 6. Primus ergo Messala Corvinus sub Augusto,
qui sexto tamen die se abdicavit. *Euseb. n. 1991. Tacit. d. l.* inde Taurus Statilius, post Lucius Piso hanc potestatem administraverunt. *Tac. c. 11.* Vide nomenclatorem seu catalogum Præfectorum Urbi ab U. C. 1006. usque ad A. U. 1107. apud Onufrium
7. *comm. in Fast.* 7. Et in tantum etiam hæc dignitas evecta, ut
reliquis omnibus præstaret. *l. 3. C. de Off. Præf. Urb. Nov. 62. Et Julianus Nov. 56. Urbicaria*, inquit, *Præfectura omnibus aliis præsideat dignitatibus.* Cassiodor. *lib. 10. Epist. 11. Urbanus Præfectus dignitas est honorum.* Symmach. *lib. 10. Epist. 36. Præfectura Romæ dignior est cæteris.* Galenus 1. ἀνατομ. ἐγχ. ἐπάρχου τῆς Ῥωμαίων
8. πόλεως ἀνδρὸς τὰ πάντα πρωτεύοντος. 8. Et cum occidens o-
mnis sex omnino haberet diœceses, Italiam, Illyricum, Africam,
quas

quas Præfectus Prætorio Italiæ, Gallias, Hispanias & Britannias, quas Præfectus Prætorio Galliarum administravit; Urbs tamen Præfecto Italiæ non paruit, quippe cujus Majestas Præfecturam propriam meruit. Et hic est, quem Juvenal. *Sat. 13. Custodem urbis* usurpat. 9. Alibi *Sat. 4. Villicum Urbis* appellat Pegasum 9.
JCtum, Præf. Urb. non sanè, quòd ab Impp. Urbs Præfectis, tanquam villa mancipi, locata videretur. Des Römischen Keysers Pachtmann des Vorwergs Rom. Vide Scholiasten Juvenalis. Adeoque per contemtum ita dictus à Satyrico videri possit: Sed verius est, Villicum à Poëta veteri notione, pro *Præfecto*, positum. Tibullus de ærarii Præfecto: *Villicus ærarii quondam, nunc cultor agelli.* In antiquis lapidibus, *Villicus alimentorum est*, qui alibi dicitur Procurator alimentorum, VIL. AB. ALIM. In alio lapide; *Villicus à plumbo.* Vide *Salmas. ad Lamp. Alex.* Quo & Scholiasta vergit. Dioni *lib. 52.* vocatur πολίαρχος. Basilicis & Nicetæ ὁ τῆς πόλεως ἔπαρχος. Alibi Dioni προστάτης τῆς πόλεως, Luciano de Morte Peregrini, ὁ τὴν πόλιν ἐπιτετραμμένος. 10. Hic Magistratus quamdiu Roma erat una, & ipse 10.
unicus. At novâ Româ surgente, Constantinopoli scilicet, *l. 5. C. de op. publ. l. generaliter. in fin. C. de Episc. & Cleric.* quæ in omnibus Romam veterem æmularetur, Præfectum quoque proprium exemplo illius nacta est. *L. 4. C. Th. de Jurisd.* Primus hoc magistratu Honoratus, nomine, ex Præfecto Galliarum, ut tradit *Cassiodor. Chronico.* creatus est anno 362. Ad quem scripta 11.
est *l. 1. C. de off. Com. rer. priv.* in cujus adeo inscriptione pro Bysacii legendum putat Byzantii Pancirol. *Comment. ad not. Imp. c. 25.* Et colligit inde initio præfectum hunc Consularis titulo fuisse insignitum. Quod in medio relinquo, scio enim Consulares sub dispositione Præfecti Urbis fuisse, ut Consularis Piceni suburbicarii, in notitiâ, Consularis Tusciæ suburbicariæ *in Novella Majorani 9.* Et potuit ergo Præfectus U. esse & nominari, & Consularis item Byzacii. 12. Uterque Præfectis Prætorio di- 12.
gnitate æqualis. *l. 1. C. de Præf. P. sive Urbi.* Et illustris erat, *l. ult. C. de appar. Præf. Urb.* & in urbe omnibus antecellebat. *l. 3. C. de off. Præf. Urb.* In Senatu autem supra Præfectos Prætorio sedebat. *l. 1. & 2. C. de P. P. sive Urb.* Et deposito officio ex præfectis prior magistratu functus præcedebat. *d. l. 1. & 2. C. de off. P. P. siv. Urb.*

Præ-

Præerat Senatui, in quo etiam primus sententiam dicebat, ut ex Cassiodoro constat, jura à Principe condita ibidem legi curabat. *l. 1. C. de bon. matern.* Carpento vehebatur, ut habet ex Cassiodoro Goldast. *tom. 3. constit. Imp. fol. 72.* 13. Eum Impp. AMI-
13. CUM vocabant. *Alex. in l. 1. C. si mancip. ita ven. ne prost.* Et Severus atque Antoninus Fabium Cilonem Præf. U. *in Epist. ad Junium Rufinum Præfectum Vigilum,* teste Ulpiano. *l. ult. ff. de O. Præf. Vig.* Aliis: Tua Magnitudo. *l. ad similitudinem. 16. C. de adv. divers. judic.* Sinceritas. *l. 2. C. de off. Præf. Urb.* Illustris Autoritas. *l. 3. C. de spect. Scen. & len.* Sublimitas. *l. 2. C. de stud. lib.*
14. *urb. Rom.* Gloriosissimus. *l. 1. C. de rapt. Virg.* 14. Insignibus utebatur his: Vultu Principis, libro mandatorum inter quatuor ardentes cereos abaco imposito, quadrijugo curru aurato, quo per urbem vehebatur, præconibus eum Imperii Patrem acclamantibus. *l. 1. C. de Quæstor. Nov. 70. Cassiodor. in formulâ Præf. U.* Vide Noticiam Imp. & *ibi Pancirol. c. 25.* Sub dispositione ejus erant: Præfectus annonæ, vigilium, Comes formarum, Riparum & Alvei Tiberis, & Cloacarum, Portus, Magister Census: Rationalis vinorum: Tribunus fori Suarii. Consularis Aquarum: Curator operum maximorum, Curator operum publicorum; Statuarum, Horreorum, Galbanorum, Centenarius Portus. Tribunus rerum nitentium. Officium seu ministrantes ei erant: Princeps, Cornicularius, Adjutor, Commentariensis, Abactis, Primiscrinius, sive Numerarius; Subadjuvæ. Cura Epistolarum. Regerendarius. Exceptores. Adjutores, Censuales. Nomenclatores. Singularii.

Videamus potestatis ejus officium. Cujus olim Ulpiani nec non Pauli JCtorum integri exstitêre libri commentarii. Nos tabulas è naufragio colligemus. Ait ergò Ulpianus

§. 1.

Omnia omninò crimina Præfectura urbis sibi vindicavit.

Basilica *lib. 6. tit. 4. θ. β.* ὁ τῆς πόλεως ἔπαρχος πάντα ζητεῖ τὰ ἁμαρτήματα. Ecloga Leonis & Constantini τιτλ. δ. ὁ τῆς πόλεως ἔπαρχος πάντα ζητεῖ τὰ ἐγκλήματα.

CON-

CONSPECTUS.

1. *Merum imperium apud quos olim.*
2. *Imperium & Jurisdictio differunt.*
3. *Jurisdictio criminalis nulla datur.*
4. *Etiam extraord. crimina ad eum pertinuerunt.*
5. *Territorium Præfecti.*
6. *An intra Italiam.*
7. *Mediolanum Italiæ Metropolis.*
8. *Verba, intra Italiam, delenda.*
9. *Salmasii lectio.*
11. *Epistola Imperatorum, quid sit, earumq; exempla.*
12. *Fabius Cilo, non Chilo.*

COgnitio criminum primitus penes COSS. fuit. Eam diminuit potestatem Lex Valeria, ut civem Romanum adversus provocationem necare aut verberare non liceret. *Liv. lib. 2. Et Dionys. lib. 5.* ait eâ lege statutum, ut si quis magistratus civem capite plectere, aut flagris cædere, aut pecuniis multare velit, liceat illi provocare ad populum, nec interim, antequam suffragiis populus jusserit, in provocantem animadverti possit. Idem videtur tulisse Lex Porcia. Vide *A. August. de LL.* Secuta est L. Sempronia, quæ ne de capite civium injussu populi judicaretur, rogavit. Cic. *pro Rabir.* Sed & LL. 12. idem sancitum; *De capite civis, nisi per maximum comitiatum ne ferunto.* Postea Quæstores, quas parricidii vocabant, creari, qui capitalibus rebus præessent. *l. 2. §. 23. de O. J.* Quod ita accipit Onuphrius *comm. in 1. Fast. ad ann. 245. p. m. 66. n. 50.* ut extra ordinem, quoties crimen aliquot exemplum posceret, crearetur talis quæstor. Apertè id probat Liv. *lib. 4. c. 51.* ibi: *ut plebs præficeret quæstioni, quem vellet. A plebe consensu populi Consulibus negocium mandatur.* Et *lib. 38. c. 54. Servio Sulpicio referente, quem rogatione Petiliâ quærere vellent, Q. Terentium Culleonem Prætorem patres jusserunt. Dissent. Mur. ad §. 23. de O. J.* Postea perpetuus magistratus fuit reatus, Triumviri capitales, qui de his rebus cognoscerent. Primus L. Piso quæstionum perpetuarum auctor. *Cic. Bruto.* qui de pecuniis repetundis tulit, Censorino & Manilio COSS. Inde Sulla Dictator, latis novis quæstionibus publicis, veluti de falso, de parricidio, de sicariis, de injuriis (secundum Pithœum *c. 1. ad Collat. LL. Mosaic. p. m. 73.*) sex Prætores instituit, ex quibus duo, more veteri jus dicebant, Urbanus & Peregrinus, reliqui quatuor

H publica

publica judicia exercebant. Ergo quo tempore ab Augusto crearetur Præfectus Urbi, potestas animadvertendi à Senatu in Præfectum transiit.
1. 1. Pertinet ergo ad eum cognitio de Criminibus, publicorum judiciorum exercitium, hoc est, merum Imperium, seu gladii potestas. Hoc enim est Crimen commissum, quod publicæ vindictæ gratiâ accusatur apud eum, qui potestatem gladii habet. Ant. Matth. *tr. de Crimin. c. 1.* Basilica quidem ἁμαρτήματα vertunt, qua voce utuntur JCti Græci pro delictis privatis, uti ex Theophilo & Basilicis videre est. Glossæ Nomicæ, δέλικτον, ἁμάρτημα. Rectius Leo, ἐγκλήματα. Ita enim reddunt crimina. Eædem glossæ: ἔγκλημά ἐστιν, ἡ βία, ἡ μετὰ ὅπλων ἐπίθεσις, ἡ γοητεία &c. Nisi generalius ἁμάρτημα pro quovis maleficio positum accipias. Ergo crimina ad Præf. Urb. pertinent. Quare quum primigenia Vestalis ap. Albam stupro pollueretur, collegium vindictam ad Præf. U. detulit. exemplo proximæ ætatis, ait
2. Symmach. *lib. 9. ep. 123.* 2. Tale qui habet cognoscit, ut animadvertat; Qui Jurisdictionem, cognoscit, ut jubeat, cui si non paretur jussui, opus est imperio, quod mixtum appellant. At in gladii potestate nulla est jussio, cui parere debeat, vel quam præstare debeat reus: Sed eò tendit notio, ut fiat coërcitio. Quare merum appellatur. Non quia notio ibi non fit, sed quia hæc notio per se ad vindictam tendit. In mixto, coërcitio non per se, sed in suppetias adhibetur, si sententiæ non est paritum. Hæc est ratio imperii tam meri quàm mixti, quam adhuc hodie multi ignorant.
3. Commentum igitur est quorundam, inprimis recentiorum, Ju-
3. risdictio, nescio quæ, Criminalis. 4. An & extraordinaria cri-
4. mina ad eum pertinuerunt? Omnino Paulus enim in libro singulari de officio Præfecti Vigilum, unde *l. 3. §. 1.* ait, Præfectum vigilum de incendiariis, effractoribus, furibus, raptoribus, receptatoribus cognoscere, nisi si qua tam atrox, tamque famosa persona sit, ut Præfecto Urbi remittatur. Et incendiarios dolosos ad Præfectum mitti jubent Severus & Antoninus *in l. ult. ff. de O. P. V.* Pergit Ulpianus:

Nec tantùm ea, quæ intra urbem admittuntur, verùm ea quoque quæ extra urbem, intra Italiam.

Ponun-

Ponuntur Præfecturæ Urbicæ Termini, quibus circumscribi-
tur. Hoc est Territorium, *l.139. §.8. de V.S.* fines, intra quos di- 5.
cundi juris potestas est, ut Saculus Flaccus *de condit. agror.* Dici-
tur Territorium ab antiquo tores, quod terminum significat, &
terrâ. Quasi dicas, terrifinium, terrilimitium. Exstat vocis hu-
jus vestigium in extorris, qui extra torrem, limitem, pulsus, Torris
limitis etiam fit merito in fragmentis de limitibus. Græcis ἐπιτεί-
χισμα, ἐνορία, περίχωρος. Sed & simpliciter *χώρα Xiphil. de By-
zantio, τὴν πόλιν τε, καὶ τὴν χώραν αὐτῆς.* In Ecclesia dicitur *πα-
ροικία. l.26. C. de Episc. audi. & l.35. C. de Episc. & Cler.* Sic territo-
rium Episcopi in Concilio Aurelianensi, *1. can. 19.* & Aurelian.
3. can. 18. Concilio Vasensi, *can. 3.* Wormaciensi, *can. 60.* & in actis
concilii C.Politani sub Mennâ, territorium Apamæarum. Non
ergo Præfectura Urbis suis mœnibus circumscripta, aut intra se-
ptem suos colles coercita: sed longiùs processit. Quo ergo usque?
Extra Urbem, intra Italiam, ait Ulpianus. Sed satis perple- 6.
xè. Erat enim Italiæ suus Præfectus, nempe prætorio, cujus me-
tropolis Mediolanum. 7. Athanasius *Epist. ad solit. vit. argent.*
ὁ Διονύσιος ἀπὸ Μεδιολάνων, ὅτι καὶ Μητρόπολις τῆς Ἰταλίας. 7.
Deinde *l. ult. h. t.* Præfectus terminos urbis exiens potestatem non
habet. At urbis termini sunt muri *l.2. de V.S.* 8. Quomodo ergò 8.
vindicabit crimina extra urbem? Sunt qui Ulpiano abjudicant
hæc verba, *Intra Italiam*, ex glossâ irrepsisse autumantes. Quod
non improbo. Cum §. 4. demum Ulpianus hos terminos defi-
niat. Fuit cum suspicarer, *inter Italiam* Ulpiano esse, *citra*, ut
Floro, 3, 10. *inter ripam, intra famam* Quintiliano, 11, 3. Vide Hoto-
mann. *in Verrin. Cic. p. 123.* Sed vix est, ut Ulpianus *intra Italiam* hîc
aliô sensu accipiat, atque in antecedentibus, *intra Urbem*, usurpa-
verat. 9. Salmasius *in Eucharistico p.m.40.* legit: Ea quoque quæ
extra Urbem, intra Italiæ c.m. Quas notas librarios non intelligen- 9.
tes ex: Italiæ c.m. quod est centesimum milliarium, substituisse Ita-
liam. Sed siquidem retinenda hæc verba, magis est, ut Italiæ no-
men *συνεκδοχικῶς*, nec tamen in sensu Civili accipiatur, prout di-
visa jam est in duas diœceses, quarum una Italiæ nomen sibi soli
vindicavit, altera suburbicarias regiones constituit: sed pro parte
regionis, quam Geographicè Italiam appellitant. Quod placet &

Anonymo *de suburb. reg.* & Bertherio *in Pithanῶn diatribâ priore.* Sed de hâc Diœcesi pluribus agemus *ad §.4.* Pergit Ulpianus:

Epistola D. Severi ad Fabium Cilonem Præfectum Urbi missa declaratur. Ant. Faber Rational. ad hunc textum ex his verbis petit rationem decidendi, cur Præfectus non solum intra, sed & extra urbem de criminibus cognoscat. Cum enim loco dubitandi rationis sibi objecisset, quod de criminibus agi oporteat, ubi vel commissa vel inchoata sunt, vel ubi reus reperiatur, unde concludit, quod de crimine extra urbem admisso in urbe agi non debeat; huic rationi respondet, id inde fieri, quia præfectus habeat speciali concessione, ut extra urbem cognoscere ei liceat. Perperam. Quasi verò Præfectus intra urbem cognoscens de criminibus extra urbem commissis non cognoscat, ibi, ubi ea commissa, vel inchoata, vel reus reperiatur. Commissa enim vel inchoata crimina non referuntur præcisè ad punctum illud spacii, quod reum circumscripsit, cum crimen committeret, sed ad territorium integrum, ut in illo territorio, ubi crimen inchoatum, vel commissum, vel reus repertus, cognoscatur de eo, non in ipso illo loci puncto, ubi commissum. Territorium autem Præfecti erat Urbs &
10. regiones suburbicariæ. 10. Cæterum Epistolam Theophilus finit: *ἀντιγραφὴν βασιλέως πρὸς ἄρχοντος ἀναφορὰν, περίτινος ἀμφιβόλου πράγματος γινομένην.* Plinius *lib. 10. Epist. 97.* Solenne est mihi, Domine, omnia, de quibus dubito, ad te referre. Exstant harum Epistolarum per partes aliquot exempla in Jure Justinianeo. Ut in *l. 16. C. de præscript. long. temp.* pars Epistolæ Diocletiani & Maximiani ad Primosum, Præsidem Syriæ. In *l. 13. C. de fidei. & mand.* pars ex Epistolâ Gordiani ad Auxium, & *in l. 8. C. de accus. & inscript.* est exemplum sacrarum literarum Diocletiani & Maximiani A. A. ut & *in l. 5. C. ad L. Corn. de Sicariis. l. 5. C. de Jure Fisci. l. 2. de natur. l. 10. C. de Muneribus patrim.* Talis & hæc ad Fa-
11. bium Cilonem, Præfectum Urbi. 11. Cilo, *κείλων*, Græcis, qui acuto capite, *προκέφαλος*. Non ergò Chilo, ut vulgata. Menagius amœn. juris. Vetus Inscriptio: Λ. *Φάβιον κειλῶνα, τὸν λαμπρότατον ἔπαρχον Ῥώμης.* Caper Gramaticus: Cilo est angusto capite cui hoc contigit in partu. Chilo dicitur modum labrorũ excedens. Et Chilo Latinis Labeo.

Labeo. Vide Cujac. *10. obs. 26.* Hic Fabius Cilo Consul designatus est, cum esset cæsus Commodus Imperato[illegible]ste Lampridiô. Sub Severo Præfectus Urbi. Epistolæ, cujus pars *h.l.§.4* repræsentatur, meminit etiam Ulpianus *lib.9. de Offic.Proconf.* Unde *l.6.de Interd. & releg.l.8.§.5.ff. de pæn.* An verò epistolæ quoque nomine veniat responsum Impp. privatis consulentibus, adeoque definitio Theophili sit angustior, ut vult Dn. Coccejus *ad l.1. §.1. de Const. Princ.* subsisto. Videntur enim rescripta ad privatos data non jus novum constituere, sed ad preces & postulata, quod juri jam constituto conveniens sit, vel minus, monstrare. Epistola autem quin sit constitutionis species, non est dubium, Sed in medium relinquo.

§. 1.

Servos, qui ad statuas confugerint, vel suâ pecuniâ emtos, ut manumittantur, de dominis querentes audiet.

Leo & Constantinus Eccl.tit.4.§.2. Ὁ *τῆς πόλεως ἔπαρχος τῶν προσφευγόντων δούλων καὶ τῶν λεγόντων ἀργυρίῳ ἰδίῳ ἀγορασθῆναι ἐπὶ τῷ ἐλευθερωθῆναι αὐτοὺς ἀκροᾶται.*

§. 8.

Quod autem dictum est, ut servos de dominis querentes Præfectus audiat, sic accipiemus: non accusantes dominos (hoc enim nequaquam servis permittendum est, nisi ex causis receptis) sed si verecundè expostulent, si sævitiam, si duritiam, si famem, quâ eos premant, si obscœnitatem, in quâ eos compulerint, vel compellant, ap. Præf. Urbi exponant. Hoc quoque officium Præfecto U. à D. Severo datum est, ut mancipia tueatur, ne prostituantur.

Basilica: *Ἔνθα δὲ ἀκροᾶται τοῦ δούλου κατὰ δεσπότου, οὐκ ὀφείλει δέχεσθαι αὐτὸν κατηγοροῦντα. Τοῦτο γὰρ εἰ μὴ ἀπὸ δήλων αἰτιῶν οὐκ ἐφεῖται τοῖς δούλοις. Ἀλλ' ἐὰν εὐλαβῶς προσέρχονται προβαλλόμενοι τραχύτητα τοῦ δεσπότου, ἢ λιμόν, ἢ ὅτι πρὸς αἰσχρότητα συνωθεῖ αὐτούς. Φροντίζει τοῦ* (lege, *τοῦ μὴ*) *προστῆναι ἀνδράποδα, καὶ τοῦ πιστῶς συναλλάσσειν.* Leo & Constant. §.6. *Φροντίζει τοῦ μὴ προστῆναι ἐπὶ πορνείᾳ δημοσίᾳ ἀνδράποδα, καὶ τοὺς πιστῶς συναλλάσσειν.*

CONSPECTUS.

1. *Queri, quid.*
2. *Servis non licet dominos accusare.*
3. *Servi à statuis abducti querebantur demum.*
4. *Nimia dominorum potestas.*
5. *Jure div. quando impunè occidebatur servus.*
6. *Dominus sævus jubetur vendere. Quid, bonæ conditiones.*
7. *Quis primus Imperatorum servos vetuit occidi.*
8. *Explicatur L. un. C. de his qui ad stat.*
9. *De imaginem Cæs. præferentibus.*
10. *Quo tempore confugæ ab asylis auferebantur.*
12. *Sævitia dominor in servos.*
15. *Obscēnitas, in quam servi compulsi.*
16. *Lenocinium.*
17. *Aquarioli apud Tertullianum.*
19. *De servis suâ pecuniâ emtis.*

1. AUdiat, inquit JCtus, servos de dominis querentes. Queri non est agere, & multò minùs accusare. Nec ad rem facit, quod querela inofficiosi interdum actio, interdum accusatio audiat. *l. 3. & 11. 25. 27. C. de inoff. test. l. 6. 22. 27. ff. eod.* Non enim, qui eâ utitur, querendo agit, sed agendo queritur. Id est, dum actionem instituit, dum petit hæreditatem, hanc petendi præfert causam, quòd iniquè, quòd inofficiosè, quòd immeritò sit exhæredatus, quæ mentis ægræ indignatio & de iniquitate expostulatio querimonia est. 2. Quare dicit Ulpianus § 8. hoc permittendum non esse servis, ut dominos accusent. Notum est judicium illud ex Valerio M. *lib. 6. c. 5.* quo, cum Cn. Domitius Tribunus Pl. M. Scaurum & L. Crassus Cn. Carbonem accusarent, ad eosque servi reorum accessissent, multis criminibus dominos oneraturi, judices admittere noluerunt, sed vinctos ut ii pro imperio suo vindicarent, ad dominos remiserunt. Et Claudius Imp. edixit, ne quis auxilium ferret eis, qui contra dominos vel patronos quid deferrent, qui detulisset, eum jus alios accusandi amissurum. *Dio lib. 60. Histor.* Atque primo quinquennio Neronis neque Carinas Celer Senator, neque Julius Densus equester, inter reos servis accusantibus recepti sunt. *Tacit. lib. 13. Hist.* Confer P. Aerodium *in Pandect. rer. judic. lib. 6. cap. 5.* Non ergo accusabant, nisi ex causis receptis, ait

ait Ulpianus §. 8. Receptorum aliquot recenset Hermogenianus *lib.1. Juris. ἐπιτομῶν*, quæ est *l.53. de Judic.* sic & deferentes suos dominos læsæ Majestatis audiuntur, *l.7.§.2. ff. ad L. Jul. Maj.* Licebat ergo queri duntaxat ob sævitiam, duritiam, famem, obscœnitatem. An autem rectâ poterant adire præfectum, an necessum erat prius ad statuas confugere? Quod velle videtur Ulpianus §.1. Et certè si suâ sponte præfectum adeant, vix aberit, quin detulisse dominos videantur. At nihil illis permissum, quàm sævitiam exponere. Siquidem ergo ad asylum aut statuas confugerint, inde deductos audiet præfectus, si sævitiam exponant, si ad impudicitiam turpemve violationem compellantur, ut loquitur Ulpianus *& hîc & lib.8. de off. Proconf. Unde l.2. ff. de his qui sunt sui.* & tum demum fugitivi notam effugiebant, *l.17. §.12. ff. de ædit. Edict.* Sed tamen hoc quoque perfugium ad dominum infamandum sæpe usurpatum colligo ex *l.5. ff. de Extraord. crim.* Igitur in eum cujus instinctu confugerat eò servus, præter actionem servi corrupti, severè animadvertebatur. Propterea etiam venditor, si dixisset, servum ad statuam nunquam confugisse, id præstare tenebatur, *l.19. ff. de Ædil. ed.* 5. Quo magis opus erat, ut servi tamdiu custodirentur ad statuam vel asylum, donec ad Præfectum Vigilum vel ad Præfect. V. aut præsidem deducerentur, eorumque nomina & notæ, cujus se quis esse diceret, ad Magistratus deferrentur, *l.2. ff. de fugitiv.* 6. Audiat hos Præfectus. Sed quid juvat audisse? Nempe jubeat & dominis, ut vendant bonis conditionibus. Ἴσως, non justo pretio, ut quidam Interpretes censent, sed conditionibus emtioni adjectis honestis, & bonæ fidei. Quod Antoninus constituit Pius. *§.2. Inst. de his, qui sunt sui l. & Gajus, l.1. §. ult. ff. eod.* Fuit hoc rescriptum ad Ælium Marcianum Proconf. Bæticæ emissum. *l.2. ff. d.t. & tit.3. Coll. LL. Mos. à Pithœo edita.* Ob querelas familiæ cujusdam Julii Sabini, *d. l.2. & §. ult. Inst. d.t.* 7. Sed tamen non primus ita in servos pius Imperator Pius. Nam & Hadrianus ante servos à dominis occidi vetuit. *Spartian. Hadr. c. 18.* 8. Et ita jus vitæ & necis, quod domini in servos usurpabant, temperatum fuit. Sed tamen jure quoque divino impune quandoque fuit, servum occidisse, dummodo cæsus ita esset, ne è vestigio occumberet. *Exod.21.* ubi ratio; Quia servus pecunia domini. Vide Selden.

Selden. de Jure Nat. *p. 460.* Cæterùm de fugientibus ad ſtatuas eſt
lex ſingularis Valentiniani , Theodoſii & Arcadii , ad Cynegium
Præf. P. quâ conſtituitur, ut ſi juſtâ ex causâ ſervus eo confugerit,
jure ac legibus vindicetur. Quod non intelligo cum Godofre-
do Patre, ut vindicetur contra injurias ; ſed vindicetur, id eſt, pe-
tatur jure ac legibus à domino per actionem in rem. Ne liceat
domino eum abripere, ſed ut lege agat. Nam ita audiet Præfectus
Servos de dominis querentes. Quòd ſi ſervus calumniatus, ſi pro-
batus fuerit artibus ſuis invidiam inimicis creare voluiſſe , ut lo-
quuntur, quos dixi, Impp. puniri jubentur. Idem reſpondit Calli-
9. ſtratus *l. 28. §. 7. ff. de pœn.* 9. Ubi & qui in invidiam alterius, ima-
ginem Cæſaris prætulit, in vincula publica coërceri dicitur. Quæ
peſtis cum aliis multis Tiberii ævo Remp. invaſit. *Tac. 3. ann.* ince-
debat, *inquit*, deterrimo cuique licentia, impunè probra & invi-
diam in bonos excitandi, *arreptâ imagine Cæſaris.* Et queritur C.
Ceſtius Senator, ſe non audere jus experiri ob effigiem Imperato-
10. ris oppoſitam, *Tac. lib. 3.* Scilicet ab Annia Rufiliâ. 10. Addebant
Impp. hos confugas ante diem decimum neque auferri ab aliquo,
neque inde ſponte ſuâ diſcedere poſſe , ſcilicet , ut intelligi poſſit
cauſa hujus confugii. Quæ verba habentur adhuc in *Cod. Theo-*
11. *doſ.* à Triboniano omiſſa. 11. De ſtatuis autem & imaginibus
agit *Juſtin. lib. 1. Cod.* Et res notiſſima eſt, ſtatuas honori principum
poſitas ſecuritatem præbuiſſe. Vide Emundum Frigellium *de ſtat.
Illuſtr. Rom. c. 34.* Erant & aræ cum apud Græcos tum Romanos
perfugium ſervis. Euripidis Andromache:

ἔχει γὰρ καταφυγὴν, θὴρ μὲν πέτραν
δοῦλοι δὲ βωμοὺς θεῶν.

Apud Plautum , Rudente , Palæſtra atque Ampeliſca ad Veneris
aram ſedent. Nec tamen omnes aras, templa omnia habuiſſe jus
aſyli notat Sam. Petitus *comm. in LL. Atticas, p. 13.* Sed ea tantum,
quibus conſecrationis lege conceſſum erat , Servius *ad 2. Æneid.*
Sub Principibus Chriſtianis etiam Eccleſiæ perfugio eſſe cœpe-
runt, & eſt *tit. Cod. de his qui ad Eccleſ. confug.* Quare quod dicitur
§. 2. Inſt. de his, qui ſunt ſui vel al. jur. Antonium conſultum de his
qui ad ædem ſacram vel ſtatuam Principum confugerint , de æde
ſacrâ Tribunianum adjeciſſe rectè obſervat Cujacius. Nam Juſti-
niani

niani ævo æquè sacrosanctum erat asylum Ecclesiæ, quàm statuæ. Sed hic de asylis pervulgatus jam est locus. Adde *Laur, Pignor. de servis.p.m.11.* 12. Porrò sævitiarum dominicalium, quibus, ut lo- 12.
quitur Capitolinus Macrino, macelli specie domus cruentabantur sanguine vernularum, insigne exemplum Vedius Pollio præbet apud *Senecam 3. de irâ.30.* Et de Clementiâ.*c.18.* Galenus *libr. de dignos. cur. an morb. c.4.* famulos calcibus appetitos, graphis compunctos, dentes eis confractos, oculos stylo & calamo erutos, ancillas morsu dominarum cruentas repræsentat. Et *lib. 6. de Decret. Hippoc. & Platonis* in fine scribit, dominos fugitivorum crura adurere, cædere, lacerare. 13. Ad duritiam pertinebat pi- 13.
strinum, cujus elegans descriptio apud *Apulej. lib. 9. Metam.*
14. Sed & fames, opus ruri faciendum, &c. Geta Terent. *Phorm.* 14.
Act. 2. Sc.1. Addit Ulpianus: 15. *Si obscenitatem, in quam compulsi* 15.
à dominis exponant. Alibi *lib.8. de Off. Procons.* quæ est *l.2. de his qui sunt sui.* dicit, si ad turpem violationem compellat. Si cogatur muliebria pati, ut loquitur *libro 6. ad Edict. l.1. §.6. de postul.* Nihil enim in servos non licere, ex veteri dicto, cujus meminit Seneca in controversiâ de Parrhasio, putabant. Nec solam tangit ἀῤῥενοκοιτίαν, sed & scelus illud, quod Impp. Constantius & Constans execrantur in *l.31. C. de adult.* & omne genus damnatæ Veneris. Vide Gallæum in Lactantium *p.53.* Respicit hûc M. Minucius Felix, *Octavio: Apud quos sexus omnis membris omnibus prostat, qui scortorum licentiæ invident, qui medios viros lambunt, libidinoso ore inguinibus inhærescunt, homines malæ linguæ etiamsi tacerent, qui id in se pessimi facinoris admittunt, quod nec ætas potest pati mollior, nec cogi servitus durior.* Pertinet huc, quod de Sporo Neronis refert *c. 28.* & Nerone ipso *c.29.* Suetonius. Non addam plura, quæ ignorare quàm vel ex Elmenhorstio in Felicem, vel aliunde scire pudor jubet. 16. Diversum ab hisce ἀῤῥήτοις 16.
erat, quod sequitur, nimirum tueri mancipia, ne prostituerentur. Prostituere lenonum est. *l.7. C. de Spectac.* Sed postmodo hæc cura cessit Episcôpis *l. L. si lenones.12. & l.14. Cod. de Episc. aud.* Confer. Fabrot. *ad tit. Cod. de Ep. aud. paratit.* Cujac. *p.61. in fi.* Lenocinium facit, qui quæstuaria mancipia habuerit, ait Ulpianus *lib.6. ad Edict. l.4. §.3. de his qui not. infam.* Seu, qui ancillis peccandi necessitatem

imponunt; ut loquuntur Theodos. & Valentin. *in l. 6. C. de Spectac. l. 12. C. de Episc. aud.* Et hi quidem principaliter hoc agebant. Erant & qui alterius negociationis accessione utebantur, puta, si caupo esset vel stabularius, & ejusmodi mancipia haberet ministrantia. *l. 4. §. ait prætor. ff. de his qui not. infam.* Quod frequens fuisse in cauponis ex *l. 22. & l. 25. C. de adult.* observat Freherus *de infam. lib. 3. cap. 27.* Ex eodemque genere sunt & balneatores, qui impudicos pueros fœminasque habebant, ut Ulpianus *d. l.* quibusdam in provinciis fieri ait. Diversi balneatoribus hisce erant aquarioli, quorum meminit Tertullianus *Apologetico.* Vide Heral. *Digres. 13.* nempe in domo lenonia meretricum ministri, qui aquam his aggererent, easque lavantes aquis perfunderent. Festus: Aquarioli dicebantur mulierum impudicarum sordidi asseclæ. Glossæ eum πορνοδιάκονον interpretantur. Alio nomine Bacariones dicebantur, aquarioli isti, à bacarione, quod genus erat vasis aquarii, longiore manubrio. Glossarium: bacario, πορνοδιάκονος. Multum in illis lustris aquæ usum fuisse notat Casaubonus in Lampridii *Commodo, p. m. 92. n. 30.*

18. 18. Cæterum sub Impp. Christianis Episcoporum implorato suffragio libertatem ex tali necessitate peccandi consequebantur servi. *l. 6. C. de Spectac. & l. 12. de Episc. aud.* præsertim si sub hâc conditione alienata sit ancilla, ne prostituatur. Quo casu Justinianus libertatem ei Romanam confert, & qui eam prostituit, ab omni jure Patronatus repellitur. *l. sing. §. 4. de Lat. lib. toll.*

19. 19. Porrò audire debet & de dominis querentes, suâ pecuniâ emtos, ut manumittantur. *Vid. Marcian. l. 5. ff. de manumiss.* ubi dicit, *Romæ apud Præf. U. in provinciis verò apud Præsidem ex sacrâ Epistolâ Divorum Fratrum ad Urbium Maximum queri servos.* Hi fratres sunt Marcus & Commodus, *l. 3. & 4. C. si mancip. fuerit alienat. ut manum.* Quomodo autem servus suis emi nummis potuerit, qui nihil haberet proprii, vide Ulp. *6. Disput. quæ est l. 4. ff. de manumission.* Videtur certus fuisse locus, quo se conferrent, qui suâ pecuniâ emti se manumitti postulabant, & id indicari ab Ulpiano *l. 17. de ædil. ed.* Ubi apud Labeonem & Cœlium quæsitum dicitur, si qui eò se conferat, quò solent venire, qui se venales postulant, an fugitivus sit? Qui se venales postulant, vix

vix alii sunt, quàm qui nummis suis redemti. Locus, quo solebant venire, non videtur catasta fuisse, quod quibusdam placet. In eâ enim à mangonibus aut dominis producebantur. Equidem Godofredus notat id loci de æde sacra accipiendum, *per §. ult. Inst. de his qui sunt sui, &* altaribus. *l. 3. l. 6. C. de his qui ad Eccles.* sed lex 17. est Ulpiani, qui de æde sacrâ nondum potuit loqui. Deinde secernit asylum, & hunc locum Ulpianus, *d. l. 17.* Cæterum servos demum pronunciavit liberos Præfectus, si nummis suis se redemtos *l. 67. de judic.* probaverint. Aliàs si intentionem suam servus non impleverit, in opus metalli datur. *l. 5. ff. de manum.* Et quamvis summo jure inter dominum & servum pactio non consistat, libertatis tamen favore factum, ut magistratus officium suum interponere posset. *l. 9. C. de cond. ob caus. dat.*

§. 2.

Sed & Patronos egentes de suis libertis querentes audiet, maximè si ægros se esse dicant, desiderentque à libertis se exhiberi.

Eclogæ Leonis d. l. §. 2. *Τῶν πατρώνων, μάλιστα τῶν ἀπόρων ἐπιζητούντων ἀποτραφῆναι, παρὰ τῶν ἀπελευθέρων*, repete *ἀπὸ κοινοῦ, ἀκροᾶται.*

§. 10.

Cum Patronus contemni se à liberto dixerit, vel contumeliosum sibi libertum quæratur, vel convicium se ab eo passum liberosque suos, vel uxorem, vel, quid huic simile objicit, Præfectus Urbi adiri solet, & pro modo querelæ corrigere eum, aut comminari, aut fustibus castigare, vel ulteriùs procedere in pœnâ ejus solet. Nam & puniendi plerumque sunt liberti. Certè si se delatum à liberto, vel conspirasse eum contra se cum inimicis doceat, etiam metalli pœna in eum statui debet.

Basilica: *Σωφρονίζει δὲ καὶ τοὺς ἀπελευθέρους καταφρονοῦντας, ἢ ὑβρίζοντας τοὺς πατρώνας, ἢ τὰς γαμετὰς, ἢ τοὺς παῖδας*

 αὐτῶν

αὐτῶν, ἀπειλῶν, ἢ ἄλλως πρός τι ἁμάρτημα ἐπεξιών. Εἰ δὲ καταμηνύσωσιν αὐτοὺς, ἢ τοῖς ἐχθροῖς αὐτῶν συμπνεύσωσι, μεταλλίζονται.

Eclog. Leon. & Conſtant. Εἰ δὲ συκοφαντήσωσιν αὐτοὺς, ἢ τοῖς ἐχθροῖς αὐτῶν συμπνεύσωσι τυπτόμενοι, καὶ κουρευόμενοι, καὶ ἀναδυόμενοι ἀποδίδονται τοῖς συκοφαντηθεῖσι.

CONSPECTUS.

1. *Libertus tenetur Patronum alere.*
2. *Rutilii Prætoris Edictum.*
3. *Patroni in quantum liberto ſuccedebant.*
4. *Quomodo.*
5. *Patroni jurejurando libertos adigebant ne ducerent uxores.*
6. *Lege Juliâ & Papiâ quomodo Patroni ſuccedebant.*
7. *Quomodo Conſtitutione Juſtiniani.*
8. *Centenarius Juſtiniano quis.*
9. *Explicatur Lex Papia.*
10. *Libertus etiam Patroni parentes & liberos alere tenetur.*
11. *Ægritudo Patroni.*
12. *Quomodo in libertum animadvertatur.*
13. *Corrigere quid.*
14. *Comminari quid.*
15. *παράδειγμα quid.*
16. *Fuſtibus Caſtigatio. Cur admonitio, an infamet.*
17. *Caſtigatio flagellis, ſervorum quomodo fiebat.*
18. *Virgatores Brutii, quare.*
19. *Pœna metalli. Differunt in metallum in opus metalli, & in opus publicum damnatio.*
20. *Tonſura ſervorum.*

1. TEnetur libertus Patronum egenum alere, *l. 5. §. 18. de agnoſc. & al. lib. l. 1. C. de operibus libert.* ad remunerandum tam grande beneficium, quo ex ſervitute ad civitatem Romanam perducuntur liberti. Ulpian. *lib. 47. ad Edict.* quæ eſt *l. 1. pr. ff. de bonis libert.* Quare ſolebant Patroni ſibi proſpicere, & ſæpe
2. duriſſimas à libertis exigere conditiones. 2. Sed Rutilius Prætor edixit, ſe amplius non daturum Patrono, quàm actionem operarum & ſocietatis, in quam ſocietatem Patronus admitteretur. *l. 1. §. 1. ff. de bon. libert.* ſi à liberto negligeretur, vel non exhiberetur, dummodo id pepegiſſet patronus. Poſtea hæc Societas vetita eſt. *l. 63. ff. de oper. libert.* Et præfecti *V.* cognitioni relictum obſequium.

3. Con-

3. Constitutum verò, ut non nisi defuncto liberto jure successionis dimidia peti posset. Meminit hujus dimidiæ Suetonius *Nerone c.32. Instituit, ut à libertorum defunctorum bonis pro semisse dodrans cogeretur ei, qui sine probabili causâ eô nomine esset, quo fuissent ea familia, quas ipse contingeret.* Loquitur de libertis Neronis, quorum è bonis cum ipse communi jure dimidiam tantùm partem vindicare posset, eam ad dodrantem usque perduxit, in eos, qui sine causâ nomina ejus gentilitia usurpassent. Et de hâc partione accipi debent textus in *l. sed cum Patrono 6. ff. de bon. poss. l. 3. § toties l. libertinus 5. l. libertus. 20. §. 1. l. quamdiu. 25. l. si libertus. 33. ff. de bon. libert.* quibus locis, pro dimidiæ, partis substituit Tribonianus, certæ, ut observat *Cujac. ad l. si libertus. 41. ff. de bon. poss. in quæst. Papin.* 4. Et hæc dimidia liberto testato mortuo beneficio Prætoris obveniebat, *l. 1. §. 2. ff. de bon. lib.* Intestato autem liberto, cui sui hæredes essent, patronus excludebatur. *§. quâ de causâ Inst. de success. libert.* 5. Quapropter Patroni jurejurando libertos adigebant, ne ducerent uxores, *l. adigere. 6. ff. de Jur. Patron.* quod lex Ælia Sentia prohibuit, *l. qui extra. 15. ff. de jur. patron.* 6. Postea supervenit Lex Julia, & Papia, qua si libertus esset centenarius, id est, haberet centum millia Sestertiûm, & liberos tribus pauciores, patrono pars virilis debebatur: sin hæredem extraneum, semissis; si verò tres haberet, repellebatur Patronus, *§. 2. Inst. d. t.* 7. Denique Justinianus constituit, ut liberto intestato defuncto primò vocentur liberi, deinde fratres & parentes, tertio loco patronus, inde ejus liberi usque ad quintum gradum. Et tandem collaterales. Sin testamentum relinqueret, patronus per bonorum possessionem contra tabb. tertiam partem hæreditatis auferebat hæredi scripto, si libertus major esset centenario; 8. Sed centenarium jam non definiebat Justinianus centum millibus sestertiûm, sed centum aureis. Quæ Justiniani computatio multis latuit interpretibus, qui crediderunt, centum millia sestertiûm tempore Justiniani potestate & valore æquâsse centum aureos. Cum verò centum illa Sestertia, seu centum millia Sestertiûm efficerent 2500. ducatos, aureus autem Romanus duos ducatos cum dimidio, non potuerunt invenire rationem, quâ centum aurei

respondérent centum sestertiis , seu 2500. ducatis. Planè hîc hæret Bachovius *Comment. Inst. p. 692.* Hotomannus sibi consulit emendando,& pro centum aureis legit, mille : Sed Justiniano non venit in mentem , centum suos aureos potestate exæquare
9. antiquis centum millibus Sestertiûm : Sed quomodocunque se habeat summa Sestertiûm ad aureos, ita interpretari placuit legem Papiam, ut in locum centenarii Papiani substitueret centenarium Justinianum, & pro 2500.ducatis,quos Lex Papia requirebat , non nisi 250. ducatos exigeret. Ut jam Justiniani tempore centenarius decem partibus minor esset centenario Papiano.

10. Tenetur ergo alere Patronum egenum libertus : sed & Patroni parentes & liberos. *l. 5. §. 20. & ult. ff. de agnosc. & al. lib.* pro modo scilicet facultatum. Vide Joh. P. Surdum *de alim. tit. 1. q. 51.* ita ut deducat prius , quod sibi est necessarium ; deinde de eo quod superest libertum alat. *gloss. in c. quicunque c. 16. q. 7.*

11. 11. Inquit Ulpianus : *Maximè si ægros se esse dicant, desiderentque à libertis exhiberi.* Si enim ægritudo servi tanti est , ut in eâ destitutus à domino,ipso jure fiat liber. *l. 4. §. 5. C. de bon. libert.* Si olim ægritudine periclitans , neque alii commendatus, neque in Xenonem missus , vel quo poterat modo adjutus à domino , in libertate latinâ morabatur, postea à Justiniano Civitate Romanâ donabatur. *l. 1. §. 3. C. de Lat. lib. toll.* Cur simile quid in patroni personâ non multò magis æquum videri debeat ? Ait Ulpianus: *Cum patronus queratur* &c. *convicium se ab eo passum, liberosque suos vel uxorem, vel quid huic simile ei objicit.* Quibus casibus Præfectus eum corriget. De convicio vide *l. 15. §. 2. & seqq. ff. de Injur.* Sermo igitur est , de Patrono qui queratur , convicium à liberto passum se , liberosque suos & uxorem , vel si quid huic simile liberto objicit. Quæ verba satis sunt aperta. Ut mirer quid Bachovio ad hunc §. in mentem venerit , qui hæc verba ; *liberosque & uxorem* conjungit, cum verbo *objicit.* Quasi dicat Ulpianus, Præfectus corrigit libertum, qui Patrono suo objicit suos (pro *ejus*, ait Bachov. scil. patroni) liberos aut uxorem. Id est, probrum aliquod uxoris vel liberorum. Satis su-
12. pinè. 12. Denique Ulpianus certos velut gradus præscribit, quibus

quibus in libertum, qui in Patronum, aut uxorem liberosve Patroni contumeliosus sit aut injurius, Præfecto Urbis animadverti docet. Et primò *corrigat*, quod est, ad officium & quasi ab 13.
errore in viam reducere. *Corrigere gnatum*, *peccata corrigere*, Terentii sunt. Sic *corrigere malus labentes*, Suetonii. *Corrigere mores aliorum*, *corrigere vitium legis*, Ciceroniana. *Corrigere ad frugem*, Plautinum. Correctio, *νουθεσία, κόλασις παραίνεσις*, cum pœna adhibetur castigandi atque emendandi causâ, ut is, qui fortuitò deliquit, attentior fiat, correctiorque. Inde *comminabitur*, quod Paulo *l.3. de Off. Præf. Vig.* severâ Interlocutione comminari dicitur, einen scharffen Verweiß geben / Ernstlich verweisen. Τιμωρία, cum dignitas, auctoritasque ejus, in quem est peccatum, tuenda est, ne prætermissa animadversio contemtum ejus pariat, & honorem levet. *Gell. lib. 6. c. 14.* 15. Ter- 15.
tius gradus est *παράδειγμα*, cum punitio propter exemplum est necessaria, ut cæteri similibus à peccatis, quæ prohiberi publicitùs interest, metu cognitæ pœnæ deterreantur, ut loquitur *Gellius 6. 14.* 16. Et hujus generis Ulpianus facit fustibus castiga- 16.
tionem, quam Callistratus admonitionem fustium usurpat. *l. 7. ff. de pœn.* Sed cur vocatur admonitio? Nempe ad differentiam fustuarii capitalis, quâ nudi hominis cervix furcæ inserta, corpus virgis ad necem cædebatur. *Suet. Ner. 49. Victor. Ner. Eutropius lib. 7. Nov. Majoriani de Curialibus.* Cæterum admonitionem liberorum, sed tenuiorum fuisse ex *l. 10. l. 26. §. non omnes. 2. ff. de pœn. l. ult. de injur.* ibi: *fustibus subjiciuntur*, constat. Hinc Impp. rescripserunt *l. 8. C. de repud.* divortii causam esse, si vir uxorem verberibus, quæ ingenuis aliena sit, affecerit. Polybio est *ξυλοκοπία*. Hæc per se non infamat, sed causa. *l. 22. de his q. notant. infam.* Castigatio quæ fit flagellis, servorum erat. 17.
d. l. 10. l. sed est quæstionis. 9. §. pen. ibi: flagris rumpat. *l. ult. de inj. l. levia. 6. ff. de accus. l. 4. §. 1. ff. de incend. ruin. naufrag.* Id quod Lex Porcia (non Porcii Catonis, sed Porcii Læcæ, ut quidem Manutius & Turnebus autumant, *Vide Ant. Aug. de LL. in L. Porcia*) sancit. *Liv. lib. 10. c. 9. sibi Porciam pro tergo civium latam videri.* Cic. *pro Rabir. An de civibus Romanis contra Legem Porciam verberatis aut necatis plura dicenda sunt?* Et paulo post: *Porcia*

Porcia lex virgas ab omnium corpore amovit. Flagella, virgæ, lora, vinculorum verberatio, Calliſtrati *in l. 7. de pæn.* idem in uſu cædendi valent. Nam & flagella de virgis uſurpantur, & virgarum flagella. Et vinculorum verberatio eadem eſt atque lororum. Vide *Salmaſ. in Lamprid. Sever. fol. 231.* Cædebantur autem vincti & nudati, triumvirali judicio, ad columnam Mæniam. Prudentius: *Columna annexus tergum dedit, ut ſervile flagellis.* Hieronym. Epiſt. ad Euſtoch. *Oſtendebatur Paulæ columna, Eccleſiæ porticum ſuſtinens, infecta cruore domini, ad quam vinctus dicitur & flagellatus.* An & pendentes? Ita innuit Libanius Plautinus *Aſin. 3. 2. ubi ſæpe cauſam dixeris pendens adversùs octo valentes virgatores.* Hinc flagrio, verbero, maſtigio, inter elogia Servorum. Ad flagra deducere, Juvenali *Sat. 10.* in ſervitutem redigere eſt. Vide Torrent. *ad Sat. 3. lib. 1. Horat. p. 447. Laurent. Ramirez. πεντηκόντ / c. 36.* Hos virgatores, qui Magiſtratui in provinciam eunti miniſtrabant, fuiſſe Brutios tradit Feſtus, in *Brutiani*, & Gell. *10. 3.* qui hos in pœnam, quòd à Romanis defeciſſent, hâc ignominiâ notatos tradit, ut magiſtratibus in provincias euntibus apparerent, eosque tanquam lorarii in ſcenâ ſequerentur & ad infligenda ſupplicia delinquentibus operam ſuam exhiberent. Vid. Baron. *ad ann. 34. n. 82. & ſeqq. Sigon. de jur. civ. Rom. 3.*
19 *c. 15.* Denique & metalli pœnam in libertum ſtatui poſſe ex causâ, quam memorat, Ulpianus ſtatuit, ſcilicet delationis. At Imp. Claudius ob hanc cauſam libertum in ſervitutem redegit. *l. 5. ff. de jure patrona.* Differunt in metallum & opus metalli damnatio. Utrumque vinculis fit. Sed hoc levioribus, gravioribus illud. *l. 8. §. inter 6. de pæn. l. 5. §. ult. ff. de extraord. cogn.* A quibus differt in opus publicum damnatio, *l. 17. de pæn.* ut ſi quis ad aggeres ducendos, marmor ſecandum, cloacas purgandas, nec non ad remos damnatur, quo refero damnationem ad onera in ergaſteriis, in Zuchthäuſern. Cæterùm hæc pœna in metallum damnandi Præfecto ſpecialiter data fuit, quod ex Epiſtola D. Severi ad Fabium Cilonem probat Ulpianus noſter *l. 8. §. 5. de pæn.* Et has quidem Ulpianus, quem Baſilica exprimunt, pœnas nominat. Alias Leo & Conſtantinus, ſcilicet ut verberati & tonſi in ſervitutem dominis dedantur. Et ſanè hunc ordinem

dinem præscribit Commodus Imp. *in l. 6. §. 1. ff. de agnosc. & al. lib.* liberti coërcendi, cum probatum fuerit, contumeliis Patronos à libertis esse violatos, vel illatâ manu atroci esse pulsatos, aut etiam paupertate, aut corporis valetudine laborantes relictos, ut primum in potestatem dominorum redigantur, & ministerium dominis præbere cogantur. Sed quod de Commodo diximus, id alii Claudio acceptum ferunt, autore *Svet. c. 15.* Alii Neroni, Tacitus *lib. 13. Annal.* Alii Trajano, propter illud Martialis, 10. *Epigr. 34.*

Qui sua restituis spoliato jura patrono.
Libertis exul non erit ille suis.

Adeo ut Cujacius *10. Obs. 33.* dubitet, an ullo pandectarum loco liquido probari possit, libertos ingratos in servitutem fuisse revocatos. Sed verò quod de Claudio & Nerone adfertur, non ad edictum, aut jus commune referendum est: Sed fuit constitutio personalis in unum, alterumque libertum, ob exemplum lata. Ex Martialis epigrammate nihil firmi colligi potest, quamvis id sibi persvadeat Amaya *lib. 2. obs. 6.* Nec enim quæ jura restituerit patrono, & an patronis in genere, an certo individuo, an per edictum, an causâ cognitâ sententiam pro patrono ferens id fecerit Trajanus, liquet. Quare rectè Commodo tribui affirmamus. Quod si liberti nec hoc modo admoneantur à Præside, emtori vult addici & pretium patronis tribui Commodus. Sed de tonsurâ nihil. Novum ergo hoc & post Justinianum satis serò receptum, illo tempore, quo & Longibardis signum erat servitutis capillorum detonsio, ut scribit Aemilius in Carolo M. Clodoveo & Clotario. Vide *P. Gregor. syntag. lib. 16. C. 1. n. 23.* Utrum verò tonsura fuerit propriè dicta, & quæ ejus species, an rasura, quod magis videtur, non liquet.

§. 3.

Relegandi, deportandique in Insulam, quam Imperator assignaverit, licentiam habet.

Basilica: *ἐξορίζει καὶ περιορίζει τοὺς ἁμαρτάνοντας, τοῦ βασιλέως τὴν νῆσον ὁρίζοντος.*

Id est, relegat, & deportat, Principe insulam assignante.

Eclogæ Leon. ἐξορίζει καὶ περιορίζει τοῦ βασιλέως τὴν νῆσον, ἢ ἁπλῶς τὸν τόπον ὁρίζοντος.

CONSPECTUS.

1. *Relegatus quis.*
2. *Deportatus quis, quid amittat.*
3. *Præses non habet jus deportandi inconsulto principe.*
4. *Ulpianus explicatur.*
5. *Ante Severum solus populus & senatus jus deportandi relegandive habebat.*
6. *Præfectus potest relegare & deportare in insulam.*
7. *Quomodo.*
8. *Refutatur A. Faber.*

1. Relegatus est, qui arcetur provinciâ vel Româ, vel suburbiis, vel perpetuò vel ad tempus. *l. 14. ff. de Interd. & releg.* Relegatio deportatione levior. Illâ caput non minuitur. Itaque si Magistratus pronunciaverit; *Relegari in insulam placet,* (quæ forma erat damnandi eâque utitur Antoninus, *in l. Metrodorum. ff. de pœnis.* Et Proconsul in vitâ Cypriani: *Fascium Cyprianum gladio animadverti placet.*) non est necesse adjici: *Salvâ Civitate.* Cujac. *ad l. 8. ff. qui testam. fac. poss.* Deportatus autem comparatur mortuo, in peregrinitatem
2. redigitur. *l. 2. de pœn. l. 3. ad L. Jul. pecul.* Civitate multatur, cognationem amittit, patronatum amittit, bona amittit, & fiscus ei succedit, patriam potestatem non habet, testamentum facere, & ex testamento vel Codicillis capere potest, nisi quid alimentorum, vestiarii aut calcearii nomine relinquatur, ex constitutione Antonini. *l. 16. de interd. & releg.* aut deportatus sit sine principe à Præside. *l. 15. §. 1. de interd. & releg. l. 1. §. 3. de legat. 3.* Cum e-
3. nim præses non habeat jus deportandi inconsulto principe. *l. 1. §. 3. de leg. 3.* priusquam factum præsidis à Principe probatur, nondum amisisse civitatem videtur: Signatè autem dicit Ulpia-
4. nus Præfectum habere licentiam, ut significet ei specialiter hoc indultum fuisse. Nam ita, *quod licet,* accipitur, *in l. 28. §. 2. Quod ejus per leges, &c. licebit, §. 2. l. 28. C. de appellat. l. 8. in medio. C. qui test. fac. poss.* & passim. Et certum est ante Severum, Præfectum ur-
5. bi non habuisse jus deportandi relegandivè. *l. 2. §. 1. ff. de pœn.* sed solum populum & Senatum. *Ulpian. lib. 1. fideic. l. 1. §. 4. de leg. 1.* Quod repetit idem Ulpianus *l. 6. §. 1. de interd. & releg.* & addit, id
6. Epistolâ D. Severi ad Fabium Cilonem expressum esse. Dicitur, præ-

præfectum posse relegare & deportare in Insulam, quam Imperator assignavit, nempe quia insulam ad suæ provinciæ formam pertinentem, quam administret, non habet. *Vid. l. 7. §. 6. de interd. & releg.* Potest ergo pronunciare, se in insulam relegare vel deportare, sed ita, ut scribat Imperatori, ut ipse insulam assignet, ut de præside ita distinguitur in *l. 7. §. 1. de interd. & releg.* Etsi enim Præses in insulam deportandi jus non habet. *l. 6. §. 1. de interd. & releg. l. 2. §. 1. de pœn. l. 1. ff. quando appell. l. 6. §. ejus ff. de injust. rupt.* sed annotare duntaxat in insulam quem esse relegandũ, & scribere Imperatori, ut deportetur, possit. *l. 1. ff. quando app.* relegandi tamen habet potestatem, nõ solùm per se, ad eam insulam, quã administrat, eamque ipse specialiter assignare potest; sed &, si nulla ei subest insula, tamen in genere relegare in insulam potest, dummodo scribat Imperatori, ut ipse insulam assignet. *d. l. 7. § 1. de interd. & releg.* 7.

Errat itaque *A. Faber. Pr. Pap. tit. XI. Princ. 4.* qui putat Præfectum Urbi etiam inconsulto principe deportare potuisse, neque id probat *l. 2. §. 1. ff. de pœn.* in qua non dicitur, quod inconsulto principe posit, sed quod statim post sententiam Præfecti civitas amittatur. Quo differt à Præside. In *l. 6.* autem, §. *1.* nihil quidquam hujus est. 8.

§. 4.

Initio ejusdem Epistolæ ita scriptum est; Cum Urbem nostram fidei tuæ commiserimus. Quidquid igitur intra urbem admittitur, ad Præfectum Urbi videtur pertinere, sed & siquid intra centesimum miliarium admissum sit, ad Præfectum Urbi pertinet, si ultra ipsum lapidem, egressum est Præfecti notionem.

CONSPECTUS.

1. *Territorii Urbici termini.*
2. *Ultra centesimum lapidem non extenduntur.*
3. *Miliare.*
4. *Plinius Columell. Frontin. Isidor. explicantur.*
5. *In Dione mendum tollitur.*
6. *Miliarium cur lapis. Autor Tiberius Gracchus.*
7. *Caput sive principium numerandi.*
8. *In AEmilio Macro diversa lectio.*
9. *Miliarium quid Macro.*

 10. Go-

10. *Godofredus pater refutatur.*
11. *Absens quis. Et de mensuratione miliarium Jure Saxon. Ubi, de A. Scheffero, quaest. 24.*
12. *Regiones vicinae urbi.*
13. *Finitimae. Inscriptio vetus.*
14. *Togata.*
15. *Romana Regio, à Salmasio dissentitur.*
16. *Suburbicaria.*
17. *Hieron: Aleander explicatur.*
18. *l. 13. C. Th. de accus. explicatur.*
19. *Sirmondus refutatur.*
20. *Suburbicaria quaenam.*
21. *Diversa lectio hujus §.*

PEr ista Verba: Committimus urbem nostram fidei tuae, liberam & plenam jurisdictionis potestatem mandari, notat *Bart. hic.* Sed puto magis, esse voluntatis quaestionem: Quid enim si Praefecto praesidiarii militis seu stationarii, einen Commendanten in Bestungen/ ita mandetur? Dicemusne in causis civilibus ei quoque potestatem concessam, jurisdictio-
1. nemque & imperium? Non puto. Dixi supra ad pr. h. Italiam in pr. h. t. συνεκδοχικῶς pro parte certâ Italiae positam constitue-
2. re certos territorii urbici terminos. Quae autem pars illa, & quanta? Ulpianus centesimum milliarium, seu centesimum lapidem pro termino ponit, similiter & Cassiodorus *lib. 6. var. 4. Ditioni tuae non solùm Roma commissa est, quamvis in illa continentur universa; verùm etiam intra centesimum miliarium potestatem se protendere, antiqua jura voluerunt.* Idem probatur ex *l. 2. C. Th. de in integr. restit. & l. 26. eod. Cod. de haeret.* ubi Theodosius, & Valentinianus ad Faustum, Praef. U. rescribunt: *haereticos ab adspectu urbis usque ad centesimum Lapidem expellendos.* Et Ulpianus idem ap. autorem Collationis LL. Mosaicarum *tit. 14. de Plagiariis. Sed enim,* inquit, *jam eo perventum est constitutionibus, ut Romae quidem Praefectus U. solus super eâ re cognoscat, si intra milliarium centesimum sit in Fabiam commissum. Enimverò si ultra centesimum, Praefectorum Praetorio erit cognitio:* Et hinc est, quod Severus cum Praetorianis militibus Romae ob Pertinacis caedem interdiceret, ut urbis finibus omnimodo expelleretur, eos usque ad centesimum lapidem excedere jusserit apud
3. *Herodian. lib. 2.* Erat miliare seu miliarium spacium mille passuum,

ſuum, ſeu ſeptem cum dimidio ſtadiorum, ut docet Svidas: ἑπτὰ γὰρ ἡμισυςάδια ποιοῦσι μίλιον, ait. Et Plutarchus in Gracchis, miliare minùs octo ſtadiis eſſe affirmat. Quod verò Plinius *l. 2. c. 23.* Columell. *lib. 5. c. 1.* Frontin. *de agror. qual.* Iſidor. *orig. lib. 15.* 4
octo ſtadia miliaria tribuunt, eò numerum rotundum & integrum quæſiſſe videntur. Ita centum miliaria efficiebant ſeptuaginta quinquaginta ſtadia. Quare quod ap. Dionem *lib. 52.* de 5.
ſexcentis habetur, procul dubio mendum eſt, & legendum πεντήκοντα καὶ ἑπτακοσίων ςαδίων, ut poſt Lipſium *ad XIV. Tac.* monet Anonymus, de ſuburbicariis regionibus *c. 2.* & probat Aleander Junior. *c. 3.* Idem quod miliarium, erat lapis, *l. propter litem. 21.* 6.
§. 1. & 3. ff. de Excuſ. Tut. quod lapidibus miliaria diſtingverentur, id eſt, lapideis columnis, ſpaciorum ſigna inſcripta habentibus, cujus inventi autor Tiberius Gracchus *Appian. l. Bell. civ. Strab. lib. 5.* Hinc Græci Lapides hos σημεῖα vocant, *Herodian. lib. 2.* Vide Briſſ. *4. antiqu. 8.* Lipſium *de Magnit. Rom. 3. 10.* Quod caput ſive principium numerandi habuerint, docet Æmilius Ma- 7.
cer *in l. 154. de V. S.* nempe non à miliario urbis, ſed à continentibus ædificiis fuiſſe numeratos. Ubi pro miliario vulgatæ edi- 8.
tiones & Haloandrina, *muri*, legunt. Sed rectè Hetruſcæ. Miliarium enim, de quo Macer, erat columna in capite fori Romani, propè ædem Saturni, in quam omnes Italiæ viæ terminabantur. Meminit *Plin. lib. 3. Tac. lib. 17. Svet. Othone. Plutarchus Galbâ. Dio lib. 54. P. Victor. de Region. U. R.* Vocatur & miliarium aureum. *Tac. 1. Hiſt. 27. Dioni* χρυσοῦν μίλιον, Plutarcho χρυσοῦς κίων. Sed putat Godofredus pater, ordinem *in d. l. 154.* inver- 9.
ſum, legendumque mille paſſus, non à continentibus ædificiis, ſed à miliario Urbis, quod conſtet, omnium itinerum caput & finem hoc miliarium fuiſſe. Ego verò nihil immutandum puto. Idque ita demonſtro. Quærit ibi Macer de abſentibus, à 10
quibus vicesima fiſco inferenda, per legem viceſimam ſeu miſcellam, ob quam teſtamentum à præſentibus intra quinque dies, ab abſentibus autem poſtquam advenerit, intra totidem dies erat aperiendum. Cum verò abſentibus viginti millia paſſuum in ſingulos dies, ſeu viginti miliaria darentur, quærebat Macer, an mille illi paſſus, quibus quis abſens, à miliario urbis numerandi?

11. Cum enim is abſens non cenſeatur, qui non eſt extra continen-
tia. *l. 173. §. 1. l. 199. de V. S.* utique ſequitur, illud ſpacium, quod
ab extremo continentium ædificiorum ſeu, ut Plin. loquitur, ab
extremitate tectorum usque ad milliarium eſt, & à Lipſio ſeptem
miliaria continuiſſe putatur. *3. de magnit. Rom. 2.* non debeat
connumerari abſenti, quia intra hoc ſpacium jam pro præſenti
habetur. Cæterum moribus noſtris Saxonicis non à continen-
tibus ædificiis, ut olim conſuluit *H. Gæden. conſ. 12.* ſed à portâ ur-
bis miliaria numerare incipimus usque ad ſepes pagi, per viam
regiam *Coler. deciſ. 215.* Et ſvavis eſt *A. Scheffer q. 24.* dicens, cum
Gœdenii auctoritate fretus conſuluiſſet dicaſterium Jenenſe, ab
hoc Rebuffum tuliſſe, id eſt ſuffragio collegii Jenenſis fruſtratum
fuiſſe. *Feſtivè ſc.* Et ſecundum Colerum nuperrimè reſpondi-
mus Jenæ univerſitati cuidam paganæ in Ducatu Alteburgenſi.
Certum eſt itaque, quod Præfectura Urbicaria Romam, & regio-
12. nes circa eam usque ad centeſimum miliare comprehendit. Di-
13. cuntur hæ regiones VICINÆ Urbi. *l. ult. C. Th. de hab. quo uti
oper. int. urb.* FINITIMÆ urbi provinciæ, in inſcriptione vete-
ri, in ædibus Ducis ab Altaems, quam & Anonymus & Aleander
exhibent:

LUCIO. AURELIO. SYMMACHO. V. C. PRÆFECTO.
URBI. CONSULI. PROPRÆFECTIS. IN. URBE. ROMA. FI-
14. NITIMISQVE PROVINCIIS, &c. Papinio in Soterico Gallici
15. audiunt TOGATÆ. An & Romana Regio? Contendunt Sir-
mondus & Salmaſius. Ille in adventoriâ, hic in Euchariſtico. Non
dubito accedere Salmaſio, & ita intelligendam inſcriptionem
apud Gruterum. Sed de loco Vopiſci, *Probo*, quem pro ſe citat
16. Salmaſius, dubito. Non enim tam locum fugiſſe, quàm Reip.
munera, videtur velle hiſtoricus, ad quæ ex obſcuris locis non
17. adeo patet aditus. An eædem & SUBURBICARIÆ (quemad-
modum ita dicuntur. *l. 9. C. Theod. de ann. & trib. l. 12 C. indulg.
deb. & in Notit. Com. rer. priv.* Item Urbicariæ, *l. 9. C. T. de extra-
ord. mun. l. 3. quibus eq. uſu l. 3. Trib. in ipſ. ſpec. l. un. ſi per obrept.
l. 14. de Indulg. deb.* Et ſuburbanæ *l. 13. C. T. de accuſat. Symmach.
ep. 90. lib. 1. & lib. 2. ep. 74. ad Flavianum.* χῶραι ὑπὸ τὴν πόλιν.
c. 88. Cod. Can. Eccleſ. Univ. Suburbicariæ partes, *l. 12. C. T. de ex-
traord.*

tr aord. mun. Suburbicariæ provinciæ. *Novell. Valent. de Tiron. lib. 2.)* Hæc quæstio ab illustribus & excellentissimis omni doctrinæ genere viris, magnis animi motibus, agitata est, his quadraginta proximis annis, quorum quidam specialem Pontificis Romani diœcesin intra hos centum lapides coërceri vellent, alii non paterentur. Nos breviter & pro instituto. Has ipsas intra centesimum esse suburbicarias satis manifesto probatur *ex l. 13. C. Theod. de accus.* in quâ de suburbanis provinciis judices jubentur ad Præfecturam sedis urbanæ referre, de cæteris ad præfecturam Prætorio. Cur verò Judices istarum regionum ad præfecturam hanc urbicam referant, si non subsint ejus territorio? Id est, si non sint intra centesimum. Idque concedit etiam Hieronymus Aleander in confutatione conjecturæ *p. 26.* Sed excipit suburbicarias, ubi de administratione Præfecti Urbi agitur, eas quidem esse, quæ centesimo Lapide concluderentur. At non semper, ubi regio aliqua suburbicaria nominetur, eam coarctari necesse esse intra limites centesimi miliarii. Quasi dicat, suburbicarias, in quantum sunt intra centesimum, ad præfectum urbi pertinere, sed tamen & ultra centesimum procurrentes suburbicarias esse. At verò si hoc ita est, cur Impp. *in d. l. 13.* op- 18.
ponunt suburbanas cæteris regionibus, cùm potiùs debuissent suburbanas, quæ intra centesimum sint, opponere iis, quæ ultra. Unde enim scire poterant aliter judices suburbicariarum, qui ultra centesimum, an comprehensi essent sub urbicariis, an sub cæteris? Quæ autem sunt illæ cæteræ? Respondeo, Italia omnis, quæ extra centesimum, seu Italiæ provinciæ illæ, quæ nomen hoc sibi proprium fecerant, & à Trebellio Pollione *in Tetrico* recensentur: Campania, Samnium, Lucania Brutiorum, Apulia, Calabria, Etruria, atque Umbria, Picenum & Flaminia, omnisque annonaria regio. Has regiones vocat totam Italiam Trebellius, ut Italia sit omne illud, quod ad urbem non pertinet. Eodem prorsus modo, quo Mecænas apud Dionem *lib. 53.* ubi *τὴν πᾶσαν Ἰταλίαν* incipit *ἀπὸ τῆς πόλεως καὶ τῶν ἔξω αὐτῆς πεντήκοντα καὶ ἑπτακοσίων σταδίων.* Similiter in *l. 2. C. Th. de in integr. rest.* distingvitur Roma, & quæ intra centesimum ejus miliarium, ab omni Italiâ. & *l. 9. de ann. & tribut.* Suburbicariæ regiones ab

omni-

omnibus Italiæ regionibus. Prætetea *in l. 27. C. Th. de appell.* dicitur: *de Sardiniâ, Siciliâ, Campaniâ, Calabriâ, Bruttiis & Piceno, Æmiliâ & Venetiâ, & cateris interpositas appellationes laudabilis sublimitas tua more solenni debebit audire competenti appellation e terminandas. Nec vero ulla poterit esse confusio. Præfectus enim urbis nostrâ responsione conventus* (an contentus) *prædictis cognitionibus temperandum sibi esse cognovit.* Ergò cum ex suburbanis omnibus ad Præfectum Urbi relatum, ex his non relatum, manifestò sequitur has suburbicarias non fuisse. Sed ait Jacobus Sirmondus, illas suburbicarias dici, quæ sub Vicario Urbis. At desiderant *Vindiciæ adversùs Sirmondum* testimonium, vel autoritatem scriptoris, quæ provincias sub dispositione vicarii urbis positas, ita dictas ostendat. Imò quia in Notitiâ ubi recensus agitur istarum Vicarii provinciarum tantùm fit mentio unius suburbicariæ, nempe Piceni, facilè sequitur, reliquas suburbicarias non fuisse. Sanè Sirmondus regerit, Piceno propterea additum esse, quod sit suburbicarium, ut ab altero annonario distingveretur, quod erat sub dispositione Vicarii Italiæ. Sed si propterea quod sub vicario U. erat, suburbicarium audiebat, cur alterum Picenum, quod sub vicario Italiæ, dicitur annonarium? Anne quia vicarius Italiæ solus annonarias habebat? At id falsum. Nam & Tuscia annonaria à Vicario Urbis tenebatur. Ergo & annonaria suburbicaria dicenda. Porrò si quædam provinciæ annonariæ fuerunt sub V.U. duorum alterum sequitur, aut quod non omnes, quæ sub V. U. erant, fuerint suburbicariæ, aut quod quædam suburbicariæ fuerint annonariæ. Utrum eligas, frustra Piceno adjectum, διαγνωρισμοῦ χάριν, esse suburbicario. Sed & Sicilia inter Vicarianas ibi ponitur, quam ex suburbicariis excludit tamen *l. 9. C. de extmord. mun.* Quare suburbicarias non fuisse vicarianas sequitur. Imò quo tempore scribebat Trebellius Pollio, qui annonarias regiones ponit, nondum in mundo erant vicarii vel Urbis vel Italiæ. Et tamen oportet has annonarias Pollionis distinctas hoc nomine fuisse ab aliis. Jam ostendi ergo oportet, à quibusnam, si non ab Urbicariis. Ergo Urbicariæ fuêre, antequam essent Vicarii. Sed satis de hôc negotio. Et fuere itaque suburbicariæ, seu quas

19

præ-

præfectus urbi regebat, omninò quatuor: *Tuscia suburbicaria. Picenum suburbicarium, Valeria & Regio Latina.* Vide Salmasium *in Eucharist. part. 1. c. 5.* Porrò dicitur in textu nostro, *quod ultra ipsum lapidem egressum est præfecti notionem.* Vulgata Exemplaria, ut & Haloandrina: Si ultra ipsum lapidem egressum est. Præfecti U. notio non est. Et putant passivè hôc locô dici, egressum est. Sed rectè interpunctio ponitur post, lapidem.

§. 5.

Si quis Servum suum adulterium commisisse dicat in uxorem suam apud Præfectum U. erit audiendus.

Basilica: Καὶ παρὰ αὐτῷ κατηγορεῖται δοῦλος παρὰ τοῦ ἰδίου δεσπότου ἐπὶ μοιχείᾳ τῆς ἰδίας γαμετῆς. Apud ipsum accusatur servus à domino suo de adulterio uxoris suæ.

CONSPECTUS.

1. Adulteri dominarum, servi.
2. Æmilia lepido correpta ob servum adulterum.
3. Ante Marcum servus non poterat adulterii postulari.
4. Explicatur l. hos accusare. 12. §. ult. de accus.
5. Servus an possit relegari, ubi de l. 2. ff. Qui & à quibus man.
6. Brissonius, Lyclama: Pacius. Godofredus ad partes vocantur.
7. l. 2. C. de sepul. viol. explicatur.
8. Mureti lectio probatur.
9. Ante Marcum liberum erat domino servum occidere.
10. Cui Lex Petronia derogavit.
11. & Imp. Hadrianus.

HOc genus subsessorum Romæ non infrequens fuisse vel Severi & Antonini Constitutio arguet, de quâ *pr. Inst. de hæred. inst. vers. est tamen casus.* & *l. 84. §. 1. ff. eod.* Et Æmi- 1.
lia olim lepida, juveni Druso nupta, à delatoribus corre- 2.
pta ob servum adulterum. *Tac. 6. Ann. 40.* Nec tantum, quæ per adulterium fiebat, sed omnis omnino cum servo proprio conjunctio severè à Constantino prohibita. Apud Marculphum charta exstat, de agnatione, si servus ingenuam trahit c. 85. quâ dominus servi, qui puellam ingenuam rapuit, sopitâ controversiâ cavet, ut

L libe-

liberi nati, ex his nuptiis fierent ingenui. Quod abs his literis igitur factum non fuisset. Est & alia sub eodem cap. formula, quâ ingenua sponte servo se jungens libertatem amittebat. Ex SCto Claudiano, ut etiam lege salicâ. *l. sing. C. de mulieribus, quæ se prop. serv.* Imò nec libertum ducere licebat patronæ. *l. si patrona 73. ff. de R.N.* Hinc Julia quædam matrimonium cum quodam servo, sed tum emancipato, contractura, supplicavit Anthemio, ne sanctio Constantiniana sibi noceret. Vide *lib. LL. D. Authemii tit. 1.* Ratio fuit, quod præsumeretur mulier manumittendo servum, eique nubendo, ei ante copiam sui fecisse. Facit quod Poëta habet *lib. 6. Epigr. 22.*

Quod nubis, Proculina, concubino,
Et mœchum modo nunc facis maritum,
Non nubis, Proculina, sed fateris.

3. Et servi isthæc proprii accusatio rescripto D. Marci introducta: *l. 5. ff. de accusat.* Quid ita? annon licuit servum perinde ut liberum ante Marcum adulterii postulare? Sanè poterat servus non quorumlibet judiciorum publicorum reus fieri, nempe quibus pars bonorum erat publicanda, aut libertas vel civitas adimenda, veluti L. Juliâ de vi privatâ, Corneliâ, de vi privatâ, Cornelia,
4. de injuriis *l. hos accusare 12. §. ult. de accus.* ubi JCtus in genere definit. Idem dicendum de cæteris legibus, quibus pecuniaria pœna irrogatur. Et addit: vel etiam capitis, quæ servorum pœ-
5. nis non convenit, sicuti relegatio. Nempe quia caput non habet servus. Sed cur addit de relegatione? Nam nec ea quidem, quæ in perpetuum est, inter capitales pœnas refertur, *l. capitalium. ff. de pæn.* Et quanta pœna servo, ab oculis domini removeri, quod ipse suâ sponte expetiturus erat? Et tamen relegari servum posse ostendet *l. 2. ff. qui & à quib. manum. lib. non fi.* Sed & *l. 2. C. de sepulch. viol.* quæ componendi ratio? Brisson. *lib. sing. ad L. Jul. de adult. p. m. 129.* cum Johanne Glossatore, voculam, *sicut*, in *d. l. 12. de accus.* sic accipit, quasi contrarium ejus, quod præcesserat, negati affirmet, hoc modo, quod quemadmodum relegatio servis compe-
6. tat, non competat eis pœna capitalis. Cujus explicationis inventionem sibi M. Lyclama tribuit. *2. Memb. 10.* Dionysius a. Godofredus contra in *l. 2. qui & à quib. man.* de deportato accipit. Quod ver-

verborum proprietas non admittit. Jul. Pacius *Cent.7. c.60.* distingvit ex *l. 2. C. de sepul. viol.* utrum servus consensu domini deliquerit, nec ne, ut priori duntaxat casu relegari possit, non posteriori, hâc ratione, quod relegatio servi magis domino, quàm servo noceat. Equidem cum *d.l.2. qui & à quib.* facilè transigi posse putem. Quid enim si ita accipiamus? Si relegatus ultra tempus concessum in urbe manens deportatur, *l. 4. de pœn.* Deportatorum autem bona confiscantur. Quamvis hæc explicatio in divinationem incidat. Magis itaque est, ut cum Nicol. Antonio JCto nostri ævi nemini secundo *lib. 1. de Jur. exul. c.3.* Et Jac. Godofredo *ad l. 1. C..T. de sepul. viol.* de relegatione privata intelligamus. Sed durior est *l. 2. C. de sepul. viol.* conciliatu. Quid si 7.
cum Mureto *obs. jur. lib. sing. c. 2.* pro, *si servus*, legatur, *si quis?* 8.
Quæ lectio, fide Codicis Theodosiani nititur, & probat J. Godofr. nimirum de servo planè non agi. Vide Nicol. Antonius, tractatu de exilio *lib. 1. c. 3. n. 8. & seqq.* Sed nunc in orbitam. An ergo potuit ante Imp. Marcum servus proprius adulterii postulari? Et negat Ulp. *lib. 3. de adult. in l. 5. ff. de accus.* Nempe ante Marcum 9.
liberum erat domino servum occidere, jure domini, quod est, vitæ & necis. Huic juri derogavit primum Lex Petronia, quâ do- 10.
minis potestas ademta servos ad bestias depugnandas tradere.
l. 11. ad L. Corn. de Sicar. Deinde Hadrianus Imp. servos ab domi- 11.
nis occidi vetuit, eosque damnare jussit per judices. Et quamvis Antoninus Pius constituisset, ne domino plus in suo liceret servo, quàm in alieno, ut tradit *Cajus Inst. lib. 1. tit. 5.* Tamen id ad hoc genus adulterii pertinere forsan non crediderunt domini, ut Marci denique constitutio desideraretur.

§. 6.

Sed ex Interdictis, Quod vi aut clam, aut Interdicto, Unde vi, audire potest.

Basilica: κινεῖται παρ' αὐτοῦ καὶ τὸ περὶ βίας.

CONSPECTUS.

Cur ex Interdictis, quod vi aut clam, & Interdicto, unde vi, audire jubeatur?

L 2 Cur

CUr verò ex his duobus duntaxat? Forſan quia omnia crimina ad eum pertinent. Vis autem crimen eſt, ob quod interdicta hæc competunt. Vel quoniam urbis ſecuritas ejus fidei commiſſa, ad quam pertinet, ne qua cui vis fiat. Pertinet huc Taciti *lib. 6. Ann. 11.* ubi dicit, ad præfectum pertinere, ſi quod civium audaciâ turbidum.

§. 7.

Solent ad præfecturam Urbis remitti etiam tutores ſive Curatores, qui malè in tutela ſive curâ verſati graviore animadverſione indigent, quàm ut ſufficiat eis ſuſpectorum infamia: quos probari poterit vel nummis datis tutelam occupaſſe, vel præmio accepto operam dediſſe, ut non idoneus tutor alicui daretur, vel conſultò circa edendum patrimonium quantitatem minuiſſe vel evidenti fraude pupilli bona alienaſſe.

Baſilica: *Παραπέμπονται αὐτῷ οἱ κακῶς διαγινόμενοι κηδεμόνες, καὶ μείζονος ἐπεξελεύσεως χρήζοντες· καὶ οἱ δεδωκότες χρήματα ἐπὶ τῷ ἐπιτροπεῦσαι, ἢ λαβόντες εἰς τὸ ἐμποδίσαι γενέσθαι ἐπιτηδείους· καὶ οἱ ἐπίτηδες ἧττον ἀπογραψάμενοι τὰ τοῦ νέου πράγματα, ἢ φανερῶς κατὰ δόλον ἐκποιήσαντες.*

CONSPECTUS.

1. *Prætor Urbanus jus removendi tutorem habebat.*
2. *Graviter puniendus ad Præf. U. remittitur.*
3. *Facta atrocia quænam.*

1. SI graviori animadverſione indigent, *inquit JCtus.* Prætor enim Urbanus ſolùm habebat jus removendi, ſicut & legatus Proconſulis. Etſi dubitatum de eô fuiſſe appareat ex *l. pen. de off. ej. cui mand. eſt jurisd.* inprimis ex *l. 1. §. 4. ff. de ſuſpect. tut.* Neque ergo is poterat extra ordinem punire tutorem remotum. *l. 1. §. ſuſpecti ff. ad SCtum Tur-*
2. *pilli.* Nam, ob facta atrociora in tutelâ admiſſa, apud Prætorem

rem accusatus ad Præf. U. remittitur graviter puniendus. *l. 1. §. ult. ff. de susp. tut. V. G. Vinculis publicis. l. 3. §. pen. ff. eod.* Scilicet si sit de Plebejis, sed libertus, etsi nihil aliud fecit, quàm quod fraudulenter tutelam filiorum Patroni gessit, tamen ad Præf. U. remittitur. *l. 2. ff. de susp. tut.* 3. Hæc autem facta atrocia, quæ hìc recenset Ulpianus, totidem verbis repetit Marcianus *lib. 3. Inst.* cujus est *l. 9. ff. de Tut.* Et pertinet eò quoque *l. 3. ff. §. 15. ff. de susp. tut. & Curat.* 3.

§. 9.

Præterea curare debebit Præfectus Urbi, ut nummularii probè se agant circa omne negotium suum: & temperent his, quæ sunt prohibita.

Basilica & Eclog. Leon. & Constant. tit. 4. φροντίζει καὶ τοῦ πιστῶς συναλλάσσειν τοὺς τραπεζίτας, καὶ ἀπέχεσθαι τῶν κεκωλυμένων.

CONSPECTUS.

1. *Numularii.*
2. *Differunt ab argentariis.*
3. *Eorum certum corpus, officium publicum.*
4. *Negocia.*
5. *Ad illorum mensam pecunia deponebantur.*
6. *Scriptura mensæ.*
7. *Obligatio nominum sine stipulatione unde.*

NUmularii, argentarii, ἀργυραμοιβοὶ, ἀργυρογνώμονες, κολλυβισταὶ, mensarii, τραπεζῖται, Coactores *l. antep. §. argentarius ff. de statu lib.* argentariæ mensæ exercitores, ἀργυροπρᾶται, numos dicebantur vendere, pro numis, quos dabant permutanti alios lucelli aliquid accipientes, quod collybus dicitur, Latinè *aspratum.* Cujac. *obs. 10. c. 14.* Suidas: ἀργυραμοιβὸς, ὁ κέρμα ἀντὶ ἀργύρου ἀλλασσόμενος, ὁ τραπεζίτης, ὁ ἀργυροπράτης, κολλεκτάριος. Idem repetit in voce κολλεκτάριος. Et totidē verbis Glossæ Labbæi in κολλεκτάριος. Sic appellantur & in *l. quisquis. C. si certum petatur.* Propriè tamen differunt argentarius & numularius, ut hic ejus quasi institor, 1. 2.

minister & mercenarius sit; Ille exercitor, & ut Justinianus appellat οἱ τραπέζης προεστῶτες, ἢ προεστηκῶτες. Distingvit eos invicem Paulus *lib. 3. ad Edict.* unde *l. 9. §. 2. ff. de edend.* Et vel ex hoc titulo quoque colligere est differentiam. Hic enim 5. numulariorum mentionem facit. Quare si prorsus iidem fuissent argentarii, compilatores juris statim subjecissent *l. 2.* quæ de argentariis. Id enim ab ipsis plerumque servari patet.

3. Erant hi coactores, qui in auctionibus pecuniam ab his cui quid venditum fuerat, cogebant. Fuit eorum certum corpus sive σύστημα, quorum erat publicum officium. *l. argentarius 10. ff. de edend. l. quod privilegium. ff. de positi.* fides publica. *l. si ventri §. in bonis. ff. de reb. auct. jud. possess.* tabernas & mensas cum ære

4. in foro positas habebant. *l. qui tabernas. ff. de contrah. emt.* Eorum negocia ferè erant trium generum, ut auctionarentur quorumcunque res. *l. 8. de Solut. l. 18. de petit. hæred.* ut argentum signatum venderent, aut examinarent, quanti esset numus aut solidus aliquis, cujus auri, an probus, an subæratus, an æqui

5. ponderis; ut fœnori nummos locarent. Sed & apud eorum mensam pecuniæ deponebantur custodiendæ. *l. 7. §. 2. ff. dep.* Hinc qui pecuniam solvebant Creditoribus suis, aut qui etiam aliis fœnore collocabant, vel eam ex arcâ suâ sumere solebant, vel ex mensâ numularii; quæ ibi deposita servabatur, aut fœnore collatâ, vel etiam si versuram facturi erant, sub usuris à mensario accipiebatur, idque exprimebatur in Chirographo, utrum ex ar-

6. câ, an ex scripturâ mensæ numeratum esset. Quæ scriptura mensæ nihil aliud erat, quàm numeratio pecuniæ per mensarium factæ, quam quia in codicem rationum referebat numularius, inde scripturæ nomen, quemadmodum Græcis διαγραφὴν ποιεῖν est numerare pecuniam, de quâ per scripturam ante numulatio erat cautum. Jubebantur enim numularii quod jussu contra-

7. hentium gerebant diligenter perscribere, ut Cajus ait in *leg. argentar. 10. ff. de edend.* Hinc æquum prætori visum est, ut argentarii rationes iis, quorum causâ confectæ, exhiberent etiam acturis adversus ipsos. Et ex hâc scriptura nascebatur obligatio nominum sine stipulatione. Cujac. *in l. si plures. 9. ff. de pact.* Vide Sigon. *lib. 1. de jure civ. c. 11. & lib. 2. c. 10.* Salmas. *de usur. & de fœn.*

fæn. Trapez. Ut ergo negotia sua fideliter gererent ; Præfectus curare debebat, de quibus Marcum Philosophum tulisse Capitolinus tradit.

§. II.

Cura carnis omnis, ut justo pretio præbeatur, ad curam Præfecturæ pertinet. Et ideò forum suarium sub ipsius cura est, sed & cæterorum sive pecorum, sive armentorum, quæ ad hujusmodi præbitionem spectant, ad ipsius curam pertinet.

Basilica : *Φροντίζει δὲ καὶ δικαίοις τιμήμασι τὸ κρέας πιπράσκεσθαι.* Eodem modo & Leo.

CONSPECTUS.

Pertinuit ad Præf. U. cura annonæ & rerum venalium populi *R. l. 1. C. h. t.* & sub ejus dispositione erat præfectus annonæ, ut est *in notis.* Vide Lips. *ad 1. ann. Tac. c. 7. & ad Sen. de brev. vit. c. 18. August. de Civ. D. 3. c. 17. Val. ad Amm. p. 351.* Vide Zonaram *in Theoph.* Unde ei sæpe imminuisse magna pericula si plebi satisfactum non esset, ut ex Ambrosio *Epist. 29. ad Theodos. observat Vales. ad Amm. lib. 27. p. 332.* Quemadmodum cura annonæ militaris ad Præfectum prætorio pertinebat. Vales. ad Ammian. *lib. 14. p. 18. & 47.* Annona intelligitur quicquid ad victum pertinet, *l. 6. de extraord. crim. t. 1. ff. ad L. Juliam. de* 1. 2.

de ann. l. un. C. de ann. & capit. De Præfecto a. annonæ confer Lipsium ad Ann.Tac. *c.7.* & ad Senecam de brevitate vitæ. Augustin. *de civ. Dei c. 17. Lipſ. lib. 1. Elect. c. 8.* Solius autem carnis mentio-
3. nem facere credo Ulpianum, quod cætera ad præf. annonæ spe-
4. ctarent, *l. 1. C. h. t.* Caro autem erat, inprimis porcina, populo valde grata, cujus in eum distribuendæ autor Aurelianus, teste
5. Vopisco. Ejus, ut & bubulæ libra vendebatur octo minutis. Sub Alexandro redacta est ad duos minutos. *Lamprid. Alex. c. 22.*
6. Verba Historici ita habent: *Cum vilitatem P. R. ab eo peteret, interrogavit per Curionem, quam speciem caram putarent. Illi continuò exclamaverunt carnem bubulam atque porcinam. Tunc ille non quidem vilitatem proposuit, sed jussit, ne quis suminatam occideret, ne quis lactantem, ne quis vaccam, ne quis damalionem, tantumq; inter biennium & propè annum porcina carnis fuit & bubula, ut cum fuisset octo minutalis libra, ad duos unumq; utriusq; carnis libra redigeretur.* Desideravit populus *vilitatem.* Ita enim ex libris regiis & Puteani membranis Casaubonus emendavit. Et ita quoque Palatinos duos Codices legisse testatur Gruterus ad hunc Lampridii locum, libris editis mendosè *edulitatem* præferentibus.
7. Pro quâ tamen nihili voce totoque ignoratâ Latio acriter contendit Duarenus, *1. disp. 26.* pro Duareno Donellus *16. Comment. 15.* pro Donello Hilliger. *lit. P.* Sed nec analogia patitur, ut præstatio rerum edulium edulitas appelletur, & simile vix ostendere poterit Donellus. Frustra ergo est, quando audacem manum (procul dubio intelligens Cujacium) Lampridium corrupisse paratragœdiatur. Nec moror Hilligeri, RECTE. Non enim mutata lectio manus Cujacianæ, aut Casaubonianæ, Gruterianævè, quos & Salmasius sequitur, facinus, sed ab auctoritate MSCtorum optimæ notæ est. Neque sententia loci controversi sensum alium fert. Nam si non annonæ *vilitatem*, sed largitionem *edulium* populus petiit, cur quæsivit Alexander, quam speciem caram putarent? Quasi verò largitio solius carioris annonæ fuerit? Deinde nec largitio annonam efficit viliorem, quam tamen suâ constitutione viliorem effecisse historicus innuit. Ait enim, non proposuisse quidem *edulitatem*, ut legunt Duarenus & Donellus, sed effecisse tamen, ut ex octo minutali libra porci-

næ &

næ & bubulæ, duorum aut unius minuti libra fieret. Ergo nihil secundum petita populi Alexander fecisset, desiderantis rerum edulium largitionem, siquidem largitionem non præstitisset sed vilitatem tantùm bubulæ & porcinæ. At id quod populus flagitaverat, facere voluisse Alexandrum Lampridius, sed per edictum tantùm id efficere noluisse, ostendit. Si ergo illud, quod à populo petitum erat, non quidem per edictum, sed re ipsâ effecit Alexander, utique vilitas petita fuerat. Eam enim, non largitionem fecit. Nec ferit Dilemma Donelli, quod ita ferè habet: *Dicit Lampridius, Alexandrum non proposuisse vilitatem. Aut igitur proponendi verbo intelligas Alexandrum non præstitisse, non exhibuisse, non effecisse vilitatem, & textu ipso refutaris, quia Lampridius indicat, vilitatem ab eo maximam inductam: aut* proponendi verbum *significabit, Alexandrum sibi non proposuisse, non animatum fuisse exhibere vilitatem, & id quoq; erit falsum. Nam Lampridius indicat, id maximè egisse Alexandrum.* Non, *inquam,* urget Donellus. *Proponere* est usi- 6.
tatâ satis significatione *publicè edicere, per edictum proponere,* eodem sensu, quo vilitati studere dixit Marcellin. de Juliano. *lib.22. p.226.* Et Lampridius de Commodo, adeoque sic datur tertium, ut Magistri loquuntur. Quare vox illa nauci *edulitas,* neq; obtrudenda erat Papiniano in *l. 17. ff. de Compens.* quod agunt Duarenus & Donellus. Sed omninò ibi retinendum *ædilitatis.* Nec obstat, quod Donellus causatur, servatâ hâc lectione, quâ ædilis proponatur tractâsse annonam publicam, non posse causam annonariam non esse, adeoque denegari compensationem, per *l.3. C. de compens.* quæ tamen retentâ *ædilitatis* voce in hôc textu concedatur. Perperam enim Donellus putat, nullum debitorem ex causâ frumentariâ compensare posse, quod nuspiam in jure traditur: sed hoc juris est, quòd debitor Reip. duntaxat, seu qui Reip. aut fisco ex causâ añonariâ debet, is demũ compensare non possit. Jam si ædilis arctiorem annonam præbuit, seu parcius & malignius annonam distribuit, quàm debebat, certè inde nequaquam fit debitor Reip. sed singulorum, quos justo annonæ modo fraudavit. Sed hâc de re latiùs egimus recitationibus publicis *ad tit. ff. de Compens.* Redeamus ergo ad carnem, cujus sub Alexandro libra duobus aut uno minuto etiam venibat. Et alias Romæ magnam carnium vilitatem fuisse Plinius 10.

lib. 18. c. 3. auctor est, & assibus singulis XII. carnis pondo aliquando vendita. Minutus, λεπτὸν Græcis, Hero Alexandrinus in fragmento de re numariâ, δηνάρια δὲ ἦσαν ἐκεῖνα δύο, τὰ ὑπὸ τῆς χήρας εἰς τὸ γαζοφυλάκιον βεβλημένα, ἃ καὶ δύο λεπτὰ ἐκαλεῖτο. Erant ergo denarii. Vide Dn. Gronovium de sestert. p. 196. Hilarius in enarratione Psalmi 128. duos denarios inopis viduæ acceptiores domino ait copiosis divitum numis. Duo denarii Hilarii sunt Evangelistæ, δύο λεπτά. Vide Salmas. Vopisco *p. m. 355. lit. E.* Denarius erat octava pars unciæ, cui quatuor sestertii æquivalebant. Minutus ergo argenteus faciebat einen halben Reichs-ort. 3. gr. Epiphanius Σίκλος, ὃ λέγεται καὶ κοδράντης, τέταρτον μέν ἐστι τῆς οὐγκίας, ἥμισυ δὲ τοῦ στατῆρος, δύο δραχμὰς ἔχον.

11. Cura hæc fuit, ut præberetur justo pretio caro, ut præsto esset, ut copia haberetur justo pretio. Præbere enim est facere, ut haberi, comparari possit, non est tradere. Vide Connan. *lib. 3. c. 7. n. 3.* Quare & forum suarium & cæterorum sive pecorum, sive armentorum ad ipsius curam spectabat. Et condita in horreis urbis curabat.

12. *l. 1. C. de condit. in publ. horr.* Id est corporatorum curam, quales pistores, suarii, boarii, pecuarii, susceptores vini, lignorum, frumenti, olei portitores, calcis coctores, qui in certum corpus coacti, & ei corpori, quasi servitute obstricti erant, ex officio habebat. Vide *tit. C. de privileg. corp. U. R. de pistor. de suar. suscept. vin. & cat. corp. lib. XI.* Inprimis suarii immunitatibus gaudebant, quos Porcinarios Urbis æternæ nominant Impp. *in l. C. de suar. ut sordidis fun-*

13. *ctionibus liberentur.* Actiones excipiebant & inferebant ap. Præf. U. sub cujus dispositione legimus in Noticiâ fuisse etiam Tribunum fori suarii, de quo inscriptio : *Fl. Ursacius V. P. Tribunus co-*

14. *hortium Urbanarum X. XI. & XII. & Fori suarii.* Et vendebatur ad pondus, non oculorum libertate. *l. 4. C. Th. de suar.* Id erat exagio

15. vendere. Huc pertinet Turcii Aproniani P. U. auctoritas, quam Volaterranus *Anthropol. lib. 20.* & Gruter. *in ser. 6. p. 647.* repræsentat, exstantem in hortis ad ædem Apostolorum, cujus meminit & Cujacius. (Præfecturam Urbicam is Apronianus iniit Constantio II. & Constante Coss. pridie Idus Julias. A. C. 339. Ita verò habet:

Ex autoritate Turcii Aproniani Præf. U.

Ratio docuit, utilitate suadente, consuetudine mercandi,

(*forte*

(forte micandi) summotâ, sub exagiô potius pecora vendere, quàm digitis colludentibus tradere, ut appenso pecore, capite, pedibus, & sevo lactante, & subjugulari lanio cedentibus, reliqua caro cum intraneis proficiat venditori sub conspectu publico, fide ponderis comprobata, ut quantum caro occisi pecoris appendat, & emtor norit, & venditor commodis omnibus à prædâ damnatâ, quam Tribunus, officium, Cancellarius & scriba de pecuariis capere consueverant. Quæ forma interdicti & dispositionis sub gladii periculo custodienda mandatur: Fuit hic Turcius Apronianus alius ab eo, quem Juliano Aug. quarto consulatu, A.U. 1115. Christi 363. Præfectum urbi instituit. *Amm. Mar. lib. 23.* Non enim è Turciis fuit, uti putavit Panvinius, *sub an. dic.* & Briss. *1. antiq. 6.* Sed è Flaviis. Flavio n. Aproniano, P.U. scripsit Jovianus A. Jul. A. IV. & Sall. COSS. *l. 3. C. T. de suar. pecu. & suscept. vin.* Sed hæc velut perviam.

Præ aliis grata fuit populo porcina, quam primus gratuitò præbuit Aurelianus, *Vopisc. Claud.* Quo facit Constitutio Constantini ad Lucrium Verinum. *l. 2. de Th. de suar.* Et altera Juliani (uti legit *Cod. Th. l. 3. de suar.* Sed perperam. Legendum n. *Joviani.* 16.
Nam Julianus jam tum occiderat.) ad Fl. Apronianum. *l. 3. C. T. de suar.* ut porcinæ species periculo suariorum populo adfatim præbeatur. Hodiè in Imperio Germanico cura annonæ pertinet ad circulos. *Limn. tom. 4. ad lib. 1. 7. 32.* Et in Comitiis ad Mareschalcum Imperii. *Arum. de Comit. c. 6. n. 80.* Vide Goldast. *par. 2.* Reichsh. 17.
p. 291. & 361. & par. 1. Reichshändel *p. 91. & p. 133. Reform.* guter Policey *Anno 1530. tit.* Von theuer zehren *& Anno 1548. tit.* Von etlichen Artickeln darinnen. *vers.* Dieweil Policey-Ordn. zu Franckfurt *Anno 1577. tit. 15. vers.* Dieweil.

§. 12.

Quies quoque popularium & disciplina spectaculorum ad Præfecti Urbi curam pertinere videtur: Et sanè debet etiam dispositos milites stationarios habere, ad tuendam popularium quietem, & referendum sibi, quid ubique agatur.

Basilica: *Καὶ τῆς εἰρήνης ϗ τῆς τῶν θεωρειῶν καταστάσεως ϗ ἔχει στρατιώτας ἐπὶ τῇ εἰρήνῃ, ϗ ἐπὶ τὸ ἀναφέρειν αὐτῷ τὰ πανταχοῦ κινούμενα.*

CONSPECTUS.

1. *Populus, popularis.*
2. *A Lipsio disceditur.*
3. *Aurigarum seu agitatorum quatuor genera coloribus vestium distincta.*
4. *Milites stationarii cui usui.*
5. *Statio militum.*
6. *Spectaculis praerat Trib. voluptatum Romæ.*

1. POpulus, Popularis, pro factione circensi. Vopisc. *in L. Vero. In tanto autem equus ille honore fuit, ut ei à populo prasinorum sæpe modius aureorum postularetur.* Juvenalis: Accipe victori populus quod postulat aurum: Eodem modo, quo δῆμος Græcis Epigrammate in Porphyrii laudem *lib 3. Antholog.* Sic Sallustius: *Catilina cum ad jusjurandum populares sceleris sui adigeret.* Seneca, de vitâ beatâ: *Mea quidem hæc sententia est, invitis hoc nostris popularibus dicam, sancta Epicurum & recta præcipere.* Ubi populares suos appellat stoicos. Sic *populares conjurationis* idem

2. Sallustius. 2. Non enim placet *popularia* exponere cum Lipsio *3. Epist. qq. 18.* & Pacio *analy. Cod. h. t.* id est consessum theatralem populi, ut equestria equitum. Quò refert ille Callistrati. *l. 28. §. de pœn.* turbulentes acclamationes. Quod notat Casaubonus quoque ad Capitolin. Confer. *Cujac. 8. Obs. 29.* Vide Phil. Ruben. 1. Elect. 14. ubi emendat glossas: Populares, στρατιῶται, legitque πατριῶται. Eodem sensu Pomponius JCtus L. 2. *f. 11. de O. I.* partes usurpat. Per partes, inquit, evenit, ut necesse esset Reipub. per unum consuli: Id est per factiones. Quod aliquam multis bonorum auctorum pars allelissmis exornat piæ memoriæ Rupertus ad Pomp. p. 136.

3. 3. Tralatitium est, fuisse quatuor aurigarum seu agitatorum genera, vestium coloribus distincta, Prasinos, Venetos, Russatos, Albatos. Vide Panvin. *de Lud. Circ. lib. 1. c. 10.* quorum studia ad seditiones & turbas usque sæpe procedebant. Vid. *Tac. 1. Annal. 77. & 13. A. 25. 11. A. 12. Procop. in ἀνεκδ. Cassiod. 1. V. 32.* Ubi in fine, pro,

4. partium, lege, Prasini. Præfecti ergo erat quietem popularium & disciplinam spectaculorum curare in Urbe. In provinciis hæc theatrorum εὐκοσμία spectabat ad Præsides. *l. 28. §. 3. de pœn.* Athenis Archonti erat curæ. Et qui non parebant, ab Archontis apparitoribus submovebantur. Demost. ἐν τῷ κατὰ Μειδίου. Vide Cassio-

Caſſiodorum *var. lib. 1.32.* & propterea diſpoſitos milites ſtationarios habere. *Tac, Ann. 13. Fine anni ſtatio cohortis adſidere ludis ſolit demovetur. Quo major ſpecies libertatis eſſet, utque miles theatrali licentiæ non permixtus incorruptior ageret, & plebs daret experimentum, an amotis cuſtodibus modeſtiam retineret. Suet. lib 6. Sed adjuvante vulgi preces ſtatione militum, quæ tunc excubabat, repræſentaturum ſe pollicitus eſt, ac ſine morâ nomen ſuum in albo profitentium citharœdorum inſcribi juſſit.* Statio militum milites 5.
certo locô diſpoſiti, Suet. Aug. *c.32.* ut ſtatio germanorum. *Ner. c.34.*
fori, militum, Chriſtianorum Merill. *5. Obſ. 5.* Porrò diſciplinæ 6.
quoque ſpectaculorum præerat Tribunus voluptatum Romæ, de quo formula Caſſiod. *lib. 7. c. 10.* Vide Vizzan. *de Mand. Princ. p. m. 17.* ſolebat etiam ſæpè, inprimis turbatis rebus, cum comitio interdiceretur, populus in circis & theatris convenire. Quo magis ad tuendam quietem ſtationes ibi militum haberi oportebat. Vid. Caſaub. *Spartiano.*

§. 13.

Et urbe interdicere Præfectus urbi, & quavis alia ſolitarum regionum poteſt, & negociatione, & profeſſione, & advocationibus, & foro, & ad tempus, & in perpetuum. Interdicere poterit & ſpectaculis: & ſi quem relegeet ab Italiâ, ſummovere eum etiam à provinciâ ſuâ.

Baſilica: *Δύναται ἀπαγορεύειν τινὶ τῆς πόλεως, καὶ μέρους αὐτῆς, καὶ πραγματείας τινὸς, καὶ ἐπιτηδεύσεως, καὶ συνηγορίας, καὶ φόρου, ἤτοι ἀγορᾶς, καὶ προσκαίρως, καὶ διηνεκῶς, καὶ θέας. Ἐὰν ἐξορίσῃ τινὰ τῆς Ἰταλίας, εἴργειν αὐτὸν δοκεῖν καὶ τῆς οἰκείας πατρίδος.*

CONSPECTUS.

1. *Præfectus urbe interdicere poteſt.*
2. *Interdicere.*
3. *Relegatio hodierna qualis.*
4. *Oſtraciſmus.*
5. *Quibus locis Præfectus interdicere poſſit.*
6. *Regiones ſolitæ.*
7. *A Godofredo diſceditur.*
8. *Item à Cujacio, & Corraſio.*
9. *Q. Claudii Tr. pl. plebiſcitum.*
10. *Ulpianus explicatur.*
11. *Profeſſio.*

1. UT relegare Præfectus, ita & interdicere urbe, & quavis aliâ
2. solitarum regionum potest. 2. Interdicere est, si quis certo loco abesse jubetur, vel certo loco excluditur, relegare si
3. certo loco includitur. 3. Hinc, quæ nostris moribus usurpatur, lata potiùs fuga aut interdictio, quàm relegatio, etsi ita solet dici, est. Vide *l.5. & 7.ff.de Interd.& releg.* Sic sæpiùs in agros relegatos legas. *Suet. August. c.24.* & Livia apud Dionem inter leviores pœnas κατάκλεισιν ἐν ἀγρῷ recenset, notante Casaubono. Quo pertinet & illud, ut Suetonius appellat, relegandi novum exemplum à Claudio usurpatum, ut ultra tertium lapidem ab urbe vetaret egredi. *lib.5. c. 25.* Sed tamen & Cicero antea Româ 468. millia passuum abesse jussus. *Dio lib.38.* Et Fridericus I. §.*1. v.qui*
4. *verò ad prædictam de pac. ten. 2. Feud. 53.* Latæ fugæ similis erat ostracismus de quo vid. *Corn. Nep. Cimone*, & quæ ibi notat *Joh.*
5. *Andr. Bosius*, Professor Academiæ Salanæ *5.3.1.* Et quia nemo interdicere aliâ, atque quam regit, provinciâ possit *l.7. §. 10. ff. de In-*
6. *terd. & releg.* Hinc Præfectus noster solâ urbe & *solitis regionibus*
7. potest. *Solitæ* sunt *urbicariæ vel suburbicariæ.* Cujac.*2. Obs.14.* Errat itaque Dion.Godofr. *ad h. §. lit. o.* qui suburbicarias intelligi negat, & Italiæ regiones intelligit, idque auctore, ut ait, Cujacio. Sed Cujacius disertè urbicarias exponit, etsi non negat, & de illis alte-
8. ris accipi posse. Quod tamen nec Cujacio largiendum. Alb. Gentilis *1.Epist.10.* accipit de regionibus urbis, seu de XIV. intra urbem regionibus, quod probat Bachov. non sine cavillo in Ant. Fabrum quasi misellus Faber (sic ait Bacch.) ignorasset Romæ urbis regiones istas. Satis protervè, nec minus inscitè. Jam enim apud Ulpianum præcesserat, quod possit Præfectus interdicere urbe. Quis jam dubitandi locus; quin & urbis XIV. regionibus? Quasi urbe quis interdici possit, nec tamen urbis plateis. Errat non minùs Corrasius *ad h. §.* qui per solitas intelligit regiones originis, incolatus, & delicti, quibus præter urbem delinquentes plerumque interdicebat. Pergit Ulpianus & interdicere eum quoque posse

Negociatione.

9. ait. Erat Plebiscitum Q. Claudii Trib.pl. qui tulerat, ne quis Senator, quive Senatoris pater esset, maritimam navem, quæ pluris quàm 300. amphorarum esset, haberet. *Liv.lib.21.fin.* Præterea ne

quæ-

quæstorii scribæ negociationem exercerent. Nam periculum fore, ne de pecuniâ publicâ negotiarentur. Quam legem Domitianus Imperator in usum reduxit, & diligenter observari jussit. Fuere & Senatores navibus interdicti, lege Julia Repetundarum. *l.3. ff. de vac. & exc.mun.* Sed Ulpianus hîc non agit de interdictæ per leges 10.
negociationis persequutione, nec mercium quarundam importatione vel exportatione vetitâ, sed de ejusmodi interdicto, quo certi homines locô pœnæ negociatione abstinere jubentur. *l.9. §.9. ff. de pœn.* ubi additur & pœnæ instar esse, si quis ad conductionem eorum, quæ publicè locantur, accedere vel ad vectigalia publica prohibetur: Eodem modo &

Professione

interdicit Præfectus. Professio est sui cujusque vitæ generis ma- 11.
nifestatio, quâ quis præ se fert, se ejus artis vel generis esse. *l. 26. in fin. C. de Episc. & Cler. Professio flagitii* de meretricibus apud *Tac. 2. Annal. 85. Professio* argentariorum *l.6. §.9. de edend.* diversorum operum *professores. l.sing. §.1. C. de monopol.* Professio *de mulieribus scenicis, l. jubemus. 23. §.1. C. de nupt.* Artis magicæ *professio. Curt. 7.4. Professio* Oratoris. *Cic. de Orat.* & ita hoc locô accipitur. Præfecti est interdicere &

Advocationibus

l.9. pr. ff. de pœn. l.6. in fin. ff. de post. l.6. §.ult. mandat. l.1. C. de postul.

Et foro.

Gr. Φόρος. Suidas, τὸ πωλητήριον, ὁ τόπος ἐν ᾧ πωλοῦνται τὰ ὤνια. Varro de LL c.IV. Quo conferrent suas controversias, & quæ vendere vellent, & quò quæque ferrent, forum appellarunt. Isidorus Orig. *15. c. 2.* facetus est, qui à fando vel Phorone Rege Argivorum reperit. *Vide Alciat. lib.2. disp. cap.24.* Festus sex recenset acceptiones: Primò, pro negociationis loco, ut forum Flaminium *d.l.9. §.4. de pœn.* Julium, Sempronium. Deinde pro loco, in quo judicia fieri, cum populo agi, conciones haberi soleant: Tertio, cum is, qui provinciæ præest, forum agere dicit, cum civitates vocat, & de controversiis earum cognoscit. IV. Id forum antiqui appellabant, quod nunc vestibulum sepulcri dici solet. V. Locus in navi: Sed ita masculino genere & numero plurali usurpari.

VI. Pro

VI. Pro Circensibus spectacul's. *Vide Dn. Coccejum ad §. 5. ff. de O. I. L 2.* Hoc loco ponitur pro loco agendarum causarum & litium tractandarum. Quid interdictio fori sit explicat Ulpianus *lib. X. de off. procons.* & habetur. Nempe plus est foro, quàm advocationibus interdici. Siquidem huic omninò forensibus negociis accommodare se non permittitur. Solet autem ita, inquit Ulpianus, vel juris studiosis interdici, vel advocatis, vel tabellionibus, sive pragmaticis. Addit JCtus: *Et ad tempus, & in perpetuum.* Nec obstat, quod Præses ultra administrationis suæ tempus interdicere alicui arte suâ non possit. *l. ult. pr. ff. de pœn.* Vel enim aliud est arte interdicere, quod glossa respondet, aliud advocationibus & similibus. *Vide Bacchov. h.* Vel in Præside erat singulare, ex constitutione Antonini, ut Cujac. *ad Nov. 134.* Confer *Gloss. ad l. 1. C. de postulan.*

§. ult.

Divus Severus rescripsit eos etiam, qui illicitum Collegium coisse dicuntur, apud Præfectum Urbi accusandos.

Basilica: Παρ' αὐτῷ κατηγορῦνται ϰ̀ οἱ ἀθέμιτα ποιῦντες συςήματα.

CONSPECTUS.

1. *Collegia quædam vetita in Rep. Rom.*
2. *Originem debent Numæ.*
3. *Collegia nova dissolvunt Jul. Cæs. & Augustus.*

1. Collegia præter pauca, lege vel SCto probata, vetita fuerunt in Rep. R. Et fuit hâc de re rescriptum Imp. Severi, ut Ulpian. hîc & Marcian. *l. 1. ff. de colleg.* innuunt. Junge *l. 1. ff.*
2. *Quod cujusq. univ. nom.* Originem collegia Numæ debent.
3. Plutarch. Numâ, & Plin. lib. 34. c. 1. Sed nihilominus præter illa publicè probata subinde coibant factiones titulo collegii novi, ad nullius non facinoris societatem, quâ de causâ Julius Cæsar & Augustus præter antiquitùs constituta, dissolvisse reliqua leguntur. *Suet. c. 32.* Idque propter imminens periculum conjurationum & proditionum, quæ solent ex conventiculis conflari. *Vide P. Victor.*

ad 5.

ad 5. Polit. Arist. 6. Sed tamen quæ religionis tam patriæ quàm exteræ causâ coibant, plerumque permissa. Augustus apud Philonem in suis exprimit edictis, collegia & coitiones Judæorum ideo se permittere, quod non editionum nutriculæ, sed scholæ temperantiæ & justitiæ sint. Sed nec hodiè collegia pro cujusque libitu, sed ex legibus publicis habere licet. Schepliz. ad consuet. Brandeb. p. 4. tit. 15. von Handwercken. Sic & in Augustanâ Repub. Carolum V. & in Francofurtanâ Matthiam I. fecisse notat Rupertus ad Flor. lib. 1. c. 6. in f. Quod cognoscitur ex literis fundationis, arcâ communi & sigillo. Berlich. *decis. 150. n. 5.* Vide de collegiis in Rep. Rom. Brisson. *Select. antiq. c. 14.* Cujac. 7. 30. Gregor. 15. 32. Matth. Steph. *de Jurisd. lib. 2. par. 2. c. 6. n. 79.*

§. ult.

Ulpianus lib. 2. ad Edictum.

Præfectus urbi cum terminos urbis exierit, potestatem non habet, extra urbem potest jubere judicare.

Basilica: Ὁ τῆς πόλεως ἔπαρχος ἐξελθὼν τῶν τῆς πόλεως ὅρων, οὐ δύναται τὴν ἐξουσίαν ἔχειν τῆς ἐπαρχότητος. ἔτι μὲν ὢν ἐν τῇ πόλει δύναται κελεύειν τινὶ δικάζειν ἢ καὶ ἔξω τῆς πόλεως. Leo & Constant. ἐξελθὼν δὲ τοὺς ὅρους τῆς πόλεως, ὅσον γε ἐπὶ τῇ ἐπαρχότητι ἐξουσίαν οὐκ ἔχει, πλὴν τοῦ κελεύειν δικάζειν.

CONSPECTUS.

1. *Præfectus urbis terminos egressus potestatem non habet.*
2. *Variæ Interpp. opiniones.*
3. *L. 2. de V. S. explicatur.*
4. *Terminus quid.*
5. *Diversæ lectiones.*
6. *Neutra proba.*
7. *Potestas quid.*
8. *Vera mens hujus legis. ult.*

SUpra diximus urbis terminos esse muros. *l. 2. de V. S.* Præfectus ergo cum hos egressus fuerit, potestatem non habebit. 1.
Quomodo ergo dabit judicem? Quidam Interpp. ita componere istud satagunt, quod termini urbis usque ad centesimum lapidem debeant intelligi: Urbem autem finiri muris. Ergo distinguunt urbem à terminis urbis, hoc sensu, quod extra centesimum nulla quidem præfecti fuerit notio, at intra hos 2.

 limi-

limites, intra centesimum scilicet, adeoque intra urbis terminos, sed tamen extra urbem; sed vereor, ut adstipuletur Paulus in *l. 2.*
3. *de V. S.* Quando enim dicit Paulus, quòd urbis appellatio finiatur muris, quid aliud vult, quàm urbem muris terminari, id est terminum urbis non esse centesimum lapidem, sed muros ac portas. Jam si muri urbis sunt termini, id, quod extra muros est, non erit urbis terminus. Et fient ita termini sine terminato. Et facit quod Ulpianus *l. 1. §. 4. h.* cum dixisset de admisso intra urbem, subjicit κατὰ διαστολὴν si quid intra centesimum, ut nihil certiùs, quàm quod intra centesimum sit, non pertinere ad urbem, sed esse extra urbem. At extra urbem non est, nisi quod ultra terminos
4. urbis. Terminus enim est, qui discernit, quod intra est, ab eo, quod extra. Centum autem illi lapides sunt extra urbem. Sic & Græci intellexere; ἐξελθὼν δὲ τοὺς ὅρους τῆς πόλεως, ὅσοντε ἐπαρ-
5. χότητι ἐξουσίαν οὐκ ἔχει πλὴν τοῦ κελεύειν δικάζειν. Alii auxilium ab emendatione petunt. Et certè jam olim variè lectam legem penult. ex Accursii glossis liquet, & subindicat ibi Bartolus, ut meritò eam in dubium vocet Duaren. *in f. ad h. t.* Et Godofredus notat, se in MSCto quodam reperisse, *nec extra urbem.* Hotoman-
6. nus legit, *intra urbem 4. obs. 21.* Neutra lectio proba: Si enim urbem accipias, quæ muris terminatur, falsum est, præfectum non posse in suburbiis & regionibus solitis jubere judicare: sin pro potestate urbicâ, supervacuum fuit monere, eum qui extra territorium suum privatus est, nec posse judicem dare. Nec Hotomannus magis proficit. Inanis enim repetitionis καὶ ταυτολογίας reum facit JCtum. Quis enim in dubium vocet, num Præfecto licuerit intra Urbem jubere judicare, intra quam omne imperium constitit. Haloander & Corrasius ita legunt: *Præfectus U. cum terminos exierit, potestatem non habet: Extra tamen potest jubere judicare.* Hoc sensu; Præfectus U. cum terminos potestatis suæ, qui centesimus lapis est, exierit, potestatem non habet: Extra tamen eos constitutus nihilominus potest jubere judicare, dummodo datus ab eo judex intra terminos urbis judicet. *l. cum unus. 12. §. 1. de reb. aut. jud. poss.* Bartolus vult, quòd Præfectus in urbe manens potuerit judices dare usque ad centesimum, non potuerit autem muros urbis egressus. Sed cur intra terminos jurisdictio-

dictionis suæ intra centesimum lapidem idem non potuerit, nulla apparet ratio. Nihil verius est, quàm ab Ulpiano *in d.l.* duo proponi, quorum alterum præfectus possit, alterum verò non possit. Illud quod non potest, est, habere potestatem extra urbis terminos. Quid est potestas? Resp. Paulus *lib. sing. ad L. Fusiam Caniniam in l. 215. ff. de V.S.* in personis Magistratuum significari imperium. 7.
Et Ulpianus *l. 3. ff. de jurisd.* inquit; *merum imperium potestatem appellari.* Ergo Præfectus urbi non habet imperium 8.
extra urbis terminos progressus, intra urbem habet. Nam quæ imperii sunt, angustius usurpantur, & præterea quæstiones rerum capitalium ex oppidis in urbem protrahi solebant, ut patet ex Symmachi. *lib. 9. Epist. 129.* Id verò quod habere dicitur Ulpiano Præfectus extra urbem, est jubere judicare, id est, dare judicem, quod jurisdictionis est. *l. 3. l. 13. in f. de jurisd. l. 12. de judic.* Habet ergo & jurisdictionem extra urbem, extra urbis terminos, & potestatem seu imperium intra urbem, ut rectè explicat Aleander Junior *de suburb. reg. c. 1.* Quam explicationem sequitur Salmasius *in Euchar. adversùs Sirmondum.*



Σὺν Θεῷ.

DISSERTATIO TERTIA,

De

STATUTIS A SUMMO PRINCIPE,

Seu

CONSTITUTIONIBUS PRINCIPUM.

SUMMARIA.

Thesi, 1. Indicantur Constitutionis Synonyma, & descriptio. 2. Jus Principis à lege Regia arcessit Ulpianus, ubi duæ quæstiones solvuntur. 3. Potestas activa regendi an à populo accipiat Princeps. 4. Translatio Majestatis in *realem & personalem* distinctio rejicitur Imperii Romani in Karolum an à Pontifice facta. 6. Constitutio à Summo Imperio est. Quatuor quæstiones expediuntur. An Pontifex R. condere possit legem. Status Imperii quomodo possint. An leges eorum edictis prætoriis comparandæ. An legem condituri statuum provincialium consensum cogantur adhibere. Major Domus. 7. An civitates Imper. constituere jus possint. An Nobiles immediati? Utrum sint in ordinibus Imp. 8. Constitutionis species recensentur. Proclama. Edicta. 9. Obiter notatur, quinam *pueri Antoniniani* fuerint dicti. 10. Edicta perpetuæ Jurisdictionis causâ. 11. Edicta hæc SCtis

firmari solebant. Ubi de Orationibus Principum. Eas recitabant de scripto. 12. Oratio M. Antonius in *L.16.de R.N.* Severi & Commodi. Ubi inquiritur in inscriptionem *l.20.ff.de R.N.* 13. Oratio Severi & Caracalli allegantur. 14. An Claudius, an Nero sit intelligendus, in l. *Divus 15.ad L.Corn.de fals.* Suetonii lapsus memoriæ : & Pomponii JCti. Et Ulpiani *l.3. §. si liber.ff. de cond.caus. caus.non sec.* 15. Mandata quid sint. Alia secreta. Non-secreta, dicuntur commonitoria. Eorum exempla. 16. Motu alieno datur rescriptum, vel ad relationem. 17. Vel ad appellarionem. 18. Vel ad suggestionem judicum & Advocatorum. Sequebatur. 19. Pragmatica sanctio. Ea quid? 20. 21. Explicatur altera constitutionum species, Epistola. Cujus definitio, & exempla afferuntur. 22. Epistolæ Formales & Formatæ, ἐγυκλίοι, distinguuntur. 23. Epistolæ scribebantur ab Epistolarum Magistro. Quorum duo genera. 24. Privatis ad Principem aditus non datus, nisi per libellos. Quomodo his Imp. responderit. 25. Definitur Decretum. Et consistorium Principis. In consistorio Illustrium agitatæ causæ. Princeps horum Judex. 26. Emendatio *l.21. §.1. de stat. lib.* 27. Decreta inter acta publica referebantur. 28. Constitutiones personales quænam dicantur. Differunt à jure singulari. 29. Differentia privilegii & juris singularis. 31. Agitur de Materia constitutionis. Item: An lex permissiva mali sit justa. 32. Permissio ratione objecti est triplex. Affirmatur quæstio præcedentis Theseos. 33. Forma constitutionis. Scriptura de formâ legis scriptæ. 34. De effectu constitutionis. An obligatum conscientiâ. An extra territorium constitutos subditos. 35. An advenæ teneantur legibus territorii? 36. An Clerici teneantur constitutione Principis? Ibi, Exemptio Clericorum quid sit. Clerici secundum quid liberi à legibus civilibus, secundum Canonistas. Notantur, qui dicunt protestantes gerere duplicem personam ratione juris sacri. 37. An Princeps suis teneatur legibus? 38. An vi coactiva teneatur? Et; An contractus servare cogatur Princeps? 39. Constitutio permissiva quomodo obliget? 40. Constitutio operatur in futuris negotiis. Ubi de duabus quæstionibus. 41. Legis effectus est coërtio. Actus contra legem an ipso jure nullus? Duæ quæstiones deciduntur. 42. Rescripti originale exhibendum. Inserenda clausula; *si pre-ber-nit.* Annotatio temporis. *Data, Scripta, Emissa, P.S.D.* quid notent. 43. Vox *Subdita, Recitata. Septimum* quid? Vox *Lecta. Regesta.* Siglæ: *G.P.P.G. Accepta.* Præsentatum nostratium. Sigilli adhibitio. Quando cœpit. Bulla. χρυσόβουλλον. 44. Santio pragmarica. 45. Decreti effectus. Interlocutionū. 46. Constitutionis personalis effectus beneficia plenissime interpretanda. 47. Exceptiones contra constitutiones. Exceptio 1.1.3. 48. Obreptio 4. Rescripta vel justitiæ vel gratiæ. 49. Quid? si obreptum per ignorantiam supplicantis. Quid si dolo? ubi res quæstiones. 50. Exceptio 5. De duabus quæstionibus agitur. 51. Exceptio Sexta. Per *Stylum Curiæ* quid intelligatur. Rescripta fiunt suspecta, si vitium est in salutatione & compellatione. Ejus exemplum illustre, Otto Paccius autor formulæ conjurationis contra Lutheranos. Rex Bohemiæ ut compellatur ab Imperii Principibus. Critices necessitas in Curiis, judicio Hordleri. 52. Vitium in Latinitate, suspectum facit rescriptum. Exceptio VII. 53. Exceptionem Judex debet admittere sub pœnâ.

Etsi



Tsi omne jus positivum, sive à pluribus, sive uno, dum modo sint cum summo imperio, profectum, legis nomine usitatè venit: In Repub. tamen R. ubi jus populi legis nomen occupaverat, lex summi Principis peculiari nomine constitutio dicitur, Græcis Jure-Consultis διάταξις, σύνοψ. βασιλ. περὶ βασιλ. ἀνηγραφ. καὶ διατάξεων, βιβ. β. τιτ. ε. καὶ τιτ. ς. κεφ. β. ibi: καὶ λέγεται ταῦτα διάταξις. *Glossa Labbai* : Κονστιτουτιὸν, διάταξις. Dicuntur etiam statuta *§. ita tamen Inst. de vi bon. rap. l. 11. C. No. lic. sig. salv. l. 3. C. de sent. experi. recit. l. 16. C. de excus. tut. l. 2. in f. C. si advers. Cred. præs.* Ita statutum Alberti I. Imp. dicitur *in tom. III. Constit. Imp. Gold. fol. 446.* Et Henricus VII. Imperator *in auth. de summâ Trinitate §. 2.* Principum statuta dixit. Dixerunt & Constituta, *l. 5. C. de pagan. l. 11. in pr. C. comm. de success. l. 3. in f. C. de his qui num. lib. vel paup.* Anthemius Imp. *in Nov. 2. de confir. leg. D. N. Leonis Aug.* Eâdem formâ, quâ Instituta *Ammianus Marcellinus*; ut & *Boëtius, Servius, Priscianus, Anianus*, Ulpiani, Gaii, Pauli institutiones appellant, quoties citant. Sic & Theophilus, Harmenopulus, Matthæus Blastares aliique Græci libentiùs Instituta vocant, quos & ipse Justinianus sequitur *in l. 2. C. de V. I. Enucl. Nov. 21. & 89.* Sic & Græci, *Petita*, ut apud Suidam, quæ Latinis *petitiones rubr. C. de petit. bon. publ.* Sic Digesta Alphenus, Julianus, alii JCti, quos Imperator Justinianus imitari voluit, conscripserunt, quæ, si Grammaticos auscultes, Digestiones vel Digestanea dicenda forent. *Vide Goldast Replic. per Imp. c. XI.* Sic Declamatæ Lampridio, *in Alexandro*, quæ Declamationes; ut *ulta*, pro ultione Ovidio, *remissa*, pro remissione Cypriano, *puncta*, pro punctione Vegetio, *missa*, pro missione. *Vide Salmas. H. A. fol. 198. lit. c.* Sic *rejecta* Plinio Valeriano, lib. I. *Offensa*, Fausto Rhegiensi. *Vide Barth. 29. adv. 13.* Infimo Latinitatis ævo reperias vocata *Kapitola*, ut sunt illa Caroli & sequentium aliquot Imperatorum, quæ Ansegisus Abbas Lobiensis & Consiliarius Cæs. & Benedictus Levita Archi-Episcopi Moguntini Secretarius collegêre. Et hinc Capitulationis famosum nomen, quod multa Capitula contineat regendi imperii. Germanis Satzungen à Setzen / quod planè vim vocis Romanæ,

Constitutionis synonyma.

manæ,constituere assequitur & exhaurit, quod est firmiter statuere. Est enim Constitutio, jus à Principe vi propriâ summi imperii statutum.

Et descriptio.

Jus Principis à lege regiâ.

II. Ergo quod Principi placuit, legis habet vigorem, *l. 1. h.t.* scilicet, quod placuit, ut jus fieret, & subditos obligaret. Et hanc potestatem obstringendi subditos à lege regiâ arcessit Ulpianus. Quæ de imperio ejus lata est, quâ populus ei & in eum omne suum imperium & potestatem contulit, *d. l. 1.* Qualis Lex Regia, unquamne lata sit, non satis considerate dubitârunt quidam docti. Sed de his plus satis alii. Illud non parum majoris momenti est, quomodo imperium hoc suum & potestatem populus in Principem contulerit. Satis certum est non magis imperium tradi physicè, quàm jus utendi & fruendi posse: Sed in hisce loco veræ & naturalis traditionis est patientia, quâ usu rei meæ non solum, sed & jure prohibendi alterum abstineo: qui tamen non usus rei meæ, & abstinentia prohibendi non potest alteri habitum seu facultatem utendi conferre, quia se merè passivè, ut loqui solent, habet, & consistit in nudâ remotione obstaculorum, quæ alium usu rei meæ arcebant, quo obstaculo remoto, nondum tamen in subjecto usuro potestas activa utendi, nedum actus adquisitus est. Itaque cum populus imperium ac potestatem, tanquam res non minùs incorporales, physicè in Principem conferre non potuerit, consequens est, nihil aliud lege Regiâ fuisse actum, quàm quod Populus enixam voluntatem suam declaraverit, sese submittendi & subjiciendi imperio unius.

Q. 1.

Q. 2.

III. Dubium ergo adhuc remanet, unde potestas activa regendi Principi fuerit? Quæ quæstio in thesi controversa est, plerisque politicis illam per electionem conferri statuentibus; Quod revera sentiunt & illi, qui imperii seu potestatis activæ subjectum proprium esse totam populi multitudinem, à quâ in Principem transferatur, contendunt, quos inter *Fr. Victoria, & Molina*, & ex Theologis inprimis *Bellarm. de laic. c. 6. & advers. Barcl. c. 12.* Neque aliter sentit Grotius, & novus Philosophus Britannus, Thomas Hobbes, *in element. phil. de cive.* & qui pro eo apologiam epistolicâ dissertatione edidit auctor anonymus, *de principiis justi & decori.* In quam sententiam porrò, velint, nolint, incidunt, qui, nescio

Q.

Q.

Q.

nescio quod portentum Majestatis alicujus realis comminiscuntur hod[illegible]m viri magni, quæ ipsis interregnis & alternationibus gubern[illegible]num duret, cum Besoldo, Kirchnero, & aliis. Prorsus *ἀπροσδιονύσως*. Et hinc fieri somniant, ut jure etiam civili adversus Populum & Remp. crimen Majestatis committatur: Et quod proverbio Rex Galliæ mori negetur: quæ omnia sine ratione ex ignoratione verorum principiorum politicorum finguntur. Quod dogma eò usque extendunt quidem alii, ut jam mutuam subjectionem Regis & populi comminiscantur; Regemque non aliter superiorem agnosci velint, quàm quo usque patitur se in ordinem redigi, inter quos Stephanus Junius, Althusius, Danæus, & impurissimus nebulo, Miltonius, quo, an quod jugulum Principum petat infestius, doceri aliud possit, non dixerim. Sed quia hæc isthic excuti plenè non possunt, hoc saltem restat, potestatem rectivam, à subjecto, quod merè passivè habet, nequaquam in Principem transire posse, neque à Pop. Rom. per electionem transiisse: Illamque immediatè à Deo esse, quod rationibus & autoritatibus aliquam multis priscæ Ecclesiæ Patrum confirmat *M. A. D. Dominis lib. 6. de Rep. Eccl. c. 2. nec non B. Henricus Höpnerus Theol. Lips. in commentario super Psalmis adhuc ἀνεκδότῳ*. Nec sequitur, si penes communitatem vel rempublicam est, an monarchicè, an democraticè, an aliter regi volet, quod hæc potestas sui regendi à populo in rectorem conferatur. Aliud enim modus regiminis, ex potentiâ passivâ subjecti regibilis profluens, quam potestas ipsa rectrix est. Penes populum est, quâ formâ regiminis se velit submittere, sed actualis potestas rectiva in populo non est: Quemadmodum v. g. æs, formam statuæ non per impressionem, ut cera, sed liquefactionem recipit, nihilominùs tamen se habet ad formam merè passivè: Ita etsi populus regiminis formam eligat, formam tamen ipsam & activam regendi potestatem subjecto regenti non confert, sed declarat duntaxat potentiam passivam sui regundi. Denique quia Populus EI & in EUM omne suum imperium & potestatem contulit, ideo non adscivit Principem in societatem Imperii & potestatis, quod esset cumulativè transferre, sed abdicavit se potestate, ita ut, quod transtulit, amiserit. Neque enim qui omne imperium suum transfert, ejus quidquam retinere

magis,

magis, quàm qui omne jus utendi fruendi aut simile quid transfert, potest.

Translatio Imperii Romani in Karolum à Pontificio.

IV. Ex hisce judicium fieri facilè potest, de translatione imperii, quæ facta à Papa, Senatu Populoque R. in Karolum M. fertur. Tantum enim abest, ut propterea Imperator summum imperium à Pontifice teneat, quod auferre proinde ei idem possit, ut Pontifex potiùs, si quod unquam habuisset, transferendo amisisset, & subditus Imperatoris esse cœpisset. Quâ de translatione rem paulò altiùs repetere oportet. Quum Leo Isaurus de abrogandis imaginibus tulisset, & illud ipsum Exarcho suo in occidentem Romæ publicandum misisset: Papa Gregorius secundus concivit Populum, ut Imperatori rebellaret, & Exarcho ejus. Romanorum exemplum mox imitati cæteri Italiæ populi, Imperio Romano adhuc subjecti, Imperatorio mandato, Exarcho Ravennate, & Duce Neapolitano interfectis, restiterunt. Romani conscientiâ facinoris animum ad fœderanda auxilia adjecerunt. Erant tum in Italiâ duo populi; Longobardi, qui Imperatorem Constantinopoli non recognoscebant: Et Veneti, maximis & uberrimis privilegiis macti. Sed Longobardorum suspecta Romanis potentia, Urbis dominio imminentium: Veneti Romanorum æmuli censebantur. Itaque Papæ & Senatui visum Francos evocare. Facto SCto Karolus Martellus Consul ac Patritius designatur, & legatione ad eum missâ ex Franciâ in Urbem ad capessendum regimen accitur. *Baron. tom. 9. an. 726. n. 41.* Quadriennio post ab Leone Imperatore penitus descîscit Italia, instinctu maximè Pontificis. *Baron. tom. 9. an. 730. n. 5.* Hinc populus Romanus consilio Papæ & Senatus regi cœptus, Patricio atque Duce sibi per electionem constituto, civibus per suffragia delectis, qui præfecturas Imperatori in Ducatu Romano, Pentapoli, Æmiliâ &c. subtractas administrarent.

V. Longobardis autem provincias istas Imperatori ademtas suo sibi imperio adjicere machinantibus, Romani denuò, operâ Stephani Papæ, Pipinum, ejusque duos filios Karolum & Karolomannum patricios sibi ex decreto adoptaverunt. Tandem nec sic quiescentibus Longobardis, Hadrianus Papa, Senatus Populusque R. Legatione ad Karolum Patricium missâ auxilium ejus implora-

ploraverunt. Qui alpes cum exercitu transgressus, subjugatâ sibi Italiâ, Desiderium Longobardorum Regem in Franciam deportavit, ipseq; Romam profectus à Papâ, Clero atque populo, condito SCto, quod Decretum Hadriani Papæ appellatur, Patricius Romanorum & Advocatus Rom. Ecclesiæ creatur, collatâ ei & in eum Exarchi Imperialis plenariâ & absolutâ, quâ Imperatores functi erant potestate. Id accidit An. Dom. 774. Videatur Sigebertus Gemblacensis. Decreti illius Hadriani testis est Gratianus *c. 22. dist. 63.* cujus summam repræsentat Theodericus à Niem, tractatu *de Investiturâ Episcoporum ap. Schardium de Imp. jurisdict. p. 248. Romæ constituta est sancta synodus à B. Adriano Papâ in Patriarchio Lateranensi, videlicet in Ecclesiâ sancti Salvatoris, quæ reverendissimè celebrata est à centum & quinquaginta tribus viris religiosis, Episcopis & Abbatibus, judicibus etiam & Legis Doctoribus, ab universis regionibus & ordinibus hujus almæ urbis, à cuncto etiam clero hujus sanctæ Romanæ ecclesiæ, exquirentibus usus, leges & mores ejusdem ecclesiæ & imperii, quemadmodum etiam hæreses & seditiones aboleri possent de Apostolica sede, & dignitate patriciatus & Romano Imperio : ex quibus omnibus nimius error crescebat in universo urbe.*

Populus itaque Romanus legem condebat more solito : sed difficile erat, pro unoquoque negotio toties in unum congregari, unde sententiam, jus & potestatem Imperii Imperatori concesserunt, quemadmodum legitur : Populus itaque Romanus concessit Carolo, & in eum transtulit omne jus suum & potestatem.

Ad eorum quoque exemplum præfatus Adrianus papa, cum omni clero & populo, ac universa sancta synodo, concessit Carolo Augusto omne suum jus & potestatem eligendi summum pontificem, & ordinandi Apostolicam sedem, dignitatemque principatus, sicut scribitur distin. 53. Insuper archiepiscopos & episcopos per singulas provincias ab eo accipere investituras diffinivit.

Nota. Qualiter Adrianus papa cum clero & populo universo, & sancta synodo concessit eidem Carolo regi, jus eligendi summum Pontificem, ut habetur 53. dist. c. *Adrianus* & illud privilegium renovatur & confirmatur per Papam & Cardinales, & populum Romanum, ac generale concilium, in personam

O Othonis

Othonis primi Magni Augusti, suosque successores in Romano Imperio, in perpetuum, ut sequitur inferius.

Post hoc verò consecrationem accipiant, unde pertinent: & ita abolita sit veterum sententia, moresq; in posterum, quatenus nemo per cognationem vel amicitiam, aut per pecuniarum acceptionem sibi eligat episcopum, sed soli regi Romanorum hujusmodi reverentia tribuatur facultas, veruntamen si ab universo clero & cuncto populo aliqua præsumptione & religionis causa eligatur episcopus, nisi à rege laudetur & investiatur, à nemine consecretur.

Ex hoc, prolatis sententiis ab universis qui in hac sancta synodo congregati fuerunt, in nomine sanctæ Trinitatis, Adrianus papa præ omnibus hac concessit, laudavit, & affirmando constituit.

Ad hoc etiam totum roborandum decrevit, ut si quis post hac contra hanc sanctam synodum temerator repertus fuerit, sive contra hoc totum quod produximus repugnaverit, cujuscunque sit gradus, ordinis vel officii, dignitatis vel generis, sciat se in iram beati Petri, principis Apostolorum & omnium sanctorum & prædecessorum nostrorum casurum, & anathematis vinculo damnatum perpetuò victurum, excommunicationem quoque universalis ecclesiæ & cuncti populi Christiani incursurum. Insuper, nisi à malo resipuerit, irrevocabili exilio prematur, vel ultimis suppliciis feriatur, & bona ejus publicentur. Qui verò pio intuitu custos horum & observator in omnibus extiterit, benedictionis gratiam vitamque æternam à Deo cum omnibus sanctis suis, sine fine habere mereatur in secula seculorum, Amen. Hujus decreti, quod exstat etiam apud Goldastum *Constit. fol. 1.* veritatem adversus Baronium & Gretserum asserit Goldastus *in Rationali ad Constit. Imp. ut & in Replicatione pro Imperio c. 13. M. A. Dominis. de Republ. Eccl. lib. 6. c. 7. & novissimè Clariss. Conringius de Germ. Imp. Rom. c. 6. p. 29.*

Constitutio à summo imperio est.

VI. Legem ergo constituit Princeps vi summi imperii, quod vulgò jus majestatis appellant (etsi longè diversa sint majestas, & imperium) cujus hæc nobilissima portio est, ferre leges. Positâ enim summa & independenti potestate, jus leges ferendi poni necesse est, ubicunque locorum & gentium fuerit. Ut plus quàm ridiculum sit, quærere de aliis Regibus independentibus, an idem possint. Nec dubitandum de Pontifice Romano, ex quo dona-

donatione Principum territoria, politicâ potestate, possidere cœpit. Secus est de commenticio illo dominio universali in omnia temporalia. Et quia hodie Imperator Germanorum in Imperio solus jus summi imperii tenet, solus etiam propriè dictas constitutiones in comitiis cum approbatione statuum sancire potest. Cæteri verò Principes potestatem habent dependentem, quia illis competit, in quantum sunt v.g. Comites, Duces & deinceps, quarum dignitatum cum territorio & annexâ territoriali potestate, à Cæsare in feudum accipientes, dependentem utique hactenus habent legis ferendæ potestatem. Itaque legem tantùm localem condunt, seu quæ intra suum territorium duntaxat valeat, & quidem in Ecclesiasticis Protestantes non aliam, quàm transactioni Passaviensi, Religiosæ pacificationi, & nuperæ Osnabrugensi convenientem: In civilibus, recessibus Imperii consonam, vel certè de iis causis, quæ per recessus Imperii non determinantur. *Dissentit Knichen. de subt. terr. c.1. n.365. Dn. Ziegl. JCtus solidus. §. Landsassii n. 125. Limm. lib. 4. c.8. n. 253.* Quia jus commune, quod non nisi cum assensu eorum fit, ita approbatum semel, amplius displicere eis non debet. Nisi in promulgatione novi juris, protestando caveant, ne juri jam constituto novellæ constitutiones derogent. Quod facere solet Elector Saxoniæ ceu summus Saxonici juris protector, *P. Albin. in hist. Misn. p.1. tit.16. Heig. p.1. q.4. n.35.* in comitiis, quando leges promulgantur, protestando ne juri Saxonico officiant. Et hoc respectu leges imperii Ordinum cum edictis prætoriis comparari possunt, quatenus Prætor non nisi consensu, adeoque potestate tantùm concessâ edicta proponebat. Aliàs latissima differentia inter hæc & leges Principum nostrorum intercedit. Prætor enim erat nudus magistratus & temporalis: Non item Principes nostri. Quamvis verò Principes Imperii jura provincialia conditurí plerumque in conventibus provincialibus consensum civium adhibent, tamen id non fit necessitate quâdam, & ex jure subditorum quæsito: Sed liberè, & ad formam consilii. Quapropter tales constitutiones provinciales, ex sui naturâ contractus pactionisque indolem sapere, quod Mingius vult, *de jure territ. th.71.* non videntur. Etenim constat olim Præfectum Prætorio jus habuisse condendi

leges, *l. 2. C. de Off. Præf. Præt. l. 16. C. de Judic. & l. pen. C. de fidei.* ejusque constitutiones seu edicta à Latinis Formæ dicebantur. Græcis *ἐπαρχικὰ Cujac. Obs. 30. & 6. O. 10.* Cui sub prisco Francorum imperio sub Merovingis Regibus æquiparatus est Major Domus seu Comes Palatinus. *Vadian. antiq. Alem. lib. 2. fol. 51. P. Fab. semest. lib. 1. c. 1. Heig. p. 1. q 4. n. 14. Freh. orig. Pal. c. 4.* Atque penes hunc fuisse legis condendæ potestatem asserit Benedictus Levita & Secretarius Regius *in præfat. lib. 5. Kapitul.* Personam autem Majoris domus repræsentant hodie Principes-Electores. *Aur. Bulla. 2. Wesenb. de studio juris instit. q. 12. Knichen. de Saxon. non prov. priv. c. 3. n. 35.* Denique eadem potestas ferendi leges, quæ Electoribus, reliquis quoque Principibus, vi territorialis excelsitatis competit.

VII. Nec dubitari debet, quin civitates Imperiales facere jus simile possint. *Mevius jur. Lubecc. p. 1. q. 1.* Etsi enim non nemo laborat potestatem territorialem eis ut adimat, quod in ipsas non cadat jus, quod nomine Landsfürstl. Obrigkeit veniat, satis tamen ei dudum factum est ab aliis, *ut à Reinking. lib. 1. cl. 5. c. 5. Limnæo, Dn. Schützio.* Quod secus est in aliis civitatibus, quamlibet augustis & magnificis, quæ non nisi precariâ potestate statuta condunt, indulgentiâ Principis, quem superiorem recognoscunt. Itaque & confirmatione hactenus opus habent, ne Princeps pro nutu suo ea abroget. Valent etiam non vi suâ, sed pacti. *l. ult. ff. de Coll. & corp.* Quale jus etiam Nobiles immediati habent, ut pacta successoria condere sibi possint. Qui utut sint immediatè subditi, cives tamen seu ordines non sunt, & proinde superioritate territoriali non gaudent, etsi aliis privilegiis non exiguis fruuntur, ut jure Austregarum, immunitate vectigalium, & aliis fortasse. Nec sequitur Landsassios futuros, si territorialia jura non habeant, quod Landsassen und Lands-Obrigkeit relatè opposita sint. Fac enim ita esse; Datur tamen tertium, eorum, qui potestatem territorialem non habent, nec subditi tamen territoriali superioritati Ordinum sunt; sed ipsi imperio: Ut possis eâdem licentiâ Reichsassios appellare. Nec ad rem pertinet jus Austregarum, quod habent; quia non territorio, sed personæ cohæret. Quod inde probatur, quod sufficit Principem san-

ſanguine eſſe, ſi maxime principatum poſſideat nullum, ut fruatur hoc privilegio, *P. Frid.1. de proceſſ. c.19.n.ult.* Rectè itaque dicitur : Hic eſt ſtatus, ergo habet territoriale axioma. Et : Non habet tale jus: Ergo non eſt ſtatus. Etſi non item vice versâ ; Hic habet territoriale jus ; Ergo ſtatus eſt Imperii. Eſt enim jus territoriale ejusmodi qualitas, quæ omni quidem civi & ſemper, ſed non ſoli competit. Eſt quidem proprium Ordinis : Sed communicabile etiam non Ordini. Sic jus eundi, eſt effectus dominii, & tamen peculiari conceſſione competere poteſt non domino. Jure canonico, qui habet beneficium, recipit etiam penſiones, & tamen poteſt Papa conferre uni beneficium, & alteri aſſignare penſionem Felin. *c. ad audientiam 2. de Reſcript.* Mantuæ, Mediolani, Marchio Montiferrati, Dux Mutinæ habent poteſtatem territorialem, & immediatè ab Imperio dependentem, non tamen ut cives. Non juvat, quod liberum religionis exercitium exercent, *Pacif. Oſn. memb.5. n.10.* & jus collectandi habent, remanet enim præjudicialis quæſtio, an jure territoriali ; Variè enim habetur, cum habeant, jus collectandi, & qui cum omnimodâ jurisdictione inveſtiti ſunt. *Roſenth. de feud. c.5. concl.74. n.6.* Eadem ratio reliquorum jurium regalium eſt, & ſæpè Dd. amplius de poſſeſſione eorum loquuntur, quàm in eâ eſt.

IIX. Facit autem Princeps jus, vel directò, hoc ipſum agendo, ut jus conſtituat : Vel directò non id agens, quod tamen ob dignitatem ejus vim legis obtinet. Directò conſtituit vel motu proprio, vel alieno. Motu proprio conſtitutio fit per edictum, vel mandatum. Edictum Theophilus definit, quod ſit *πᾶν ὅπερ ἐξ οἰκείας φύσεως κινηθεὶς ὁρίζει ὁ βασιλεὺς πρὸς τὴν τῶν ὑπηκόων εὐταξίαν καὶ λυσιτέλειαν.* Alia ergo erant edicta Prætorum, quæ lege Corneliâ perpetua facta ſunt, ut Prætores iis translatitiis uterentur, nec ad arbitrium ſuum jus dicerent. Hæc Julianus collegit & ſub titulis poſuit, quæ perpetui edicti ordinatio à Juſtiniano dicitur, *proœm. ff.* Aliud item edictum provinciale, ad quod utrumque Ulpianus libros commentarios, ad illud quidem unum & octoginta, ad hoc verò duo & triginta dedit. Cæterùm quod ad Principum edicta, ea à Principibus aut proponuntur publicè, quæ vocantur *programmata, in l.3. C. de LL.* & in

Conſtitutionis ſpecies.

Edictum. Prætoris.

Principum.

in constitutione Athalarici Regis, *tit. 41.* aut voce Præconis promulgantur, & *Proclamæ* hodie dicuntur, ut sunt Maximiliani & Rudolphi II. Impp. Proclamæ de monetis, Francofordiæ, Argentinæ, Lipsiæ &c. in nundinis denunciatæ & Recessibus insertæ. Dicuntur etiam *Leges edictales* in *l. hac edictali. C. de secund. nupt.* & in Constit. Friderici II. Imp. *de statut. & consuet. §. 1.* & alibi.

Proclamæ.

IX. Edicta isthæc Principum non erant unius modi. Quibusdam Principes usi, si quid notum fieri vellent, quale illud Alexandri Severi, quo itinerum dies publicè proposuit, hac forma: *Illâ die, illâ horâ ab urbe sum exiturus, & si Dii voluerint, in primâ mansione mansurus,* &c. Lampridius *Alexandro.* Ita congiarium per Edictum Populo Romano promisit Diadumenus Imp. quod ita scriptum erat: *Vellem, Quirites, jam præsentes essemus: Antoninus vester congiarium suo nomine daret: Incideret* (ita enim legendum, pro, daret. Incideret, nempe in æs) *præterea & pueros Antoninianos, & puellas Antoninianas, quæ tàm grati nominis gloriam propagarent.* Kapitolinus an Lampridius, in *Diadumeno.* Ubi obiter nota, *pueros & puellas alimentarias primum instituisse Trajanum: Antoninus Pius in honorem Faustinæ novas puellas adscripsit, Faustinianas, Alexander Severus Mammæos & Mammæas: Sic Antoninianos promittit Diadumenus.*

Pueri Antoniniani, qui?

X. Sed hæc edicta continebant nudam prædictionem temporariorum seu intimationem futurorum actorum. Magis autem huc pertinent edicta perpetuæ jurisdictionis causâ promulgata. Tale est Edictum D. Augusti, Vivio Avito, & Lucio Aproniano, COSS. propositum, de quæstionibus adhibendis *in l. 8. ff. de Quæst.* Edictum Trajani *in l. 13. pr. ff. de J. Fis.* Edictum D. Marci, de eo, qui rem alienam à fisco emit. *§. ult. Inst. de usuc.* Edictum Hadriani, de quo tollendo *t. t. C. de ed. D. Hadr. toll.*

XI. Et hæc sæpe SCtis firmari solebant, quemadmodum illud Augusti, & inde Claudii edictum, ne fœminæ pro viris intercederent, *l. 2. ad SCt. vell.* Id quod ut facilius à Senatu impetrarent Principes, suasorias orationes per Candidatos Principis seu Quæstores, de quibus *l. un. §. 4. ff. de Quæstor.* habere solebant. Augustus pro concione, cum ex more cœlibes & innuptas allocutus esset, lex Papia Poppæa de maritandis ordinibus secuta est, *Dio lib. 56.*

SCtis firmatum.
Orationes Principum.

lib.56. Tacit.3. Ann. 28. Apud eundem Tacitum exstat oratio Claudii, de supplendo Senatu, quæ tamen longè aliter habita à Claudio, atque Tacitus eam expressit *lib. 2. Ann. 24.* Exstant enim fragmenta ejus ex tabulâ æreâ in Inscript.Gruter. *fol.502.* in pandectis nobilis est oratio D. Marci de alimentis *in l. cum hi.8. ff. de transact.*& alia,de fugitivis requirendis, *in l.Divus.3. ff. de fugit.*& oratio D.Antonini Pii de Professoribus; *in l.4. C. de Profess. & Med.* Sed maximè insignis est D. Hadriani oratio, de petitione hereditatis,cujus mentio *in l.20. §.præter hæc. l. 22. l.40. ff. de her.pet.* Quæ oratio & Libellus appellatur *in d. l.20. §. præter hæc.* Propterea, quia de scripto recitabantur. Moris enim erat, quamvis præsentes,de scripto alloqui. Auctor primus Augustus Cæsar. Inde alii secuti Principes,& privati,teste Suetonio,Tacito,Dione. Tàm difficilis ac morosus denique Nero erat, ut neque cum servis neque cum liberis sermones conferret; sed iis omnia,quæ vellet,in libellis scriberet, *Xiphilinus.*

Principes loquebantur de scripto.

XII. Celebris etiam est oratio M. Antonini, cujus Paulus meminit, *l.oratione.16.ff. de R.N.* de nuptiis filiæ senatoriæ cum liberto. Mentio etiam fit orationis Severi & Commodi in inscriptione *legis XX.ff. de R.N.* ad quam Paulus singularem librum scripserit: Sed emendanda est ex titulo *l. si quis tutor. 60. ff. de R.N.& l. oratio. 10. de Sponsal.* & rescribendum, *ex oratione D. Marci,* cum oratio argumentum istud tractavit,ut liquet etiam ex *l. 17. C. de excus. tut.* Præsertim, cum Severum Commodo conjungi, & huic anteponi ratio non ferat. Denique facit index, ex quibus pandectæ compositæ,ubi nominantur duo tantùm μονόβιβλα Pauli ad orationes Principum: Alterum ad orationem D. Severi, ex quo tres leges,2.4.& 13. sub titulo *ff. de reb. eor. qui sub tut.* Alterum ad orationem D. Marci, ex quo *l. 60. de R. Nupt.* quæ ejusdem argumenti, cujus lex quoque vigesima, ut inde ex eodem libro desumtam utramque non vanè colligas. Quod si verò *d. l.20.* ex libro quodam Pauli ad orationem Severi & Commodi petita, oportet Paulum peculiarem librum scripsisse,qui tertius sit ad orationes Principum,cujus tamen nulla mentio in indice facta. Aut falsa itaque inscriptio Indicis, pauciores auctorum libros referens,quàm ex quibus compilata digesta,aut index mutilus,quod facilè

Inquiritur in inscriptionem l.20.ff.de R.N.

facilè non dixerim, etsi non ignoro, quid desideret Cujacius in eo, cui & Giphanius adstipulatur in œconomiâ ad edictum perpetuum *p.m.94.* nec non Labittus in suo indicum usu, statim in principio: Et ipse quoque desidero duos, quorum mentio non fit in indice, leges tamen in pandectis habentur: Ælium Gallum, *auctorem l.157. de V.S.* citatum etiam *in l.19. de usur. & l.77. de V.S.* & Claudium Saturninum, auctorem *l.36. de Leg.3. & l.16. ff. de pœn.*

Oratio Severi.

XIII. Orationis Severi, quam in Senatu habuit, etiam verba referuntur ab Ulpiano *l.1. ff. de reb. eor. Praeterea, P.C. interdicam tutoribus & curatoribus, ne praedia rustica, vel suburbana distrahant, nisi, ut id fieret parentes testamento vel codicillis caverint.* Ad quam orationem præter Ulpianum & Paulus librum singularem scripsit. *l.2. ff. eod.* Nec potuit omitti oratio Antonini Caracalli de donationibus inter V. & U. de quâ *l. cum hic status. 32. ff. de Don. I. V. & U.* quam Gordianus *l.10. C. de Don. int. V. & U.* Severo tribuit, quia vivo quidem Severo, patre, sed à filio tamen pronunciata *l.32. ff. & l.3. C. de D. I. V. E. U.* Vide Brissonium *1. sel. antiq. c.16. & Gutherium de O. D. A. c.30. lib.1.* Cæterùm ad finita hæc edicta ex tredecim illis Justiniani pertinent nonnulla, nempe quæ ad Armeniam, Phœnicem Libani, Ponticam, Hellespontum, Ægyptum pertinent, etsi secus videtur Cujacio summo in præfatione commentarii ad Novellas.

Caracalli.

An Claudius, an Nero sit intelligendus, l. Divus. 15. ad L. Corn. de fals.

XIV. Sæpè etiam legi antiquiori à Principis successore aliquid adjectum reperitur. Sic Claudius Princeps edicto præcepit, adjiciendum L. Corneliæ, ut, si quis cum alterius testamentum, vel codicillos scriberet, legatum sibi suâ manu adscripsisset, perinde teneretur, ac si in legem Corneliam incidisset *l. Divus. 15. ff. ad L. Corn. de fals.* Claudius, inquam. Non Nero, cui lapsu memoriæ tribuit Suetonius, *Nerone c.17.* Cum *n. d. l.15.* Divum Claudium laudet, nec temerè sit invenire, Neronem unquam Divum appellatum, rectè hoc ἁμάρτημα Suetonii notat Princeps JCtorum, Cujacius, *parat. Cod. de his, qui sibi adscrib. in test. in f.* Nec mirum, memoriâ lapsum Suetonium, cum non rara sint μνημονικὰ talia classicorum alia, quorum cumulum congessit Philippus Caroli, *var. lect. 2. 7.* A quo nec immunes JCti nostri. Ut ecce Pomponius *in l.2. ff. de O. I.* Tarquinium superbum Damarati Corinthii filium appel-

Suetonii lapsus memoriæ: & Pomponii JCti.

appellat, qui nepos eſt. Et Ulpianus *in l. 3. §. ſi liber. ff. de cond. cauſ. dat.* Domitiam vocat Neronis filiam, quæ fuit amita, Vide lectionem noſt[illegible]licam *ad d. l. 3.* ubi ex Dione, Nerone, & Tacito *lib. 13. A*[illegible]

Et Ulpiani l. 3. §. ſi liber. ff. de cond. cauſ. dat. cauſ. non ſec.

XV. Mandata, quæ & commonitoria appellantur. *Nov. 21. c. 2.* & à Græcis *παραγγέλματα. Nov. 25. c. 4. & Nov. 27. c. 1. & Nov. 30. c. 9.* & *ὑποθῆκαι Nov. 26. c. 2.* ſunt conſtitutiones ſpeciales, quibus certæ perſonæ, ut præſides, vel judices monentur, quid eos facere oporteat, ſeu, quibus muneris aut jurisdictionis eorum forma continetur, ad provinciæ adminiſtrationem, morum & diſciplinæ curam. Horum alia ſunt ſecreta, qualia à Tiberio Piſoni data ſuſpicio fuit apud Tacitum, ad ſpes Germanici coërcendas, quæ ipſe occulta appellat, *2. Annal. 45. & lib. 3. c. 16.* Hæc tamen non præſumuntur eſſe data. Ideo ſi quis affirmet talia habere, audiendus non eſt. *l. 1. & 2. C. de mand. Princ. Nov. 124. c. 4.* nec aliter, niſi in ſcriptis ſunt recipienda, exceptis tribus caſibus: I. Cum judex datur vel adjungitur: II. Cum acta edi jubentur. III. Cum Princeps jubet litem celeriter terminari. Non-ſecreta propriè commonitoria dicuntur, qualia ſunt: Ne Provinciarum Præſides in ulteriorem familiaritatem provinciales admittant. *l. 9. de Off. Praſ.* Ne patiantur eſſe collegia. *l. 1. C. de Coll. & corp. illic.* Ne Proconſul donum aut munus accipiat. *l. 6. §. fin. ff. de off. Proconſ.* Ne Dardanarii ullius mercis ſint. *l. 8. ff. de Extmord. crim.* Alia exſtant *in Nov. 8. & 17.* quæ præclarè, ut omnia, explicat Cujacius *ad Nov. 17.* Eſt & exemplum *in l. 2. C. de off. ejus, qui vicem alic.* ubi mandata Impp. Theodoſii & Valentiniani Augg. miſſa Antiocho. De his mandatis capiendum eſt capitulum Ludovici P. Imperatoris *ſub tit. Si quis literas noſtras deſpexerit. lib. 3. Leg. Longob.* quod deſumtum eſt ex Kapitularibus Lotharii I. Imp. & Anſegiſi Abbatis *lib. 2. Kapit.*

Mandata.

XVI. Motu alieno, ſed ita directo, ut jus ſit, conſtituit Princeps, cum de jure dubio conſulentibus magiſtratibus reſpondet. Hæc propriè reſcripta vocantur *t. 1. C. Th. & Juſt. de reſcr.* Hæc fiebant reſcribendo, cùm Imperator conſultationi Præſidum vel Judicum reſponderet, vel ad relationem, vel appellationem, vel ſuggeſtionem. Relatio fiebat à judicibus, poſtquam partes al-

Motu alieno datur Reſcriptum.

Vel ad relationem.

P lega-

legationibus renunciarunt ante sententiam, ambigente, quid statui oporteat, magistratu. *l. 9. C. de Judic. l. 11. §. 2. ff. de Minor.* missâ opinione suâ, ut *Nov. 15. c. 1.* Vel etiam post sententiam, appellatione interpositâ nec receptâ, *l. pen. C. T. de Relat.* Postquam nihilominus appellandi jus supererat, si fortè Præses provinciæ, vel quis alius consuluerit, & ad consultationem ejus fuerit responsum. *l. 1. §. 1. ff. de appell. lib. 8. Βασιλ. tit. 1. c. 2.* Quod si tamen exemplum relationis litigatori editum fuerit, neque refutatoriæ preces ab eo adjunctæ, & postea contra eum rescriptum fuerit, non audiendus est, si dicat eventum rescripti sacri sustinuisse, id est, expectasse. *l. 3. ff. Quand. app. l. interdum ff. de jud.* Ab his consultationibus Imperator vocatur consultissimus. *l. fin. §. fin a. C. de test. man.* consultissima lex, *l. 8. C. qui test. fac. poss.* consultissima constitutio. *l. 9. C. de repud.* Appellantur etiam talia Rescripta, Epistolæ, de quibus paulò inferius, & sacra oracula. *§. illud proprium. Inst. de Adopt. l. 5. C. si contra jus vel util. publ.* Affatus sacri *l. 5. C. de div. rescr.* Augusti. *l. 14. C. de relig. & sumt.* divini. *l. 23. §. 1. C. de nupt.* Principales. *l. 6. in f. de fruct. & lit. exp.* Harum relationum exempla plurima in *Plinii & Symmachi* epistolis continentur. *Vide hujus lib. 10. ep. 46. 55. 58. 60. 62.*

Vel ad appellationem. XVII. Ad appellationem rescribatur, quoties à sententiâ Consulis, vel Præfecti Urbi, Præfecti Annonæ, quandoque à Senatu, atque etiam à Proconsulibus, Præfecto Augustali, Comitibus & iis, qui vice præfectorum cognoscunt provocabatur. Si à Consulis sententiâ, M. Antoninus Senatum dedit judicem. *Capitolinus M. Antonino. c. 10.*

Vel ad suggestionem judicum. XVIII. Suggestio relationis species est, minorum & majorum judicum ad Principem vel præfectum Prætorio, *l. 34 C. de Appell.* quando diversis legibus ex utraque parte prolatis, quæ pugnare videntur, Imperator consulitur, *l. 5. C. de bon. quæ lib.* vel cum de novo jure, quod inveterato usu nondum stabilitum est, dubitatio emergit, *l. 11. C. de L.* *& Advocatorum.* Præter judices verò etiam solebant quandoque Advocati per suggestionem consultare. Advocationis Myricianæ suggestio à Justiniano memoratur, qui familiæ significationem dubiam illis explicavit *l. 5. C. de V. S.* Sed hæ consul-

sultationes & relationes à Justiniano sublatæ *Nov. 113. & 125.* qui sanxit secundùm leges generales singulas causas finiri. Quia ex relationibus Judicum ad Principem nimiæ dilationes & remoræ negociis afferebantur. Quare compendiosiùs visum est, amputare relationum moras, ipsosque judices pro suo captu judicare jubere, salvo parti gravatæ appellationis beneficio. *Videatur auth. novo jure. & ibi Bart. & Joh. Faber. C. de relat.*

XIX. Ad ejusmodi suggestiones secutæ etiam pragmaticæ sanctiones, quæ sunt rescripta à Principe in publicis negociis, cujusque universitatis vel provinciæ ad suggestionem alicujus corporis, collegii, civitatis vel provinciæ, *l. ult. §. 1. C. de div. rescr. & prag. sanct.* Quod confirmant Βασιλ. *l. 2. t. 5. c 25.* ibi: πραγματικὸς δὲ θεῖος μὴ ἐκφωνείσθω τύπος πρὸς ἰδικὴν τινὸς ἰδιωτικοῦ πράγματος δέησιν, ἀλλὰ μόνον πρὸς σωματείαν, ἢ ἑτέρων σύστημα, ἢ πόλιν, ἢ ἐπαρχίαν. Differentiam notat Jacob. Guther. inter pragmaticam sanctionem & pragmaticam jussionem, quarum illa in vetando, hæc in præcipiendo, quæ tamen usque adeo non videtur servari. *Pragmatica sanctio.*

XX. Sequitur altera Constitutionum species, quâ quidem Princeps id non agit, ut jus commune faciat, ob ejus tamen dignitatem & auctoritatem legis habet vigorem, ita ut quod, licet in singulari negocio, statuit, tamen in aliis quoque casibus observare velle propter summam in omnes potestatem videatur, quod fit, vel cum privatis consulentibus respondet, quod in specie Epistola appellatur, vel cum cognoscens de causâ privatorum & jus reddens sententiam fert, quod vocatur decretum. *Altera constitutionum species.*

XXI. Epistolam ita, ut dixi, specialiter accipio, quanquam interdum æquè latè atque rescripti vox pateat. Quemadmodum etiam ita à Theophilo describuntur: ἀντιγραφαὶ βασιλέων πρὸς ἀρχόντων ἀναφορὰν. (*Vide etiam l. ult. C. de divers. rescr.*) περί τινος ἀμφιβόλου πράγματος γινομέναι. Quo sensu & sacræ literæ dicuntur in inscriptione *l. 3. C. de long. temp. præscr.* Constantini & Licinii AA. ad Dionysium vicariam præfecturam agentem. In *l. 16. C. de præs. long. temp.* pars ex epistolâ Dioclet. & Maximiani ad Primosum præsidem Syriæ. In *l. 13. C. de fidei & mandat.* pars ex Epistolâ Gordiani ad Auxium. Et in *l. 8. C.* *Epistola.*

P 2 de

de Accus. & insc. est exemplum sacrarum literarum Dioclet. & Maximiani AA. ut & *in l. 5. C. ad L. Corn. de fic. l. 5. C. de J. Fisc. l. 2. C. de natur. & l. 10. C. de Muner. patrim.* Erant etiam epistolæ, quæ neque ad relationes Magistratuum, aut preces & desideria supplicantium dabantur; Sed planè ejusmodi, quæ Principis mentem duntaxat aperirent. Quod inscriptio legis Honorii & Theodosii indicat: *Imperatores, Honorius & Theodosius AA. Consulibus, Prætoribus, Tribunis pl. Senatui S. D. l. fin. C. de his qui accus. non poss.* neque enim à Consulibus aut Prætoribus ulla relatio, aut quæstio ulla.

Formales & Formatæ ἐγκύκλιοι. XXII. Harum Epistolarum quædam Formales appellabantur, nempe quando eâdem formâ ad plures scribebantur. *Vide Svet. Domit. c. 13. Turneb. 5. Advers. 10.* Prorsus similes Ecclesiasticarum Encyclicarum, ἐγκυκλίων ἐπιστολῶν, à quibus diversæ Formatæ, etsi à quibusdam, & Cujacio quoque *ad N. 6.* malè confunduntur. Formatæ enim dicebantur, quæ adhibitis propriis notis ac signis conciperentur, unde & τετυπωμέναι Græcis. Has notas ac signa describit Atticus Constantinopolitanus Episcopus ad finem Chalcedonensis concilii, quem compilavit Gratianus *distinct. 73. pr.* & magis observatè explicat *Ivo 6. parte decreti c. 433.*

Scriptæ ab Epist. Magistro. XXIII. Epistolæ conscribebantur ab Epistolarum Magistro. Cujus officii nomen ante Hadriani tempora non legitur. Priores enim Impp. libertorum operâ utebantur, Svetonius *Claud. c. 28.* Claudium habuisse ab Epistolis Narcissum testatur, qui libertus ejus. Vespasiani Patris epistolas Titus dictabat, *Svet. Tit. 6.* Hoc autem curandarum epistolarum Principis officium magni fuisse momenti ad summa quæque in aulâ consequenda ex Philostrato, *in Hermocrate* ostendit Salmas. *Quorum duo.* *H. A. fol. 11. b.* Erant epistolarum Magistri duorum generum: Unus epistolarum Latinarum, alter Græcarum, in partibus Orientis, qui Epistolas, quæ Græcè solerent emitti, aut dictabat ipse, aut Latinè dictatas in Græcum transferebat, testibus inscriptionibus veteribus apud Golzium *c. 12. p. 180.* Et de Beryllo Josephus *20. Antiq. 7.* Sed tandem mos invaluit, ut à Magistris scriniorum ferè orationes & epistolæ componerentur.

XXIV.

XXIV. Sed jam ad Epiſtolas, de quibus proponebamus: Nempe quæ preces oblatas ſequebantur. Privatis enim ad principem non dabatur aditus, niſi per libellos, inprimis à temporibus Tiberii. Tacitus *lib. 4. Annal.* Qui libelli, ſi quæſtionem juris continerent, ſecundùm Reſponſum JCtorum Imperator reſcribebat, ſic Alexander Severus Sabinæ: *ſecundùm reſponſum Domitii Ulpiani, amici mei, l. 4. C. de contr. & commit. ſtipul.* Sic Papinianus in *l. Extrario 17. ff. de Quæſt.* ſervos in adulterii quæſtione contra dominos interrogari placuit, quod D. Marcus ac poſtea Maximus princeps, *is eſt Septimius Severus*, ſecuti ſunt. His libellis princeps aut ſubſcribebat, aut ſignabat eos aut ſubnotabat. Subſcribere eſt proprio chirographo annotare. *l. Singulos 30. ff. de teſtam.* Signare annulo: ſubnotare, brevibus verbis aliquid ſcribere. Talis ſubnotatio eſt in veteri lapide, *Inſcript. 607. 2.* ubi Antoninus Pius ſubſcripſit: *Feretrum fieri placet:* Infra hanc ſcriptum ſubjiciebat vel Quæſtor, vel Magiſter ſcrinii, pro rerum varietate: SUBSCRIPSI. *Vide Güther. de O. D. A. c. 35.* Subſcriptio fiebat ſacro encauſto, *l. 6. C. de diverſ. reſcript.* quo nemini uti licitum, pœnâ poſt proſcriptionem bonorum omnium capitali ſancitâ. *Vide de eo Voſſ. de A. G. p. 136.* Hinc differentia inter reſcripta ſimplicia, quæ ſine ſigillo, aut annotatione Principis vel Quæſtoris amittebantur, à magiſtris ſcriniorum, aut memorialibus, ut ſcribit Valentinianus Nov. de homicid. cujus verba redarguunt Cujacium, *ad l. fin. C. de petit. bon. ſubl. lib. 10.* qui ſimplicia illa reſcripta putat eſſe, quæ à ſolo Quæſtore ſubnotata. *Vide Ciron.*

XXV. Succedit decretum, quod finit Theophilus, *ἀπόφασιν βασιλέως μεταξὺ δύο μερῶν παρ' αὐτῶν δικαζομένων ἐκφερομένην*: Eſt ſententia principis, cum cauſæ cognitione de Conſilii ſententiâ inter partes litigantes lata. Dixi, de conſilii ſententiâ. Etſi enim laudabilis iſte mos Romæ obtinuit, qui poſtea & Conſtantinopoli duravit, ut, teſtantibus id quarundam legum inſcriptionibus, Imperatores non ſolùm in curiâ Senatorum cognitionibus interessent: Verùm & in foro prætorum judiciis interveni- *Decretum.*

nirent, ac sæpe in eodem tribunali sederent. *Casaub. Svet. Aug. c. 33.* Quemadmodum de Julio, Augusto, reliquis Svetonius, de aliis alii Cæsarum βιογράφοι; Propriè tamen illud decretum Principis, quod in Consistorio pronunciabatur, adhibito consilio. Id est, proceribus Palatii & Senatoribus, *l. 2. C. de LL.* Testantur inscriptiones quarundam legum, v. g. *l. 6. C. de usuc. pro emt. ibi.* Imp. Philippus cum Consilio collocutus, dixit: Ubi in vulgatis perperam: *Cum Cælio.* Idem innuitur, si Princeps apud acta dixisse legitur, ut in *l. 6. C. qui bon. ced. poss.* Acta enim propriè in Consistorio Principis intimo fiunt. Consistorium istud & tribunal & auditorium comprehendebat: Publicorum judiciorum cognitiones aut nobiliores de re pecuniariâ controversiæ pro Tribunali, privatorum in auditorio expediebantur. Inprimis ad tribunal vocabantur de Christianis cognitiones. *Vide Plin. lib. 10. Ep. 120. Guth. de O. D. A. lib. 1. c. 22.* Præcessit ergo cognitio decretum. Hinc cognitionalis sententia, *Nov. Theod. & Val. 6.* Et causam cognitionaliter examinare in *l. fin. C. de LL.*

Consistorium Principis.

XXVI. Cæterum ordinariæ in Consistorio Principis agitabantur Illustrium causæ, si deliquissent, & post depositam administrationem accusarentur. Princeps enim illorum Judex est. *l. fin. C. ubi Sen. vel Clariss.* Ubi tamen distingvendum inter eos, qui ob administrationem gestam illustres sunt, & eos, qui illustri dignitate donati sunt à Principe. De illorum criminibus, sive publicis, sive privatis, de quibus per procuratorem respondere non licet (id est, quorum pœna non excedit relegationem. *l. 5. ff. de pœn.*) solus Princeps cognoscit; vel sacer cognitor, id est, judex à Principe delegatus, apud quem judicium procedit more sacrarum consultationum, & nullius officii vel scholæ ministerium adhibetur, sed sacri scrinii libellenses solennia judicii implent, ac reus in aliquâ secretarii parte sedet, quæ judice inferior, altercantibus superior sit. *d. l. ult. pr.* Sacer a. cognitor, de crimine quidem cognoscere, & reum innocentem absolvere, & accusatorem, nisi æquè illustris sit ac reus, calumniæ causâ punire: Non tamen in reum convictum, aut in accusatorem, qui æquè illustris est, calumniatum, statuere aliquid potest: Sed ad Principem

cipem referre debet, ut ipse arbitrio suo pœnam imponat. *l. ult.* §. *1.* Præter hasce causas aliæ quoque, de quibus Principi supplicatum, siquidem majoris momenti essent, à Principe cognoscebantur, ut factum in causâ Pactumejæ M. referente Tryphonino, *in l. fin. ff. de her. instit.* Cui legi ut lucem dat quadam tenus Lampridius *Commodo, c. 7.* ita Pactumejum, pro Pactulejo, Lampridius Tryphonino debet. Idem Pactumejus similiter restituendus Pomponio. *l. 21. §. 1. ff. de stat. lib.* ubi perperam: *Pactum ejus Clemens*, pro, *Pactumejus Clemens.* *Emendatio l. 21. §. 1. de stat. lib.*

XXVII. Hæc decreta actis publicis componebantur. Erant enim acta ὑπομνήματα, seu rerum gestarum commentaria, ex quibus jus Prudentes nostri petierunt subinde, Exempli gratiâ *in l. 7. C. de Episc. & Cler.* legitur: *Pars actorum habitorum in consistorio apud Imperatores Gratianum, Valentinianum & Theodosium, consulatu Synagrii & Eucherii: Virorum Clariss. die IV. Kal. Januariis Constantinopoli in Consistorio: Imperator Theodosius dixit.* Et in l. 6. C. qui bon. ced. poss. *Imperator Theodosius ap. acta dixit.* In l. 2. C. de Excus. mun. *Pars actorum Diocletiani & Maximiliani Augg. & Cæs. Inductis Firmino & Apollinario & cæteris principalibus Antiochensibus adstantibus; Sabinus dixit,* &c. Ubi Cujacius notat Sabinum Advocatum Græcè dixisse, quæ desunt in vulgatis, & in MS. legi non possunt. In l. 3. C. Th. de offic. Jud. milit. *Impp. Gratianus. Valentinianus Augg. Pars actorum habitorum in consistorio Gratiani Augusti: Gratianus Augustus dixit.* In l. 5 C. Th. de fide test. & instr. *Pars actorum habitorum ap. Imperatorem Julianum Aug. Mamertino & Nevitta Consulibus X. Kal. April. Konstantinopoli in consistorio, adstante Jovio, Viro Clariss. Quæstore, Anatolio Magistro officiorum, Felice Comite sacrarum largitionum, &c. Julianus Aug. dixit.* Est & pars Actorum Constantini *in l. 1. C. Th. de iis, qui administrant, vel offic. publ. gerunt, tradita sunt. lib. 8. tit. 14.* *Decreta inter acta publica.*

XXIX. Hactenus de constitutionibus generalibus, videndum nunc etiam est personales, quæ ita appellantur *in l. 1. §. 2. ff. de Const. Princ.* quæ personam non egrediuntur, nec ad exemplum trahuntur *d. l. 1.* quæ & privata privilegia in *l. 4.* & personalia rescripta *in l. 5. C. Th. de itinere muniendo.* appellantur. Ab his *Constitutiones personales.*

his aliud est jus singulare, aliud ab utroque privilegium, quemadmodum hoc rectè Cujacius distingvit à jure singulari, *15. O. 8.* Personales enim constitutiones dicuntur, quæ personæ singulari ob meritum vel indulgent, vel quam pœnam irrogant, vel sine exemplo subveniunt. *§. 9. Inst. de J. N. G, l. 1. §. 2. ff. de Const. Princ.* Jus verò singulare appellatur, non intuitu personæ, cui competit, sed intuitu rationis juris. Cum enim legum, quæ generaliter constituuntur, *l. 8. de LL.* hæc sit natura, ut omnes quidem casus, qui quandoque inciderint, comprehendere non possint *l. 10. de LL.* tamen propter communem rationem ejus vel interpretatione, vel jurisdictione extendi eas ad casum emergentem oporteat, *l. 11. 12. & 13. de LL.* Alia utique ratio eorum est, quæ contra rationem juris *l. 14.* contra tenorem rationis *l. 16.* recepta constituta sunt, in quibus regulam juris sequi non possumus *l. 15.* producendo ea ad consequentias *l. 14. de LL.* quæ desumta est ex libro Pauli JCti, de jure singulari, unde *& l. 63. de usufr. & l. 54. sol. matr.* quæ similiter docent, id singulare jus appellari, quod à regulâ juris deflectit. Nam *in l. 67.* docet usumfr. cedi posse etiam ab eo, qui non habet, quod est contra regulam communem, quâ nemo plus juris transferre potest, quàm habet. In *l. 54.* similiter peculiare jus mariti, de eo, quod facere potest, proponit. Apparet itaque differentia: Jus singulare est, quod singularem à regulis juris exorbitantem habet rationem: Constitutio personalis planè non dicitur intuitu rationis, quemadmodum neque secundùm rationem, neque contra eam, sed præter ipsam esse dicitur, Jus singulare contra tenorem rationis communis est propter utilitatem *l. 16. de LL.* vel necessitatem publicam *l. 162. de R. J.* constitutio personalis ob meritum, vel odium. *l. 1. §. 2. de Const. Pr.* Jus singulare non ita dicitur ratione personæ, cui fertur, sic enim & ipsum generale est: v. g. usucapio, jura circa pecuniam creditam singularia, de quibus Ulpianus *in l. 15. de Reb. cred.* Constitutio personalis dicitur, ratione personæ, cui fertur, quam non egreditur, etsi alia quoque persona ejusdem sit meriti vel conditionis.

Differunt à jure singulari.

Differentia privil. & jur. sing.

XXIX. Sic Privilegium à Jure singulari quoque differt, ut differunt singulare & proprium. Singulare opponitur communi

ni positivi juris rationi contrariè: Proprium subordinatur. Quemadmodum jus civile proprium dicitur civibus Romanis respectu juris gentium, *l. 6. de J. & J.* quod minimè impugnat, sed addendo illi, vel detrahendo subjecto suo illud facit accommodum & quadrans *d. l. 6.* Ut possis illud civitatis Romanæ privilegium appellare. Ita privilegium jus certæ personæ vel causæ debitum, certis earundem qualitatibus, & conditioni accommodatum, ut privilegia creditorum, absentium, clericorum, studiosorum, dotis, piæ causæ, sunt suum cujusque jus proprium, quasi juris civilis partes, quæ juri civili generali non derogant, ut jus singulare, sed integrant illud, dum, addendo vel detrahendo ei, faciunt subjectis suis quadrare, aptumque fieri. Breviter: Jus singulare seorsum agit à juris communis ratione, & rationem status pro ratione habet. *d. l. 16. de LL. & 162. de R. J.* Privilegium communi juris rationi subest, illamque applicat subjectis propriis & adæquatis, in quantum illa illud recipiendo sunt.

XXX. Et quia communi velut consensione privilegium, jus singulare, & constitutio personalis confunduntur, de privilegii naturâ ab ovo, quod dicitur, res petenda. Lex fuit una in duodecim, quâ vetitum fuit, leges privis hominibus irrogari, id dicit Cicero, esse privilegium *3. de LL. sub fin.* Oratione quâdam ad Pontif. *In privos,* inquit, *homines leges ferri noluerunt. Id enim est privilegium. Quo quid est injustius? Cum legis hac vis sit, scitum esse & jussum in omnes.* Attejus Kapito, qui publici privatique juris peritissimus dicitur *à Gellio, 10. N. A. 20.* legem ita definit: *Lex est generale jussum populi aut plebis, rogante magistratu.* Hinc Gellius d. l. *Ea,* inquit, *definitio si probè facta est, neq; de Imperio Cnei Pompeji, neq; de reditu M. Ciceronis, neque de cæde P. Clodii quæstio, neq; alia id genus populi, plebisve jussa, leges vocari possunt. Non sunt enim generalia jussa, neque de universis civibus, sed de singulis concepta. Quocirca privilegia potius vocari debent. Quia veteres priva dixerunt, quæ nos singula dicimus.* Et sic Ulpianus quoque in *l. 8. de LL. Jura non in singulas personas sed generaliter constitui.* Vetabantur autem propter rationem status Reipubl. democraticæ, quæ æquabilitatem civium

Q re-

requirit, ad concordiam tuendam, cui tales leges privæ δὶς διασπασῶν repugnant. Quod secus est in Principatu. Petitum hoc jus fuit ex LL. Atticis. Ita enim tulit Solon: Μηδὲ ἐπ' ἀνδρὶ ἐξεῖναι θεῖναι, ἐὰν μὴ τὸν αὐτὸν ἐπὶ πᾶσιν Ἀθηναίοις, ἐὰν μὴ ἑξακισχιλίοις δόξῃ κρύβδην ψηφιζομένοις. Servavit hoc Axonum fragmentum Andocides περὶ τῶν μυστηρίων, Demosthenes, κατ' Ἀριστοκράτους. Et Solonis esse Æneas Gazæus in Theophrasto suo testatur, quem nuper publico, eique comitem Zachariam Mitylenæum, Caspar Barthius, Eques, ambos Philosophos Christianos, recensos, & luculento commentario exornatos dedit. Et in hoc quidem significatu, & eo tempore, privilegium erat vi ac potestate idem, quod postea constitutio fuit personalis, quia jus, quod Imperatores, Republ. occupatâ, faciebant, legis nomine non veniebat, sed constitutionis, ideo nec tale jus privum amplius privilegium dici, sed personalis constitutio debuit. Et privilegii notio de jure certo personarum ordini, conditioni, & qualitati, certisque causis propriè adhæsit. Et in hac significatione distingvitur privilegium, ut aliud sit personæ, aliud causæ *in l. 68. & l. 198. de R. J.* Personæ, ut jus proprium pupillorum, studiosorum, clericorum. Causæ, piæ causæ, dotis, crediti cujusdam, & similia, quæ & beneficia & auxilia appellantur. Ad rem: Et constat jam constitutionem personalem esse, quæ singularibus personis à Principe, rescripto fermè ad supplices earum libellos dato conceduntur, quæ & ipsa beneficia Principum dicuntur *in l. 3. ff. de const. Princ.* & speciale beneficium Ulpiano *in l. 38. pr. ff. Ex quib. caus. maj.* & de his beneficiis vel constitutionibus Principis Neratius olim respondit, *non videri sibi Principem, quod ei quem vivere existimabat, concessisset, defuncto concessisse. Quem tamen modum esse beneficii sui vellet, ejus æstimationem esse*, referente JCto Celso *in l. 191. de R. J.*

Materia constitutionis. XXXI. Satis de speciebus statutorum Imperialium. Videamus nunc de materia. Quam dubium non est, esse tale quid, quo bonum commune intenditur. Debet itaque vel esse honesta, vel certè indifferens, & ex genere eorum, quæ fieri possunt, non ἐκ τῶν ἀδυνάτων. Et hæc quidem de constitutione jubente expeditum. Etsi enim fortè Princeps inhonesta, vel impossibilia præcipit, legis id tamen vigorem non habet, quia obligationem

non

non potest producere, quæ ad impossibilia nulla est. Quæ verò honestè fieri non possunt, moraliter impossibilia habentur. De lege autem permittente malum operosior est dispectio. Quia enim mali permissio neque honesta neque indifferens potest haberi, & talis injusta dicenda videtur. Et tamen jure nostro civili in multorum honestorum virorum prædiis lupanaria exercentur. *l. ancillarum 27. §. 1. ff. de petit. her.* Adulteria impunè perpetrantur. *l. quæ adulterium. 29. in f. C. ad L. Jul. de adult.* Meretrix non turpiter accipit locare corporis sui *l. 4. §. 3. ff. de cond. ob turp. caus.* Concubinatus est consvetudo licita. *l. si qua illustris. f. C. ad SCt. Orph.* Usucapio, præsidium impium, permissa. *Nov. 9.* usuræ exercitium, cædes uxoris in adulterio deprehensæ, impunita.

An lex permissiva mali sit justa.

XXXII. Quæ ut rectè constituantur, præmittendum, quod permissio superioris involvat tolerantiam alicujus, quod possit non tolerare, quod fit potissimùm tripliciter. Aut enim actus permissus nunquam fuit contra jus, cum tamen esse potuerit, sic permittuntur secundæ nuptiæ, venatio bestiarum, aucupium: Aut semper fuit contra jus, sic permittitur malum, propter bonum, quod inde elicitur, vel majus malum, quod inde vitatur, idque dupliciter, vel factum non puniendo, vel futurum non impediendo, quemadmodum permittuntur lupanaria: Aut aliquando fuit contra legem, & nunc non est, id quod permittitur vel tollendo præceptum vel prohibitionem, ut permittuntur nuptiæ consobrinorum, & repudia propter σκληροκαρδίαν. *Vide Summam summar. Sylvestr. in permissio.* Prior & posterior permissio, quia versatur circa actus per se indifferentes, huc non pertinet: Quæstio itaque est de lege permittente malum per se. Dicimus ergo ejusmodi constitutionem, quæ malum non puniendo permittit, posse non injustam esse, quia vindicatio non est actus competens parti offensæ, quâ tali; sed est actus τῆς ὑπεροχῆς. Est enim pœna ultimum in coactione, coactio autem non competit nisi τῇ ὑπερεχούσῃ ἐξουσίᾳ. Naturaliter enim pars offensa, quâ talis, nullum jus habet in pœnâ, neque ad irrogandum eam, neq; ad obligandum alterum, ut irroget. Naturâ enim ex facto tuo mihi nihil aliud debetur, ac ne deberi quidem potest, quam æqualitas

Permissio ratione objecti est triplex.

Affirmatur quæstio.

litas ſecundùm rem, uno verbo, indemnitas. Non ergo pœna. Cauſa enim naturalis iſtius indemnitatis non eſt vitioſitas actus, primò & per ſe, ſed quia mihi aliquid deeſt. Pœnæ autem cauſa eſt vitioſitas illa. Jus ergo puniendi in ſolo Rectore eſt, & quidem non ipſius, ſed communitatis gratiâ. Pœna enim omnis propoſitum habet bonum commune, ordinis nimirum conſervationem, & exemplum. Itaque quia actus malus punibilis non eſt, niſi in relatione ad ſuperiorem, poterit ſuperior gratiam pœnæ hujus facere, ſi probabiliter ſciat, impunitate majus bonum, vel minus malum egregio publico conferri.

Forma conſtitutionis.

XXXIII. Forma conſtitutionis eſt in ipſâ juſſione Principis; quæ debet eſſe ſenſibilis & externa. Cum enim debeat lex eſſe norma actionum civilium, oportet, ut rectibili applicetur: Applicatur autem, non ante, quàm ſi innoteſcit ſigno aliquo externo, voluntatis indice, per promulgationem, *l. 9. C. h. t.* cum de voluntate in mente retentâ, tanquam incognitâ, nemo teneri queat. Ideoque voluntas concepta quidem jam, ſed non promulgata, neque ſcientem conceptionis obligat. Nondum enim jus eſt, quia de naturâ legis eſt, eſſe præceptum commune, omnes obligans. Propterea etiã promulgatio intelligenda eſt cum ſufficiente temporis latitudine, quâ moraliter ad totiꝰ communitatis ſcientiam pervenire poſſibile ſit. Et hinc Juſtinianus requirit, ut poſt duos demum menſes ab inſinuatione obliget, *Nov. 66.* quod uſus recepit. Exceptis conſtitutionibus Pontificiis. *c. cum ſingula. X. de præbend. in 6. & c. 1. X. de conceſſ. Præbend. in 6. Zaſ. ad Decret.* Factâ ita promulgatione conſtitutio perfecta eſt, nec requiritur ſubditorum acceptatio. Valet enim propriâ conſtituentis auctoritate & imperio, ſive unus ſit, ſive multi, & ſic exaudienda *l. de quibus 32. ff. de LL.* Et quia juſſio ſcripturâ fieri poteſt, ſed & plerumque ita fit, ſcripturam hoc caſu de formâ legis dicere, nihil abſurdi eſt, imò verùm eſt. Et quod objici ſolet, nihil ad eſſentiam ſuam redigi, legem verò in ſcriptum redigi dici, parum efficit: Non enim loquimur de lege jam conſtitutâ, cui ſcriptura ſupervenit, ſed de lege, quæ per ſcripturam conſtituitur. Hæc quia jam ſcripta eſt, & lex ſcripta nata eſt, non poteſt in ſcriptum redigi, cum quod quidvis eſt, fieri ampliùs non poſſit.

possit. At si quod præceptibile aliter,atq; per literas,de potentia in actum, id est, in præceptum abiit, utique ad ejus formam scriptionem pertinere nemo dixerit. Hic itaque ordo est, rectè condendi constitutionem generalem. Primò,ut quod statuendum est, à Proceribus Palatii & Senatu tractetur. Deinde si his placuerit, dictetur & scribatur. Tum collectis omnibus denuò recenseatur: Et si omnes consenserint, in consistorio Principis recitetur, atque ita perfectionem obtineat. *l. humanum. 8. in quâ, pro*, legata dictari, *legendum ex MSCtis*, legem dictari, *teste Pacio in analysi Codicis h. t. n. 14.* Additur etiam plerumque, ut per omnes populos judicium programmatibus divulgetur, ut *in l. 1. §. ult. C. de Off. Præf. Prat. Afr.* & in calce fermè omnium Novellar. Quamvis Canonistis videatur sufficere, si Romæ publicatio sit facta. *Gomes. ad Reg. Cancell. proœm. q. 2.*

XXXIV. Videamus & de effectu, potissima omnis juris parte; is verò vel communis est omni juri: Vel constitutionum singulis speciebus proprius. Videamus de communibus: Is est, ut obliget subditos ad sui obedientiam *l. leges. 9. C. de LL.* etiam in conscientia, in quantum refractarius & contumax resistit ei potestati, quæ est ordinatio divina. Dixi obligare subditos, in quantum scilicet sunt subditi, atq; adeo intra territorium constituentis. Extra enim territorium suum constituens privatus est,nec imperium habet, quo destituta lex operari non potest. Secus verò est in sententiâ, quæ obligat etiam subditum extra territorium constitutum. *Innoc. ad c. à nobis. 21. ff. de sent. excomm.* cujus rei ratio mihi videtur fore quod constitutionis effectus proveniat ex Principis potestate. Quæ extra territorium nulla est. At sententiæ vis est ex jurisdictione, & foro competente, quod latius extenditur quàm territorium judicis.

Q. Effectus constitutionis. Q. Q.

XXXV. Sed numquid & advenæ tenentur legibus territorii, in quo ut hospites agunt? Quod verum est, *Can. quæ contra dist. 8. Can. illa distinct. 12.* quia leges feruntur bono totius universitatis hominum in territorio comprehensorum, cujus pars, licet temporaria, utiq; & peregrini sunt, pro eo tempore,quo in territorio agunt. Hinc fit,ut die festo ibi debeant abstinere ab operis servilibus, licet in loco domicilii non sit festum. *Zas. ad tit. X.*

An advenæ teneantur legibus territorii? Q.

Q. *de constitut. n. 33.* Et quo loco quis moritur advena, secundum ejus loci regulas testamentum conditum valeat circa bona, ubicunque sita. *Alexand. cons. 44. n. 30. vol. 5. per l. 1. C. de emancip. lib. & l. si non speciali C. de testam. Barth. & Jason. in l. 1. C. de Sum. Trin. Hail. 2. obs. 123. n. 3. Dan. Moll. sem. 1. c. 29.* secus si moriatur

Q. ab intestato. Volunt enim Dd. mobilia ejus sequi domicilium, vide novissimè Papinianum Saxonicum, Dn. Carpzovium, *Resp. 6. 4. 38.* etsi pro cathedrâ disputari contra possit.

An Clerici teneantur constitutione Principis.

XXXVI. An clericos obliget Principis constitutio, prolixa est quæstio: quam paucis attingere juvat. Quod Clerici partes sint reipubl. eundem communem Regem, ac Rectorem habentes cum Laicis, nec ii, qui in architectandâ hieromonarchiâ maximè laborant, negare potuerunt. *Vide Molin. 2. de J. & J. dis. 31. & Bellarm. de Cler. c. 28. prop. 2. & de concil. & Eccl. c. 13.* Quapropter & legibus totius Reip. communibus subjacere tenentur, aut docere de exemtione, quæ facti, nec præsumenda. Exemtionem autem illam, si qua est, vel jure divino, vel humano positivo accep-

Q. tam oportet. Sed ex jure divino non potest ea demonstrari, ut ipse Covaruvia agnoscit *pract. quæst. 31.* & rationibus probat. Quæ etiam reapse est sententia *Alderani Mascardi de gener. stat. interpret. conclus. 1. n. 76. Christin. 1. 203.* quidquid Canonistarum Plebs sciscat, cui & Ferdin. Vasq. *de success. lib. 3. §. 22. n. 58. 59.* cum pluribus, quos allegat, aliis accedit. Quidquid etiam in conciliabulis Lateranensi sub Leone *X. sess. 9.* & novissimo Tridentino *sess. 25. c. 20.* rogatum. Jure verò humano innumerabiles leges sunt, quæ Clericis, & in eos latæ. Quot enim solus Justinianus tulit? Agunt de his *Nov. 3. 5. 6. 7. 11. 16. 22. 40. 42. 43. 46. 55. 56. 57. 58. 59. 65. 67. 76. 79. 81. 83. 86. 111. 117. 120. 123. 131. 133. 137. 140. 146.* Quot tulit Karolus & Ludovicus, ut ex capitulari videre est. Quibus se teneri professus est Leo IV. *c. 9. dist. 10.* Quot

Q. tulit Leo VI. Imperator? Sanè exemit eos judicio seculari Justinianus *Nov. 79. 83. 132.* Sed ita exemit à Jurisdictione judicum inferiorum, ut suam sibi in illos retinuerit integram potestatem.

Exemtio Clericorum quid.

Sunt enim ejusmodi exemtiones nihil aliud, quam simplex delegatio, qua, quæ Clericos concernunt judicia vel omnia, vel aliqua committuntur Episcopis à Principe, ut nomine & Auctorita-

te

te ipsius Principis illa nôn à Laicis, sed ab Episcopis, tanquam judicibus delegatis exerceantur *M. A. Dominis lib. 6. de Rep. Eccl. c. 6. n. 62.* Sed à Jurisdictionis exemtione non licet colligere ad exemtionem ab obligatione, quâ quis potestati legislatoriæ subjicitur. *Vid. Barclaium contra Bellarminum, c. 34. Laurentium Banck de tyran. Pap. c. 6. qui M. Antonii de Dominis vestigia premere videtur.* De facto ergò Pontifex exemit clericos, eâdem injuria, quâ ipse se super omnem potestatem extulit; Interim tamen exemtio ista à Canonistis restringitur, ut leges, quæ pro totâ communitate ponuntur, super materia communi clericis & laicis, v. g. Ne merx provinciâ exportetur, fruges avehantur &c. clericos quoque obliget. *Vid. novissimè Zœs. Comm. ad Decretales de constitutionibus n. 36. v. 37.* Hodiè in Imperio Germanico Principes protestantes, qui vocantur, potestatem circa sacra recuperarunt jure proprio, cujus vi clerici sui obligantur constitutionibus eorum. Inde tamen satis supinè à quibusdam dicuntur duplicem habere personam. Cum enim Principibus potestas legislatoria circa sacra de se competat, ut Principibus, jure proprio, & ut sunt Rectores Civitatis vel suæ communitatis, non aliam propter exercitium hujus potestatis personam possunt repræsentare, quàm qua leges circa profana condunt: Sed cum potestas ipsa una sit eademque, non potest hujus unius potestatis ratione duplicem personam princeps gerere, nec rectiùs episcopalia fortè jura dixeris Principes nostros exercere, non magis atque si jurisdictionem Ministro tuo mandatam, vel de facto ab ipso usurpatam, cùm vindicaveris, Ministri appellare possis, ejusque personam repræsentare respectu illius dicèris. Nec hæc de verbis est observatio, sed ad jus rei multum interest, itane an aliter loquaris. Et potius Episcopus duplicem personam gerit, nempe Ecclesiasticam & Judicis.

Q. Clerici secundum quid liberi à legibus civilibus, secundum Canonistas.

Q. Notantur qui dicunt Protestantes gerere duplicem personam, ratione juris sacri.

XXXVII. An Princeps teneatur suis legibus, quæstio pervulgata, & omnium pulpitorum hodiè. Nec minus nota distinctio inter obligationem directivam & coactivam. Et quod obligatione directiva seu hactenus, ut legem in universali & communi materiâ, quæ ad ipsum etiam Principem pertinet, versantè, actionis suæ

An Princeps suis legibus teneatur?

suæ normam & Princeps agnoscere teneatur, communis est sententia, tum quia sine violatione legis naturæ non potest Princeps id negligere, quod toti communitati æquum esse & justum judicaverit. Tum quod Princeps, si, quàm seriò & enixè potest, subditis quod bonum visum est, non præcipit, peccat contra jus naturæ. Opus enim Domini negligenter facit. At ipse idem quod præcipit non servans, non tàm enixè præcipit, quàm potest. Ergò peccat contra jus naturæ.

An vi coactivâ teneatur? Q.

XXXIIX. Quod verò attinet vim coactivam, Princeps suas leges observare non adstringitur. Quod extra dubium est, de pœnâ à Magistratu infligendâ, cum inferioris nulla superiorem coactio sit. Sed non minus tamen verum etiam de pœnâ, quæ ipso jure actum sequitur tàm ratione executionis, quam adversum se exercere Princeps non potest, qui idem esse agens & patiens non potest; quàm ratione obligationis ex vi legis, per quam quis ipso jure fit punibilis, cum & hæc obligatio involvat respectum ad superiorem, qualis intra remp. suam ante Principem nemo est. Idem est, si lex actum, contra dispositionem factum, irritum pronunciet. Aut enim actus hujus infirmatio pœnæ loco posita est, & Principem non tangit, quia pœna superioris est; In tantum, ut celebrando talem actum exceptionem à regula facere voluisse censeatur. Unde validè omissis solennitatibus testatur, uti & manumittit sola voluntate *l. apud eum. 17. de Manumiss.* Inhabili scienter officium conferens, videtur eum habilem reddere *l. 5. de off. Prat. l. Quidam consulebat. ff. de R. jud.* Aut ut officii & honestatis commonefaciat, & sic ad vim directivam pertinet. Quid ergo? Siccine nec contractus servare suos cogetur? Omninò. Etsi enim actio ex contractu adversus Principem tenet, hactenus, ut jus creditoris per sententiam declaretur: Executionem tamen nemo unus facere potest.

Q. Q.

An contractus servare cogatur Princeps?

Q. *Constitutio permissiva quomodo obliget?*

XXXIX. Circa constitutionem permissivam dubitatur, quomodo obliget; Idque tantò magis, quod permittere inter legis virtutes referatur *l. 7. ff. de LL.* Lex autem dicatur præceptum *l. 1. ff. de LL.* quæ videntur ἀσύστατα. Permissio enim tantum impedimentum, quod obstare acturo videbatur, removet, non verò facit, ut permissu necessariò quis utatur. Sciendum itaque, permis-

missionem obligare, non quatenus jus dat, ad aliquid omninò licitè agendum; Sed quatenus impunitatem, adversus impedituros. Obligat itaque non agentem, sed patientem; Præcipit, non respectu agentis, sed ejus, qui resistere aut impedire agentem aliàs potuisset.

XL. Quantum ad materiam, constitutio est norma futurorum negotiorum, non verò præsentium aut præteritorum *l. 3. ibi: in posterum. C. de LL. l. 29. ibi: quæ in posterum C. de testam. l. 18. in f. C. de SS. Eccl.* Nisi quando lex nova jus vetus interpretatur, quia non inducit jus novum, sed, quid jam olim juris fuerit, declarat. *Vide Coler. de Process. execut. p. 1. c. 10. n. 86. Gail. 2. O. 9. n. ult.* Quid verò si pendente lite nova prodeat constitutio? Judicabitur secundum antiquam nihilominus legem. *l. 7. C. de LL. Nov. 82. c. 13. & Nov. 113. c. 1.* Quod verum erit, & appellatione durante. *Vide Berlich. decis. 159.* ubi ita judicatum refert. Quod si lex nova vel statutum aliquid prohibeat, hac tamen exceptione, nisi præscriptio obstet, tam intelligitur præscriptio ante legem novam completa, quàm post legem illam inchoata & completa. *Berlich. decis. 162.*

Constitutio operatur in futuris negotiis.

Q.

Q.

XLI. Satis de legis obligatione. Præter eam operatur & coërcitionem, quæ vel actum ipsum afficit, irritum eum reddendo, vel personam obligatam. Quantum ad prius, dubium est, utrum omnis actus, contra legem factus, sit ipso jure nullus? Distingvunt aliqui inter leges, prohibentes actum, quod ad ejus substantiam, & exercitium, referente Zœsio *ad tit. de LL. n. 50.* & quoad modum & formam actus. Sed nihil hîc diversi: sive enim lex aliquid fieri vetet, si fiet, irritum erit, sive modum & formam actui præscribat, his non servatis, actus erit invalidus. V. G. Filiusfam. vetatur testamentum condere; Pater testamentum facturus jubetur liberos, suos heredes, aut instituere, aut nominatim exheredare. Priùs pertinet ad exercitium, posterius ad modum actus. Utrumque irritum est, si contra fiet. Rectius dicimus, regulariter actum contra legem esse nullum, nisi aliam pœnam vel remedium, quo actus ex postfacto rescindatur, lex ipsa statuat. Sic quando mulier vetatur intra tempus luctus nubere, si nubit, facit contra *l. 1. ff. qui not inf.* Sed actus non invali-

Legis effectus coercitio.

Actus contra legem an ipso jure nullus?

validatur, sed mulier fit infamis & alias pœnas patitur. *l. 1. C. de sec. nupt.* Pater vetatur filium immerentem exheredare: Si tamen exheredaverit, subsistit testamentum, sed per querelam evacuari potest. *Vide Joh. Fab. ad l. non dubium C. de LL.* In tantum autem actus contra legem factus ipso jure nullus est, ut nec jure-jurando confirmetur. *l. 5. C. h. t.* Jus tamen canonicum ejusmodi actum sustinet, dummodo sine peccato, & sine salutis dispendio juramentum servari possit *c. cum contingat. 28. X. de Jurej.* Juramentum itaque non firmat, quæ prohibita sunt propter sui turpitudinem: sed illa quæ prohibita sunt in favorem personæ. *Dyn. Ext. de R. J. c. non est obligatorium. in 6.* Porrò non solum actus ipse prohibitus nullus est, sed etiam quod eum consequitur, veluti si stipulatio nulla, neque pactum, vel solutio, vel acceptilatio valet, unde solutum repetitur per condictionem indebiti *l. ex his. 54. ff. de cond. ind.*

Rescripti originale exhibendum.

XLII. In specie ut effectu potiatur Rescriptum, oportet ipsum originale exhiberi *l. 3. C. de div. rescr.* In communi autem causâ emissum, licet ad unius personam directum sit, nihilominus tamen etiam consorti litis prodest, *l. 1. C. d. t. Fach. 8. cont. 66.* Porrò habet & vim litis contestatæ, ut perpetuet actionem. *t. t. C. quando libell. Princ. datus lit. cont. fac.* nempe eam, quæ ex edicto Prætoris annalis est, etiamsi pœnalis fuerit, v. g. actio injuriarum, actio v. bon. raptor. Quod metus causâ *l. 2. C. Quando libell. Princ. dat.* In aliis verò actionibus prætoriis, quæ longiori tempore perimuntur, rescriptum litis contestationem non operatur. *Perez. C. Quand. lib. Princ.* Deinde requiritur, ut inseratur clausula, *si preces veritate nitantur*, quâ omissâ, rescriptum non valet jure civili. *l. ult. pr. C. de divers. rescr.* sed jure canonico ea clausula subauditur, ut perinde habeatur, atque si expressa fuisset. *c. 2. X. de rescr.* Similis formula est Diocletiani: *Si vera sunt, quæ precibus complexus es*, l. 13. de Transact. *si hoc ita est.* l. 5. C. ad L. Corn. de Sicar. *Quæ si ita sunt.* l. 2. C. si mat. indem. *Idq; in veritate ita esse Præsidi probaveris.* l. 2. C. quib. ex caus. maj. *si allegationibus tuis fidem adesse perspexeris.* l. 3. C. qui morb. se excus. l. ult. C. si adv. fisc. l. 3. C. de fidej. *Probari debere fidem precibus vestris adesse.* l. 5. C. de fid. instrum. *si probare poteris*, l. 4. C. ex quib. caus. infam.

Clausula: si pre. ver. nit.

fam. l. 7. C. de his, qui vi. *si docueris* l. 9. C. de fals. l. 1. C. de fideic. libert. *Doce*. l. 9. C. de R. V. l. 1. C. rer. amot. Vide plura ap. Briss. 3. *formul. 294*. III. Annotatio temporis, quo rescriptum datum. *l. 4. C. h. t.* cujus variæ habentur formulæ, ut, DATA, SCRIPTA, EMISSA. Data & scripta, frequentiùs leguntur, notatque, Data, constitutionem generalem. Quandoque duobus locis datum rescriptum legitur: ut illud Gratiani ad Tatianum Præfectum Præt. *Dat. XV. Kal. Jul. Thessalonicæ. Et rursus: Constantinopoli XIII. Kal. Jan. Gratiano V. & Theodosio AA. COSS.* l. 3. de litigos. *Scripta* autem notabantur, ea, quæ juris notissimi sunt *l. 26. C. de transact.* & non incertæ opinionis *l. 32. C. eod.* EMISSA, subscribebatur Epistolis, Principis mentem, sine relatione magistratus præviâ, aut supplice libello declarantibus. Talis est Juliani ad Geminianum, EMISSA XV. Kal. Jul. Mamertino & Nevitta COSS. *in l. 6. C. de his qui per met. jud. non app.* Et in *l. 9. C. Th. de Agent. in reb.* quæ est Arcadii & Honorii, ad Osium Magistrum officiorum. EMISSA Pr. Kal. Febr. Constantinop. Item Constantini ad Maximum, Præfectum Prætorio, EMISSA III. Non. Maji. *l. 3. C. Th. de Numer. actuar. lib. 8. tit. 1.* Et familiaris est hæc JCtorum nostrorum ῥῆσις, *emittere epistolam l. semper 5. §. 1. ff. de Jur. immun. l. 13. C. de probat. l. 1. C. de Codicil.* Quod si Princeps petitioni alicujus respondeat, quæ in facto consistit hæ notæ Epistolis addebantur. PP. EMISSA *l. 2. C. de div. tut.* PP. PROPOSITA notabantur rescripta, ad ea, quæ à privatis proponebantur, quando respondetur, secundum ea, quæ proponuntur. Aliquando occurrit P. S. D. Proposita, Data, Scripta, cum jus cum facti quæstione copulatur. *l. 2. C. Ne de stat. def.*

Annotatio temporis. *Vox Data.* *Scripta.* *Emissa.* *Sigla: P.S.D.*

XLIII. SUBDITA habetur *l. 5. C. ad SC. Turpill.* idem ac PP. RECITATA notat literas Principis, aut constitutiones novas. Ita notatur *in l. 14. C. T. lib. 6. tit. 1. l. 1. C. de bon. mat.* RECITATA SEPTIMO *l. 30. C. de fideicom. l. 19. C. de Jur. delib. l. 34. C. de donat.* SEPTIES, *l. 30. C. de J. dot. l. pen. C. de reb. cred. l. ult. C. de legit. tut. l. 20. C. de agr. & cens.* SEPTIMO MILIARIO hujus inclutæ civitatis in novo Consistorio Palatii Justiniani *l. 12. C. de SS. Eccl.* Sed benè Cujacius observat pro septies, ubicunque legendum, SEPTIMO, subaudi, miliario. Erat enim pa-

Subdita. *Recitata.* *Septimum quid?*

palatium, in suburbio Constantinopoleos, in quo Justinianus juri dicundo novum consistorium extruxerat, dictum SEPTIMUM MILIARIUM vel SEPTIMILIARIUM, *Nov. 118. in f.* & absolutè *Septimum.* Eâdem ratione appellatum, quo, Decimum suburbium Carthaginis, quod *auctore Procopio, de ædif. Just.* distabat stadiis LXX. *Cujac. 20. Obs. 3.* LECTA, ut à Braxio Proconsule, *l. 8. & 9. C. T. de Prætor. & Quæstor.* In senatu. *l. 8. C. T. de Met. & Metator.* Apud acta. *l. 2. C. de Episc. & Cler. l. 4. C. Fin. Reg.* REGESTA, id est, ad acta publica reposita. *l. 14. C. T. de indul. deb.* Reperitur & sigla G. *l. 10. 12. 18. 19. 20. 24. 27. C. de Rei Vind. l. 3. C. Ne fil. pro pat. l. 1. & 4. C. de usufr. & habit.* significans, quidquid statutum est ex veteribus monumentis, census auctoritate, instrumētis, contractibus, quibus Gestorum fides constare videtur, P. P. G. proposita gesta, cum nulla monumenta proferuntur, sed nuda gestorum narratio, *l. 10. C. de R. V. J. Guther. c. 36.* Aliquando & locus ac dies, quo redditæ magistratibus annotabantur: ACCEPTA, *l. 2. C. de Procur. l. 16. C. de Don. ante nupt. l. 1. C. de his qui parent. occid. l. 1. C. de testam. Mil.* Hodiè nostratibus: PRÆSENTATUM, notatur. Rescriptorum enim dies à tempore acceptorum seu præsentationis currere incipit. *Bl. in l. 1. C. ut lite pend. n. 2. Berlich. decis. 232. n. 3. Christin. vol. 2. decis. 73. n. 7. per l. ejus qui. ff. de appell. recip.* Sed & ALLEGATA, *l. 5. C. T. de pact. & transact.* Debebant enim Rescripta intra certum tempus allegari, *l. 2. C. de diversf. Rescr.* IV. requiritur subscriptio manu Principis, *l. 3. l. 6. C. de diversf. rescr.* & Subnotatio Quæstoris, de quibus occupavimus *ad th. 24.* Jure Can. & moribus citerioris seculi sigillorum adhibitio desiderari cœpit. Ut videre est ex pragmatico Childeberti Regis ap. Aimonium *lib. 2. de gest. Franc. c. 20.* Et in Edicto Karoli M. de obedientiâ Episcopis præstandâ ap. Goldastum *tom. 3. p. 146.* Et in donatione Ludovici Einhardo concessâ, quæ præfixa est tomo veterum scriptorum à Reubero collectorum. Et in privilegio Karoli Calv. *ab Aimon. 5. de Gest. Fr. 34.* Et notat Jacobus de Breul. *ad cap. 10. lib. 2. Aimonii*, quod olim literis sigilla fuerint adfixa, *quæ*, ut ipse loquitur, *chartam tenebant amplexam ab utrinq. parte, cum bonâ quantitate ceræ. Tempore autem Ludovici Crassi, sub annum Dom. 1110. is primus cœpit appendere*

Lecta. *Regesta.* *Sigla: G.* *P. P. G.* *Accepta.* *Præsentatum nostratium.* *Sigilli adhibitio. Quando cœpit.*

dere sigilla à corrigiis & filis. Hæc sigilla *Bulla* vocabantur, ex eo, quod clausulæ inclusa appenderentur, non secus ac Bullæ olim pueris prætextatis, notante M.Frehero JCto *ad c.2. P. de Andlo, lib. 2.* Hinc, *Bullare*, pro, *signare*; & Doctores *Bullati.* Harum erant quadruplices, aurea, argentea, cerea, plumbea. Vide Basilii Porphyrogeniti *Nov fol. 118.* Nicephori Botoniatæ, *fol. 113. Codin. de off. aulæ Constant.* Phranzen. *lib. 2. c. 10.* Nicetam *in Manuale Comneno lib. 3.* De plumbeâ patriarcharum *vide tom. 1. Juris Græco Romani p.236. 242. 259.* Hinc factum ut sigilla synecdochicè pro rescriptis sigillatis legantur in LL. Langobardorum, *lib. 2. tit. 55. c. 2.* Et Bojorum, *c. 14.* Sed & Constantinus Imperator Porphyrogenitus, *de Admin. Imp. c. 49.* ἐποίησε καὶ σιγίλλιον Λέων &c. P. Siculus *de hæres. p. 50.* καὶ λαβὼν παρὰ τοῦ βασιλέως σιγίλλιον. Isaacius Comnenus *in Novell.* ἐν τοῖς σιγιλλίοις τῶν παλαιῶν πρακτικῶν ἀναγεγράφονται. Adde legem Alamannorum *tit. 23. §. 4. &c.* Decretum Tassilonis *de popularibus Legibus, §. 17.* Non minus atque Bullæ pro literis bullatis. Inde κατ' ἐξοχὴν Aurea Bulla Caroli IV. de qua vide *Freh. in not. ad P. de Andlo* χρυσόβουλλα Impp. orientalium notissima sunt, quomodo edicta & rescripta, etsi aureo sigillo minimè munita, appellabantur. Novella Comneni, quæ statuit, *ne quid ab Ecclesiâ Episcopo suo orbatæ Quæstor exigat,* χρυσοβούλλου titulum præfert, etsi cereum sigillum ei appensum fuit. *Vide Meursium in* χρυσόβουλλον, *Ciron. in Observat. Kirchm. de ann. c. 8.* — *Bulla.* — *χρυσόβουλλον.*

XLIV. Sanctiones pragmaticæ robur non aliter accipiunt, quàm Præfecto Prætorio insinuatæ, & ab illo ratæ habitæ, *l. ult. C. de div. resc.* & judicatæ, in detrimentum reip. haut factæ, *Nov. 152. & Nov. 114. c. 1.* ubi præcipit, ne sacræ jussiones, super quovis negocio probatæ, prius recipiantur, quàm iis magnifici Quæstoris annotatio fuerit subjecta, *auth. gloriosissimi. C. de divers. rescr.* — *Sanctio pragmatica.*

XLV. Eadem vis est decretorum seu sententiarum definitivarum, quod vim legis habent. *l. si imperialis. ibi. Bartol. Bal. Salic. C. de LL.* Quod & verum est de præjudiciis Imperialis Cameræ. *Recess. Imp. Spir. de anno 1570. §. alsdenn & §. do auch. Menoch. de præsumt. lib. 1. q. 1.* Certis quibusdam casibus exceptis, de- — *Decreti definitivi.* — *Q.*

Interlocutionum. quibus *A. Knich. de vestitur. pact. c. 1. n. 113.* Quid verò de interlocutionibus? Illam jus non facere in aliis causis ait *l. leges. 3. C. de LL.* si scilicet faciendæ legis animo interlocutus Princeps non fuerit. Intelligenda igitur *d. l. 3.* de voluntate Principis: *Lex verò, 1. §. 1. ff. de Const. Prin.* de potestate Principis.

Constitutionis personalis. XLVI. Quod attinet constitutionem personalem, soli personæ, cui indulta, prodest, ut nec ob paritatem rationis extendi debeat ad personas alias. Quod verò dicitur *in l. 3. ff. h. t.* beneficium Imperatoris plenissimè intelligendum esse, id non contrariatur. *Beneficia plenissimè interpretanda.* Aliud enim est plenissimè interpretari, nec coangustare, ad casum raro existentem, vel parum proficientem: Aliud communicare aliis. Fallit tamen regula in privilegio, quod juri communi derogat, quod tamen abest ut de jure ad jus porrigatur, ut & in casu, de quo loquitur, videndum, ut jus commune jus quàm minimum lædat. Non tantum ad personas alias non protenditur: Sed nec ad heredes transit. Si quid tamen in his faciendi facultas data fuerit, non-utendo non amittentur, *Ranch. p. 2. q. 12.* Illud notandum, quod privilegium dignitati annexum cum dignitate non amittatur: Sed cum personâ demum exspiret, *Guido Papa q. 337.* Et ita responsum in auditorio JCtor. Jenensium testatur Magnif. Dn. Richt. *p. 1. decis. 4.* Pertinet & hoc ad effectum personalis beneficii, ut excepta intelligatur semper persona concedentis, *l. si mercedem. 53. §. ult. ubi gloss. & Br. de act. emt.* Quia princeps non sibi legem dicit, sed aliis. *l. Lucius. 40. in f. de fideicom. lib.*

Excepta contra constitutiones. XLVII. Restat, ut tractemus de his, quæ effectum constitutionum impedire possunt. Et prima exceptio est, si servus rescriptum impetraverit, *l. 1. C. de prec. imp. offer.* Non obstat *l. 6. C. h.* Vel enim referre vult, quis impetret, sed postquam impetratum est, jam nihil referre: Vel hoc vult, non interesse quis offerat libellum supplicem: Etsi interest, cujus nomine offerat. Jure Can. rescriptum ab Excommunicato impetratum non valet. *c. dilectus. X. h. t. c. 1. Eod. in 6. Hostiens. in sum. de Rescr. n. 3. Nepos de Montelban. tr. de except. §. licet. n. 9.* Nisi in causâ excommunicationis, *c. 40. X. h. t.* Quidsi duo impetraverint, quorum alter sit excommunicatus? Distingvitur cum Joh. Andr. *c. utile. n. 3.*

4. 7.

4.7. *de R. J. in 6.* de Hæreticis est *l. 2. C. de SS. Trin. Hostiens. n.3.* Servus autem hactenus nequit, nisi super cæde domini sui. *d. l. 1.* Ex quo tamen perperam infertur, quod propter atrocitatem delicti liceat regulas juris transgredi, ut post Dd. priscos *Jason. ad d. l. 1. Specul. ad tit. de constit. in §. 1. col. ult.* Perez. *h. t.* infert. Non enim servus contra juris regulam agit, qui juris de se disponentis regulâ utitur. Deinde non valet rescriptum, lite pendente impetratum. *Nov. 113. c. 1. tit. C. Ut lit. pend.* Tale scilicet rescriptum, quod litis cursum impedit, vel quoquo modo ei præjudicat, reiq; judicandæ formam præscribit. *c. ult. X. Ut lit. pend.* litis autem Pendentia à contestatione ejusdem incipit, Jure Canonico post oblatum ab actore libellum, seu citationem libellatam. *Clem. 2. Ut lit. pend.* Permittitur ergò etiam lite pendente supplicatio, ad cursum judicii promovendum & corrigendum tendens, & rescriptum ita impetratum valet. v. g. ut acta exhibeantur, lis terminetur, ut alius associetur Judex, *l. 2. h. t. Nov. 113. c. 1. Job. Fab. ad l. 2. C. h. t.* Si tamen talia rescripta impetrentur, facienda est mentio litis pendentis in eis. *Decius c. ut debitus n. 14. de appell. Felin. C. super literis. col. 8. in f. de Resc. Bald. ad l. 2. C. h. t. n. 9. Butrio. ad c. fin. X. ut lit. pend. Lancell. de Attent. p. 2. c. 12. lim. 50. n. 56.* Tertio non valet rescriptum post rem judicatam impetratum. *l. sententiis. 3. in pr. C. de error. advocat. l. 2. §. qui autem. & l. 3. C. Ut lit. pend. l. ult. C. quomodo & quando Jud. l. impetratâ 3. C. de sent. resc.* Nisi à Præfecto Prætorio sententia lata sit, à quo provocare non licet, *l. un. pr. C. de sent. Præf. Prætor.*

Q. | II. Exceptio. | Q. | III. Exceptio.

XLVIII. Quartò opponitur rescriptis exceptio sub & obreptionis. Obreptio dicitur allegatio falsi, subreptio, suppressio veri. Abbas *in c. cum dilecta. n. 15. de Rescr. Berojus in c. super literis lect. 1. n. 1. in f.* Rectius dicemus, non nisi nominis sono differre, quod sentit etiam Decius *c. super literis. 1. notab. de Rescript. Jason. in l. præscriptione. n. 1. C. si contra jus.* Et ostendere nobis ex usu bonorum auctorum proclive esset, quibus utrumque vocabulum designat, latenter aliquem adire, & per translationem fallere, ut Plauto *Trinum. 1. 2. 23.* Sed & usus JCtorum confundit. In *l. sed si hoc. §. patronum. ff. de in jus voc.* Ulpianus ait, per obreptionem celari conditionem. Et *in l. si fidejussor. §. si*

IV. Obreptio.

cum

cum. ff. Mandat. ubi creditor obrepere dicitur fidejussori, subticendo sibi solutum esse. Et *in l. 1. C. si nupt. ex rescr. pet.* Obreptio initio dicta, sequenti versu subreptio dicitur, quâ falsum narratur. Ut jam non dicam, ferè falsum allegari non posse, nisi verum quadam tenus supprimatur. Quid? quod circa descriptionem mira etiam sit variatio, aliis obreptionem veri suppressione, subreptionem falsi expressione describentibus, *A. Fab. ad l. 10. §. 2. De in jus vocand.* Sed ad rem. Quod itaque attinet effectum, distingvendum inter rescripta, quæ vocant, justitiæ, & gratiæ. Illud est, quod ad justitiæ administrationem tendit. *c. pastoralis, c. super literis X. de Rescript. & t. t. de Off. Deleg.* Hoc, quando Princeps vel Papa ex merâ liberalitate aliquid concedit, quod est idem atque constitutio vel beneficium personale. *Vide Rebuff. prax. benef. tit. de divis. Rescr.* Hoc ob vitium obreptionis est ipso jure nullum. *Socin. Sen. cons. 13. Felin. c. ad audientiam. n. 22. de Rescr.* Illud, Justitiæ, ope exceptionis eliditur. *Jason. in l. præscriptionis. n. 3. C. si contra jus. Vantius de Null. ex defect. jurisd. del. n. 60. Tiraq. tr. de pœn. leg. caus. 44. n. 41. Rebuff. pr. benefic. tit. de differ. in t. resc. grat. & just. n. 2.* Ratio differentiæ est, quod rescripta gratiæ odiosa sunt ob vitium ambitionis. *c. quamvis de præbend. in 6.* & majoris præjudicii, quàm illa justitiæ. *Decius in rubr. X. de rescript. n. 5.*

Rescripta vel justitia vel gratia.

Quid si obreptum per ignorantiam supplicantis. Sin dolo.

XLIX. Sed & hoc distinctionem recipit. Aut enim subreptum est Principi per simplicitatem, vel ignorantiam supplicantis, & rescriptum tum demum nihil operatur, si cognitâ veritate aliter rescripturus fuisset Princeps: Aut sub-obreptumve est dolo & fraude precantis, & nihil commodi consequitur precator. *l. etsi. 5. C. si contra jus c. super 20. X. h. t. c. sedes. 15. Eod.* Sed quis probabit fraudem? Utique, qui allegat. *c. accedens. 10. de fals. l. quoties. §. qui dolum. ff. de probat.* Probatur autem indiciis, ut si in facto proprio dicatur errasse. *l. fin. ff. pro socio.* Sed numquid hoc casu rescriptum totum erit irritum, etiam in partibus non vitiosis? Quod non videtur, cum pœnalia non sint extendenda. Facit textus in *c. si eo tempore. 9. Eod. in 6. Vide Decium ad d. c. 20. Notab. 1. n. 7. & 8. Joh. Fab. ad l. præscriptione. 2. C. si contra jus. per text. in l. si ex falsis. ff. de transact.* Sed numquid interest, subreptum

reptum sit circa causam impulsivam an finalem? Valdè variant Dd. Affirmamus cum Covarruvio *1. Var. res. c. 20.* interesse: Si enim falsitas circa finalem fuerit, quâ non exsistente Princeps gratiam non fecisset, quâve ei significatâ, petita minimè concessisset, gratia redditur inefficax. Quia in his, quæ à gratuitâ unius voluntate pendent, si probetur legantem minimè legaturum fuisse, absque allegatione falsæ causæ fuisset, legatum inefficax est, *l. cum tale 72. §. 6. de cond. & demon.* cessat enim in hoc casu consensus. Si verò causa talis, quâ allegatâ facilius Princeps moveretur, vel difficilius annueret, ejus falsitas & subreptio non officit gratiæ, quia non potest dici invitus, cum principalis causa, ob quam concessurus erat, adsit, ne alioquin principale utile, per minus principale inutile vitietur. V. G. Dominus famulo suo promisit salarium: Sed ære alieno obstrictus subinde facit reliqua. Famulus allegat se extremo laborare morbo, ut citius impetret. *Vide Mich. de Lunâ p. 698.* Non obest obreptio. Daturus enim erat, etsi serius. Item Princeps mandaturus erat alicui professionem in Academiâ suâ, quam primum vacantem periturus esset. Vacat aliqua in eâ Facultate, cui electionem absque confirmatione dedit liberrimam. Petit locum vacantem Candidatus, non addens in tali Facultate vacare. Difficulter quidem Princeps concessisset: si scisset, sed concessurus tamen. *Vide cap. dudum 14. v. considerantes de prabend. in 6.* Quò facere potest, quod tacens veritatem, quam explicare non tenetur, qualis est, quæ versatur circa causam impulsivam, non potest fraudis aut malitiæ notari. *Confer. Menoch. arbitr. cas. 201. per totam.*

L. Quintò opponitur rescripto, quod juri & utilitati publicæ sit contrarium. *l. fin. & t. t. C. si contra jus. l. 3. l. rescripta. 7. C. de prec. Imp. off.* quod intellige secundum Azonem, si in rescripto contra jus factum est, illo, qui postulavit, nihil per mendacium precante. Hinc non valet rescriptum, remittens pœnam, ante delictum commissum. *Innoc. in gl. super c. dilectus. de temp. ord. c. 1. ne constit. Prierias in voce dispensatio.* Item, ne uti exceptionibus liceat, ut Judicem eligere, parti adversæ inimicum. *c. ad hac 10. X. h. t. c. ex parte. 13. de offic. jud. deleg.* *Exceptio. V.* Q.

S Huc

Huc referri poteſt, quod cauſæ commiſſio debeat fieri ultra diætam, id eſt, iter unius diei, à fine diœceſeos actoris vel Rei *C. ſtatutum 11. §. 1. h. t. 6.* quod derogat, *c. nonnulli. 28. h. t.* vide gloſſam *d. c. 11.* Item, ut definitiva ſententia omiſſâ appellatione reſcindatur, *l. 3. C. ut lit. pend.* vel ejus exſecutio differatur. *Guid. Pap. dec. 420.* Limitatur tamen ab Interpp. quod etiam contra jus valeant, addito nimirum ſignatè: *Non obſtante tali lege.* Azo, *ad l. 6. C. ſi contra jus. arg. l. ſi quis in principio. ff. de leg. 3. auth. inter liberos. C. de teſt.* Poteſt tamen & contra jus elicitum valere, ſi alteri non nocet, ut quando mulier impetravit, ut liceat habere inſignia prioris mariti, nubens inferiori. *l. ult. ff. de Senat. l. 1. & ult. C. de prepoſ. ſac. cub.* Quod ſi utilitati publicæ adverſatur, exſpectanda ſecunda juſſio. *Nov. 17. c. 4. pr. Nov. 134. C. ſi verò nulla.*

Q. An verò ſpecificè exprimi debebit, v. g. non obſtante hac lege: An ſufficiet ita: Non obſtante lege? Et ſufficit, ſi generaliter, niſi ipſa conſtitutio caveat, ut certa lex exprimi debeat. *vide c. 28. X. de Reſcrip. Archidia. & Hoſtienſ. X. de conſtit. c. 1. lib. 6.*

Sexta Exceptio.

LI. Sextò opponitur Reſcriptis, quod vel preces vel reſcripta ſecundùm formam jure præſcriptam, vel ſtylum curiæ & conſvetudinem non fuerint adornata. De formâ juris diximus *th. 33. & th. 42.*

Stylus Curiæ.

Per ſtylum curiæ intelligitur vel mos gerendi aliquid, ſeu procedendi, vel forma loquendi & ſcribendi. Priore ſignificatione deſignamus id, quod propter merita cauſæ in ordine gerendi negocia curiæ verſatur. *Jacob. Schultes Obſ. for. 6.* cujus obſervatio de neceſſitate eſt. *Viv. lib. 2. deciſ. 297. poſt Felin. & Dd. c. ex parte 3. de Reſcr. A. Gabriel. concl. lib. 6. de reſcr. concl. 1. Weſenb. C. h. t. n. 5. in f.* & poteſt allegari in deciſionibus, quando jus non eſt in contrarium *c. literas de Jur. calum. Vide Panorm. ad cap. ex literis, X. de conſtit.* quippe qui vim legis obtinet. *P. Surd. 2. deciſ. 135. n. 2. Menoch. 2. præſum. 8. Diſſ. Joh. Fab. in l. 1. C. quom. & quan. jud.* Poſteriore ſuſpecta fiunt Reſcripta, ſi vitium in picturâ literarum. *Ferrar. for. lib. opp. conf. inſtr. h. t. Specul. reſc. §. 1.* Salutatione & compellatione, ut ſi Pontifex unum numero plurali compellet, & ut barbarè dicitur, voſſitet, *c. quam gravi. 6. X. de crim. fal.* Si Patriarchas, aut Epiſcopos filios, aut hiſce minores, vel ſeculares fratres appellaverit, *c. quam gravi. 6. de Crim. falſ. Specul. reſcr.*

Vitium in ſalutatione & compellatione.

rescr. praesc. §. 3. n. 1. 2. 3. Hoc pacto falsi arguebantur literæ, quæ superiori seculo circumferebantur, fœderis quorundam Catholicorum, adversus Lutheranos proceres, inprimis Divum Saxoniæ Electorem, Joh. Fridericum, & Philippum Landgravium Hassiæ. Index crediti hujus fœderis Landgravio erat Otto quidam Paccius, vir equestri dignitate, JCtus, & Georgii, Ducis Saxoniæ Procancellarius, qui menses aliquot apud Landgravium egerat, ob controversiam aliquam, quam cum Comite Nassoviensi habebat. Hic Paccius fidei faciendæ causâ proferebat exemplum conjurationis, quod affirmabat se Lipsiæ vidisse, præsentibus ibi Duce Georgio Saxone & Henrico Brunovicensi, casu sibi traditum à Pistorio, Saxonis Cancellario. Ostendebat vanitatem commentitiæ hujus formulæ inclutus Saxoniæ Dux, Georgius, ex styli difformitate. Et primò ex titulo Regis Ferdinandi solœco, qui tum temporis, cum formula hæc concepta jactaretur, non se solùm Regem Bohemiæ, sed Hungariæ etiam profitens, in istoc carmine non nisi Bohemiæ Rex salutabatur. Deinde hæc altera contra stylum sacrorum scriniorum erat stribligo; Ferdinandus antecessores, Hungariæ & Bohemiæ Reges, non appellabat titulo, quo Principes solent, **Hochgeborne/** sed, **Durchläuchtige/** Regemque Ludovicum fratris nomine compellabat. At hoc commentum ita sonabat: **Nach dem durch Absterben des Hochgebornen Fürsten/ Herrn Ludwig/ weyland Königs zu Ungern und Böhmen.** Porrò & hoc dissonabat, quod ultra hæc, **unsers freundlichen lieben Schwagers / Herrn / Freunds /** adderet formulæ: **und gnädigen Herrn/** quomodo Principes Imperii Regem Bohemiæ minimè adfantur. Porrò in verbis næniæ: **auff den ersten Befehl / den Uns Keys. Maj. unser allergnädigster lieber Herr Bruder/ und gnädiger Herr/** ordo, quem scrinia Principum sanctè custodiunt, perversus est. Nam pro dignitate personarum, quæ in scenam ibi producuntur, genuino stylo ita scribi debuisset: **unser lieber Herr Bruder/gnädiger und allergnädigster Herr.** Jam & Principes Saxoniæ Illustrissimi Thuringiam in scribendo Misniæ proponunt, quod ibi aliquoties inversum erat. Ita enim fabula: **In seinen Meißnischen und Thüringischen Landen:** Sed & quod quartum faciebat solœcismum, tantum sibi non tribuit

Ejus exemplum illustre. Otto Paccius autor formulæ conjurationis contra Lutheranos.

Rex Bohemiæ ut compellatur ab Imperii Principibus.

Bohemiæ Rex, ut Principem Saxoniæ, suum Principem, nominet, ut faciebat formula suppositiția in verbis: Was wir gewinnen an Schlössern/ Städten/ Flecken/ Dörffern/ &c. &c. das wollen wir alles und jegliches unserm freundlichen lieben Fürsten/ Oheim/ Schwager/ und Schweher/ Hertzog Georgen zu S. &c. zustellen. Accedebat sextò, quod Storkaw/ und Beßkaw/ non Ducatus, sed Dynastiæ essent: Nihilo minus formula spuria: Ausserhalb der zweyen Fürstenthumen Storkaw und Beßkaw. Neque octavò hæ dynastiæ ad Electorem Saxoniæ tum temporis spectabant. Erant enim Domini de Biberstein, & aliquando Electori Ernesto, Ducique Alberto, Fratribus Saxoniæ pignori opposita. Sed jam anno 1510. repignoratæ, teste Albino in der Meißnischen Land-Chronic. *tit. 15. p. m. 206.* Habetur commentitia hæc conjurationis formula ap. *Hordled.* von Ursach des T. K. *lib. 2. c. 1. fol. 776. n. 6.* Et ejus examen *ibidem c. 9. fol. 800.* Ad ejuscemodi νοθείας deprehendendam, & dignoscendam nihil æquè atque *critices*, studium facit, judicio viri, divinarum humanarumque rerum scientissimi Juris publ. privatique, rerumque imperialium consultissimi, ad hunc ipsum locum, Dn. Hordlederi, *Apparet*, inquit, *hinc permagnum esse artis ejus usum. Non in umbrâ modò & Latinâ Linguâ, aliisq; : Sed in luce etiam atq; acie negociorum civilium, & linguâ Germanicâ. Idemq; ostendit Cæsaris capitulatio Hallensis cum Landgravio.* Hæc iste fol. 805. editionis Gothanæ.

Dynastiæ Storkaw und Beßkaw.

Critices necessitas in Cur. *miis.*

Judicio Hordlederi.

Vitium in Latinitat. suspectum facit rescriptum.


LII. Et quemadmodum suspectum facit falsi rescriptum, barbarismus vel solœcismus in Latinitate, *c. ad audientiam 11. h. t.* ita, nec minus in vernaculâ. Cum enim neque appareant maturè dictata, non possunt videri emanasse à sede Apostolicâ, *c. quam gravi. X. de crim. fals.* Quamvis usque adeò severè hic obeli non sunt figendi, ut unius etiam literæ vel syllabæ omissio rescriptum arguat suspectum, *c. ex parte II. in f. de Fid. instr.* Septimò contra rescriptum exceptio annalis opponitur. Jure quidem civili perpetua illa sunt *l. 2. C. h. t.* Canonico verò annua, *c. plerumq; 23. h. t. Cujac. par. C. de prec. Imp. off.* si impetrans intra annum iis uti per malitiam vel negligentiam distulerit, dummodo tamen alter contrarias literas obtinuerit postea, *c. plerumque 23. h. t. Rebuff. Prax. benef. tit. Form. mand. apost.*


Exceptio VII.

ad V.

ad V. inducentes, *verſ. quæritur. Fachin. 8. controv. 56.* Plura vide *ap. Ferrar. forma libell. opp. cont. inſtr. tit. 15. à gl. 9. usque ad gl. 19. Specul. reſcrip. præſent. per tot. Vigelium, M. I. C. lib. 1. c. 5.*

LIII. Exceptionem autem oppoſitam Judex debet admittere ſub pœnâ X. lib. auri, *l. 3. C. ſi cont. jus.* Et probatâ exceptione mandatum reſcinditur, & impetrans in expenſas condemnatur, *c. fin. h. t. Gail. 1. O. 14. num. 2.* Falſarii autem literarum Pontificis excommunicantur cum ſociis, *c. ad falſariorum de crim. falſ.* & afficiuntur pœnâ legis Corneliæ de falſis *l. 1. l. 16. §. 3. ad L. Corn. de falſ.* etiamſi ipſe, qui falſo reſcripta utitur, falſum non commiſit, *l. 2. C. de fid. inſtr. l. ſi ut proponis, C. ſi reus vel accuſ.* Appellare etiam à reſcriptis poſſumus, *l. 1. §. de appell.* ad eundem Principem, qui reſcripſit. Abutentibus denique reſcripto exceptio obſtabit, in caſibus *c. fin. h. t.* quo negatur abutentibus beneficium impetratum, *Hackelman. Diſput. 1. th. ult.* Dicendum etiam fuisſet de interpretatione conſtitutionum, & reſcriptorum, de conſtitutionum abrogatione, exceptionibus contra privilegia, clauſulis, earumque effectu, & aliis: Sed jam modum diſputationis exceſſimus.





IRNERIUS NON ERRANS
seu
DISSERTATIO
ad Authent. Quas actiones. C. de SS. Ecclesiis.

CAPUT I.

Thesis (I.) Irnerius quis? Irnerius der Irrende. Punicæ religionis in transscribendis Auth. accusatus (III.) Summa *L. 23. C. de SS. Eccles. Novell. IX. CXI. CXXX. & Auth. Quas Act.* Irnerius non errans. Ecclesia Romana jus centenariæ præscriptionis retinuit perpetuò.



Creditum hactenus fuit, Irnerium quendam, qui & Gvarnerius & Wernerus appellatur, hominem natione Germanum, Professione Artium initio Ravennæ, & posteà juris Boloniæ Doctorem, Summarum seu Epitomarum, quas ex novellis Justinianis contractas suis locis Codici repetitæ prælectionis insertas habemus, fuisse auctorem. Quâ tamen famâ non aliud consequutus ille fuit, quàm ut nomen ejus tanquam perpetuò errantis usurpetur, & videatur Irnerius dictus, quasi der Irrende. Conf. Covarruv. *ad c. si heredes X. de test. n. 7. &* M. Mantua *tract. de vir. illustr. quem allegat Dn. Huldericus* Siben/ *Antecessor Academiæ Juliæ celeberrimus, Commentar. de tut. fœm. membr. 2. th. 3.* dicentem, quod Irnerius in transscribendis Authenticorum textibus aliquando vel dormitaverit, vel Punicâ religione fidem servaverit, Balduin. *Proleg. in Lib. Inst. Sixtin. de Regal. lib. 2. cap. 15. n. 34. & seqq. & cap. 11. n. 75. & cap. 12. n. 28.* adeò, ut ante viginti quasi annos in illustri Frisiorum Academiâ Franeckeranâ JCtus celeberrimus Dominus Johannes Jacobus Wissenbachius integram errorum Irnerianorum syllogen in publicum exposuerit. In cujus frontispicio thes. 1. Irnerium à multis vapulantem producit, quòd complures Authenticas partim perperam descripserit, partim in alienum locum

cum

cum transtulerit, adeoque oscitanter consarcinaverit. Sed & Errorum Irnerianorum promulsidem ex paterno Novellarum opere collectam à Rittershusio Filio jamdudum ad libandum propinatam fuisse, ait idem Dn. Eibenius, quàm videre mihi non contigit, cum primùm hæc commentarer. Utor enim editione de anno 1615.

2. Nos, ut virorum istorum laboribus minimè ibimus obstructum: ita quæ in exercitationibus nostris Justinianis περὶ αὐθεντίας authenticæ *quas actiones C. de SS. Eccl.* dixeramus, quum non nemini paradoxa visa, accepissemus, illa latiùs diducere nostra intererat; ne si posthac cathedræ Academicæ ad tempus valedixerimus, arenâ cessisse videremur.

3. Dixeramus *Exec. VIII. Aph. 18.* Centenariam præscriptionem, quam dederat Ecclesiis Orientalibus Justinianus *l. 23. C. de SS. Eccles.* postea ad Occidentales quoque porrectam fuisse *Nov. IX.* quam tamen ipse posteà penitùs sustulerit *Nov. CXI.* quadragenariâ restitutâ. *Nov. CXXXI.* Solâ Romanâ centenariam retinente, *Auth. quas action. C. de SS. Eccles.* quam exceptionem de Ecclesiâ Romanâ jamdudum summi impugnarunt JCti quidam, erroribus Irnerii imputantes, quòd mutatio juris in *Nov. CXXXI.* non minus ad Occidentales, quàm Orientales Ecclesias pertinere debeat. Contra mihi visum fuerat, Ecclesiam Romanam jus centenariæ præscriptionis perpetuò retinuisse. Neque nunc quidem est, cur hanc sententiam mutem, nisi, quod tum largiebar, Irnerii opus Authenticas esse, nunc aliter videatur.

4. De duobus ergò nunc videndum nobis erit, an Irnerius auctor sit excerptorum istorum sive epitomarum, & numquid privatâ, an Principis cujusdam auctoritate codici fuerint insertæ. Deinde numquid erraverit, quisquis *Auth. quas actiones*, auctor exstiterit.

CAPUT II.

An Irnerius auctor Authenticarum fuerit?

Thes. (I.) Quod de Irnerio dicitur fide historicâ non nititur, Odofredi & glossæ sententia de Auth. *qui res C. de SS. Eccles.* clarius explicata. Corpora Auth. ab emblemate alterius separanda.

Thes. (II.) Arthurus Duyk. alienum sensum Alvaroto tribuens refuta-

tatus. Auctores Auth. *Cassa* qui fuerint. (III.) recentiores Auctorem Auth. indigitaturi quo modo se muniant. Balduini & aliorum de Auctore Auth. opinio. (IV.) Irnerius salvâ Chronologicâ veritate Auctor Auth. haberi non potest. Gregorius M. citans aliquam Authent. est 500. annis prior Irnerio. Niellus refutatus. Auth. quo modo dici possint Constitutiones. (V.) Burchardus & Ivo Irnerio priores, citant aliquas Auth. Gratianus cum Johanne Glossatore mentionem Irnerii non faciunt, Alberici gentilis opinio. (VI.) Irnerius cùm non sit Auctor Auth. de erroribus argui non potest. (VII.) Auth. quâ auctoritate vim legis nactæ. Auth. à Friderico I. firmatæ. Auth. usus in Italia perpetuus. Gothorum in cursione Jus Rom. num sepultum fuerit? Longobardorum sanctione mulieres jura maritorum secutæ. Jus Rom. in Italia nunquam desiit.

NItitur assertio hujus quæsiti famâ diuturni temporis. Quod si auctorem hujus rei quæras, nemo eorum temporum scriptor est, qui id tradat. Quòd unum multum facere possit, ad fidem huic tradito derogandam. Sanè inter recentiores Tiberius Decianus Apolog. pro Jurisprudentiâ adversus Alciatum *c. 8. n. 6.* id affirmat, sed quo auctore, non addit. Memini equidem citatum in hanc rem legisse Odofredum in *Auth. qui res C. de SS. Eccles. num. 3.* Sed nec Odofredus hoc, quod requirimus, ibi dicit. Ecce enim hæc ipsius verba: *Or Segnori, vos non debitis hic plus habere in ista Authenticâ: tamen quidam hic habent plus. Sed ista verba non sunt justi, quia non sunt in corpore Authenticarum, sed hæc sunt verba Irnerii.* Hæc Odofredus. Quid clariùs, quàm Odofredum non ipsam *Authenticam*; *Qui res*, Irnerio adscribere, sed quandam ejus laciniam, nempe hæc verba: *Sed meliùs dicitur denegandas omninò esse actiones huic acceptori.* Dicit ergò ab Irnerio aliquid ad Authenticas adjectum, ei aliquid adsutum fuisse. Quod & Glossa dicit ad *d. Auth. qui res*. Nec aliud conficies ex eadem Glossa ad *Auth. defuncto C. ad SCt. Tertul. verb. lit. O.* quæ similiter versiculum istum; *ubi nulla*, Irnerii esse dicit; Authenticam ipsam ab eo esse, non dicit. Eadem ratio est ejus, quod Glossa habet in *Auth. in successione. C. de suis & Legitimis.* Ita enim in fine ait: *Nota: quod hæc verba*; sola naturali: *non sunt de corpore Auth. sed Irnerius posuit.* At posuit ceu glossam, posuit extra textum Authenticæ, interpretandi gratiâ; quæ verba postea in ipsam Authenticam errore librariorum assumta. Itaque frustrà auctoritas gl. al-

le-

legatur, quippe quæ id non habet, imò contrarium inde faciliùs colligas. Diſtinguit enim gloſſa corpus Authenticæ ab emblemate Irnerii, quod perperam fieret, ſi Irnerius etiam corporis auctor exiſteret. Etſi maximè Novellarum corpus intelligas, non tamen ſequetur, Irnerium authenticas excerpſiſſe; Sed hoc ſolùm efficies, de ſuo hunc aliquid adjeciſſe.

2. Arthurus Duyk *l. 1. de auctor Jur. Civ. cap. 4. p. m. 60.* Alvarotto tribuit, quaſi aſſereret, ab Irnerio ſub Friderico Imp. authenticas fuiſſe collectas, quas ille miſiſſet ad JCtos Papienſes, ut ad LL. Cod. adjungerentur. Sed errat vir diligentiſſimus. Non enim Alvarottus *proœm. feud. n. 12.* loquitur de his Authenticis, ſed de Conſtitutionibus Friderici Secundi. Citat enim Alvarottus Odofredum ad *Auth. Caſſ. C. de SS. Eccleſ.* Verba Odofredi: *Ut unum ſciatis, Authenticum, quod fuit compoſitum à Juſtiniano, habet novem collationes. Poſtea cum venit Imp. Fridericus Junior, miſit has Conſtitutiones ad Civitatem iſtam Doctoribus LL. ut aptarent eam ſingulis LL. ſub congruentibus titulis: Et ita fecerunt Dd. dum convenerunt in S. Petro, qui iſtam* (Authent. Caſſa.) *aptaverunt ad legem iſtam. Poſtea quid fecerunt? Dominus Hugolinus poſt nonam collationem poſuit librum Feudalem, & omnes Conſtitutiones Friderici Antiqui & Junioris, & aliquas LL. Conradi Imp. & vocatur decima collatio. Sed pauci ſunt, qui habent ita ordinatè in libris ſuis.* Hactenus Odofredus. Cujus ex verbis apparet, eum loqui de Conſtitutionibus Imp. Friderici, nec Irnerium auctorem ponere, ſed JCtos Papienſes, nec per temporis rationem ponere potuiſſe, quum imperante Friderico II. Irnerius jamdudum defunctus eſſet.

3. Hactenus ergò omni auctoritate deſtituitur fama, imò ſuis ipſa auctoribus falſa eſſe arguitur, de epitomarum auctore Irnerio. Quapropter recentiores auctorem Authenticarum indigitaturi cautiùs loqui ſolent, & ſe plerumque formulâ præmunire: *Irnerius vel quisquis auctor fuerit.* Ita Zaſ. *in Conſ. 4. n. 7. Vol. 1.* Hart. Piſtor. *p. 1. q. 2. n. 5.* Ant. Contius, *præf. in Cod. Juſt.* Hotom. *qq. ill. 14. ibi:* ſi quis vel Irnerius, vel Irnerii ſimilis. Balduin. *protheoriâ Novellar.* Carol. Molinæus *tr. de Commerc. & uſur. n. 62.* Donell. *Comm. l. 1. c. 10. n. 40.* Matthæus Stephani

T pro-

proœm. N. n. 32. Josephus Maria Svaresius *Notit. Basilicor.* Viz-zan. *de mand. Princ. ad l. 3. p. 55.* Et Balduin. *in fin :* Justiniani sui non unum huic operi manus adhibuisse, sed plures opinatur.

4. Sed ne solum per destructionem opinionis contrariæ progredi videamur, agedum ostendemus, authenticas quasdam citatas ab his, qui defuncti, priusquam Irnerius nasceretur. Quosdam etiam scriptis inclaruisse, priusquam Irnerius studio juris vacare cœpit. Et constat, Gregorium magnum Pontificem non ultra viginti quinque annos ab obitu Justiniani sedisse, nempe ab anno 591. adeoque ante Irnerium quingentos ipsos & quod excedit, annos. Hic *lib. XI. Epist. 54.* citat non solùm *Auth. Presbyteros C. de Episcop. & Cler.* Sed & ad verbum refert: *Ne verò,* ait, *objiciatur, quòd de Clerico hoc loquitur, non de Presbytero, sciendum est, quòd in eàdem Constitutione lib. Cod. 1. legitur appellatione Clericorum & Presbyteros & Diaconos contineri. Verba autem legis sunt ista : Presbyteros & Diaconos, & Sub-Diaconos, Cantores & Lectores, quos omnes Clerici appellamus.* Hactenus Gregor. Et ne quis putet, non Authenticæ ab ipso, sed ipsius Novellæ verba recitari, consignatè addit, quod ea Constitutio exstet l. 1. Cod. Quamvis autem pro *l. 1. Cod.* legatur in quibusdam exemplaribus *l. 1. Ca.* pro quo Critici Gregoriani ex conjectura rescribunt L. 1. C. sc. Nov. CXXIII. tamen hæc mera est divinatio, quæ tanti valet, quantum ei quisque tribuit. *Vid. Car. Molin. Lect. Dolan. 3.* quem etsi Niellius *Disp. Feud. 2. th. 5. p. m. 29.* hâc de re insectatur, nihil tamen solidi contra eum affert. Equidem captat verbum, *Constitutio,* Niellius, quâ Gregorius utitur, quasi id Authenticis seu epitomis hisce non conveniat, eoque minùs quod non nisi minimæ sint particulæ prolixæ alicujus Constitutionis. Sed facilè ei occurritur. Non enim dicitur constitutio ex auctoritate excerpentis & contrahentis, aut conceptorum verborum ratione, nec appellatur Constitutio, quatenus est argumentum seu epitome; sed relatione ad originale suum, & ratione sensûs seu dispositionis ipsius. Et quid quæso usitatius, si summam legis alicujus recitamus, quàm dicere; esse Legem hanc vel illam? Ridiculus autem est Niellius quærens, quis tam impudens fuerit, ut *Authent. Sacramenta puberum, C. si advers. vendit.* tantam anti-

ti-

tiquitatem tribuere ausit. Quasi verò sermo sit Molinæo de Authent. Friderici Imper.

5. Porrò *Auth. Item prædium & Auth. sed & permutare. C. de SS. Eccles.* habentur apud Burchardum & Ivonem, quorum ille scripsit jam anno 1010. quo tempore nondum natus esse potuit Irnerius, quippe mortuus circa annum 1150. Hic verò etsi paulò recentior est, obiit tamen jam anno 1114. quum Irnerius quatuordecim demum post annos nempe an. 1128. jus profiteri cœpisset, Novellarumque liber nondum repertus esset. Hunc enim jam pertractatis ab Irnerio Codice, Institutis & pandectis demum repertum fuisse testimonio Odofredi ad l. 82. ff. ad l. Falcid. probant JCti Bononienses, in responsoria ad Nihusium. Similiter *Authent. Qui verò res.* apud eundem Ivonem *part. 3. cap. 185.* habetur. Pluribus aliis proferendis & conquirendis nunc nec otium, nec locus est. Taceo quod Gratianus, qui decretum suum vivo adhuc Irnerio compilavit, ubicunque Authenticas, quod facit frequentissimè, inserit illi, Irnerii nuspiam meminit: Sed inscriptione hac, nova constitutio, utitur. Et Johannes, vetus ille glossator in *Comm. super Nov.* quem Rittershusio debemus, ad finem cujusque Nov. quænam inde Authenticæ desumtæ, & quo loco Codicis repositæ sint, referens, ne semel Irnerium quidem nominat, procul dubio non omissuri, famâque ac laude rei gestæ defraudaturi, si autorem eum tum temporis aut credidissent, aut fama tulisset. His addam, quod Alb. Gentilis, disput. de Lib. Jur. civ. scribit c. 6. post Accursium demum Irnerium habitum fuisse auctorem, olim antiquiori tributum, quod & Fichardus in vita recentiorum JCtorum notat.

6. Quare, quisquis auctor fuerit, Irnerius non fuit; Sed hoc longè antiquior aliquis, & quidem aut ipse, à quo translationem veterem Novellarum, quod Authenticum dicitur, habemus, aut certè eô non multum inferior. Constat enim translationem Novellarum utramque tam vulgatam, & κατὰ πόδα illam, quam concisiorem Juliani antecessoris CPolitani, Constitutiones singulas habuisse propriis capitibus distinctas, ita, ut breve singulorum capitum argumentum literis miniatis descriptum esset, ut testatur Contius αὐτόπτης *Præfat. in lib. Novellar.* Unde postea &

nomen Authenticarum ex Corporis, unde desumtæ, nomine eis mansit. Ergò nec erroris fons est Irnerius, qui nullas hîc agens partes, nihil errare potuit. Utrum verò omnes hæ summæ eôdem tempore subjectæ legibus Codicis fuerint, non possum definire.

7. Nunc, utrum auctoritate publica vim Legis acceperint, videamus. Sanè ab initio expressâ aliquâ sanctione id factum fuisse, affirmare non ausim. Quin tamen perpetuo Urbis Romæ usu in forum receptæ fuerint, & pro norma actuum moralium habitæ, & in causis decidendis usurpatæ non dubitandum. Quare & hîc usus earum pro expressa sanctione meritò obtinuit. Nihilo tamen minus certum est, si non Lotharii Secundi sanctione expressa, quam Professores Bononienses ad Bartholdum Nihusium allegant, tamen à Friderico I. eas auctoritate Imperatoriâ fuisse donatas. Ita enim de se ipse Imp. in Roncaliensibus Comitiis apud Radevicum *lib. 4. c. 3. Nostis*, inquit, *quod jura Civilia nostris beneficiis in summum provecta*, firmata, *ac moribus utentium approbata satis habent roboris*. Si jura Civilia firmata, utique & Authenticæ istæ, si maximè ab Irnerio profectæ essent. Nam hoc tempore Irnerius jam satis concesserat, & Authenticæ Codici insertæ erant. Neque hoc doctissimi quidam & antiquitatum periti JCti in dubium magnoperè vocant. Balduin. in protheor. ad Nov. inquit: *Ajunt hancce Novellarum μετάθεσιν* (nempe quâ insertæ Codici fuêre) *factam autoritate Imp. Friderici I.* Jo. Mar. Svaresius, quem sæpius jam allegamus: *Ex interpretis hujus translatione decerpsit, quas insuit Codici, Novellarum portiunculas Irnerius, seu quis alius, autoritate Friderici I. Imp. ut quidam agunt, id peregit.* Wisenb. *syllogâ err. Irn. th. 1. & Baldum citat:* Sed vellem locum addidisset. Nam quæ Baldus habet præludii Feudor. ea ad alias quam Friderici Imp. authenticas pertinere non videntur.

8. At forsan, quòd diximus, Authenticas in perpetuo usu fori Romani & Italia mansisse, nostratibus παραδοξότερον videbitur, quibus hoc persvasissimum est, post Justinianum in Occidente per Gothos atque Longobardos sepultum fuisse penitus jus Justinianum, usque ad Lotharium Saxonem. Sed hæc plus famæ quam

quam veri habent. Quod enim attinet Gothos, constat ex Epistola Gelasii Pontificis apud Gratianum *dist. 19.* Theodoricum Gothorum Regem Juri Romano nihil derogasse. Ita enim ibi Gelasius: *Magnificentiam vestram leges Romanorum Principum, quas in negotiis hominum custodiendas esse pracipit, multo magis circa Reverentiam B. Petri Apostoli pro sua felicitatis augmento velle servari.* Imò Theodoricus ipse in exordio Edicti sui, quod Pithœus edidit, & postea Lindebrogius Codici suo LL. antiquarum inseruit, ita loquitur, ut constet Romanis LL. nequaquam derogare voluisse: *salva juris publici reverentia & legibus omnibus cunctorum devotioni servandis.* Etsi maximè Gothi tentassent tale quid, tamen à Justiniano Italia pulsis jus Romanorum postliminii jure iterum successisset. Quamvis autem sub Longobardis Italia horum leges acciperet, constat tamen firmissimis testimoniis, Italos nec ab his coactos hâc lege vivere. Exstat Luitprandi regis Sanctio *l. 2. LL. Longob. tit. 7.* ex qua mulieres Jus mariti sequi debuisse, ut, si Romano nuberent, Romanis, sin Longobardo, Longobardicis LL. viverent, apparet. Et Imp. Lotharius ibid. *leg. 2.* cavet, ut Mulieres Romanæ, defunctis Maritis Longobardis, ab ejus lege sint absolutæ, & ad suam revertantur Legem. Habetur Codex Legum istarum apud Goldastum Consuet. Imper. II. & Lindenbrogium post fol. 508. Karolus M. in Italia utramque, & Romanam & Longobardicam Legem, quantum ad successiones, juramenta, & damnorum æstimationes præstandas retinuit, ut videre est *l. 2. LL. Longobard. tit. 56. cap. 1.* Et Pipinus Filius *cap. 2.* addit & causas status, & alias querelas. Et Sigonius *lib. 9. de Regn. Ital.* testatur, circa annum MVII. consuetudinem tulisse, ut omnes ederent, quâ quisque lege vivere vellet, Romanâ, Longobardicâ, Salicâ Quæ libertas usque ad Lotharium Saxonem duravit, ut constat ex eodem Sigonio *lib. 11.* Et in specie de Novellarum observatione & usu exstat insigne testimonium Johannis 8. Pontif. *Epist. 163.* ubi ait: *In secundo Novellarum Justiniani Libro legitur, ut nemo Episcopus aut Presbyter aliquem excommunicet antequam causa probetur.* Intelligit autem Johannes librum 2. Novellarum Juliani, apud quem hæc constitutio numero est 104. Et Ivo Carnutensis *Epistola 280. ab Ecclesia Romana com-*

mendari & servari Novellas Justiniani ait. Denique Josephus Maria Suaresius refert, quòd Odo, qui vixit anno salutis 839. apud Johannem Italum in Odonis vitâ in Bibliotheca Cluniacensi, patrem suum Abbonem narret memoriter Novellam retinuisse, unde si quando lis inter parentes fuisset exorta, tantam in eum censuræ quoquo modo excrevisse veritatem, ut undique omnes ad eum confluxerint. Ex quibus satis opinor constabit, jus Romanorum in Italia nunquam desiisse. Plura adduci possent, sed non opus soli lumen accendere. Confer *Dn. Conring. de orig. jur. Germ. c. 21.*

CAPUT III.

An Error in Authenticâ: Quas actiones, sit commissus?

Thes. (I.) Præscriptiones contra Ecclesiam quando cœperint, Ecclesiæ quando cœperint possidere immobilia. Origo centenariæ præscriptionis. Justinianus insigni fraude circumventus *leg. 23. C. de SS. Eccl.* condidit. Illustris Procopii locus. Prisci cujusdam facinus. Tabellionum officium.

Thes. (IV.) Quod in *c. 23. C. de SS. Eccl.* cautum, solam orientis; quod in Nov. IX. solam occidentis Ecclesiam spectat. (V.) Duarenus, Cisnerus, & alii notantur. Eorumque argumenta examinantur. Græcus Novel. textus an Authenticus sit, incertum. Codex Græcus Haloandri mendosus. Auctor vulgatæ Nov. translationis quis & quando illa edita. (VI.) Quæ causa, quòd injucunda illa sit. (VII.) Duareni & cæterorum argumenta solvuntur. Usucapio impium præsidium. (VIII.) Cisnerus refutatus. (IX.) A Justo Meyero dissentitur. Johannis Pontificis mors. (X.) Sola Ecclesia gaudet centenaria præscriptione. (XI.) Objectiones. (XII. & XIII.) Earum solutiones. Per Nov. CXI. Romanæ Ecclesiæ nihil ademtum esse, variè probatur. (XIV.) Quando cœpta sint concinnari Basilica. Post Justinianum Nov. CXI. Orientales Ecclesiæ aliquandiu observarunt. (XV.) Objectio cum solutione. Cui ex Ecclesiis Romanis exceptio centenaria competat, quinque sedes Patriarchales.

Cum Authentica nostra duabus constet partibus, quarum altera instar regulæ sit, altera exceptionis vicem obtineat, videamus de utraque ordine. Regula hæc est: Ecclesiæ & locis religiosis agentibus opponi non potest exceptio præscriptionis decennii, vicennii, tricennii, sed solummodò quadraginta annorum.

2. Hæ præscriptiones contra Ecclesiam tum demum cœperunt

runt competere, cum Ecclesia cœpisset possidere immobilia. Vix autem est, ut ante Constantinum id contigerit, quem primum sanxisse scimus, ut hæc talia Ecclesiæ possint relinqui. *l. 1. C. de SS. Eccles.* Etsi enim in Epistola Pontificis Pii secundâ prædiorum in usus divinos traditorum occurrat mentio: spuria tamen hæc est Epistola, & merx Mangonis, Isidori Mercatoris. Ab eo ergo tempore & agere pro his retinendis & respondere cœpit, neque alio, quam communi quorumlibet possessorum jure uti. Quare quibus in causis possessores alii exceptione præscriptionis longi vel longissimi temporis contra petitores erant tuti, iisdem & contra Ecclesiam sese defendebat. At verò Justinianus *in l. 23. C. de SS. Eccles.* introduxerat centum annorum præscriptionem, non sanè ex certa scientia & motu proprio, sed insigni fraude circumventus, quam ex Svida primus, ni fallor, Cujacius observavit. A Procopio autem in Historia arcana prolixè narratam legere est. Condidit nempe hanc legem in gratiam Emesenæ Ecclesiæ, multa vi auri accepta. Priscus quidam, *ait Procopius,* apud Emesenos fuit, alienæ manus perquam ingeniosè mentiendæ peritus, ejusque fraudis planè idoneus artifex. Porrò Emesenorum Ecclesiam annis antea non paucis heredem instituerat Mammianus, Vir Clarissimo, Patricia dignitate, genere & divitiarum copia illustris, Justiniano postea Principe, Priscus censum familiarum ejus urbis habens, quæcunque florerent opibus, ac ditissimæ prædæ esse possent, harum diligenter observat majores, quorum tabulas sibi conquisierat, eorumque nomine conplures conficit libellos, quibus grandem pecuniam à Mammiano apud se depositam accepisse, eidemque debere se illi faterentur. Crediti verò inanibus illis libellis auri summa decem millia pondo colligebat. Denique publici tabellionis viri fide & virtute conspicui, qui superstite Mammianô civibus tabulas conficiebat suâque manu consignabat, literas mirum in modum imitatus, sic eos libellos Emesenorum Ecclesiæ Procuratoribus tradit; qui partem adquirendæ pecuniæ, quæ illum maneret, pollicerentur. Verùm obstante lege, quæ reliquas omnes actiones ad tricenariam præscriptionem prolatat, & quas hypothecarias dicunt, nonnullasque alias quadragenariâ excludit exceptione; id ineunt consilii. Pergunt Byzantium

ire

ire, vim auri Cæsari deferunt, rogantque, ut sibi esse præstò velit ad tantam civium perniciem. Ille acceptâ pecuniâ mox legem scribit, ut actiones, quæ Ecclesiis competerent, non stati temporis sed centum annorum præscriptione excluderentur, idque non Emesæ duntaxat, sed in universo Romano Imperio perinde valeret. Ac tum mittit Longinum virum industrium & corpore strenuum, (qui postmodum egit Urbis Præfectum) jus illud Emesenis dicturum firmaturumque. Principio quidem ex confictis illis libellis Emesenorum Ecclesiæ procuratores, cum in nonnullos cives causam bis centum auri pondo tenuissent, eos illicò condemnarunt, quibus ex tanta temporum distantia, atque nocte rerum olim gestarum nulla defensio suppeteret. Quamobrem, cũ alii tum Emesenorum primores in magno mœrore jacebant, successebantque calumniatoribus. Sed cum pars maxima civium in id exitii veniret, rem ita est Deus moderatus: Prisco hucusque fraudis auctori, ut ad se omnes libellos deferret, Longinus imperat, atque rem detractanti magnâ impingit alapam vi; ille ictu fortis dexteræ afflictus supinus concidit tremensque ac pavidus, remque odoratum Longinum ratus fatetur fraudem, sicque totius rei scenâ detectâ desitum calumniis est. Hactenus Procopius.

3. His ergò artibus inductus Justinianus legem tulit, ut in iis, quæ vel per hereditatem, vel legatum, vel fidei commissum relinquerentur piis domibus, Ecclesiis, Xenodochiis, monasteriis & similibus, & in iis quoque, quæ civitatibus ita relinquerentur, deniq; in relictis ad redemtionem captivorum, sive sint mobilia sive immobilia, non esset locꝰ præscriptioni, nisi centum annorum.

4. Scripta fuit lex ista Justiniano Cos. ad Julianum Præfectum Prætorio orientis, anno Christi 528. Unde videtur ad solas orientales Ecclesias pertinuisse. Quod ex Nov. 9. amplius probat Cujacius 5. Obs. 5. Qem alii secuti fuêre interpretes, Giphanius ad d. l. ut inter Perez in Codicem de SS. Eccl. num. 25. Quamvis non desint, qui hoc jus statim ab initio & ad occidentales Ecclesias pertinuisse contendant, quòd dicat Procopius: Καὶ ταῦτα οὐκ ἐν Ἐμέσῃ μόνον κύρια εἶναι, ἀλλὰ καὶ ἀνὰ πᾶσαν τὴν Ῥωμαίων ἀρχήν. Sed nihil impedit, quæ Procopius dicit, ad solum Orientis imperium restringere. Aut si maximè voluerit Justinianus utri-

utrique id commune Imperio esse, fieri tamen potuit, ut, si quas possessiones Ecclesia Romana in Oriente possideret, quantum ad eas jus illud Magistratus, qui in Oriente erat, Ecclesiæ Romanæ dubium faceret, quasi soli Orienti datum id esset, adeoque ad occidentem non pertineret. Quâ ratione visum fuit Justiniano propria constitutione cavere Romanæ Ecclesiæ. Quò faciunt verba haut dubia Nov. 9. Ut sit totius Occidentis, nec non & Orientis, ubi possessiones sitæ inveniuntur. Et paulò inferius: Totius Occidentis Ecclesiis profuturam & in Orientales partes propagandam in quibus aliquid sacrosanctæ possident Ecclesiæ. Et paulò post: *reminiscentes hujus Legis prærogativam non solùm in Occidentalibus partibus Romanæ Ecclesiæ condonamus, sed etiam in Orientalibus partibus, in quibus Ecclesiasticæ urbis Romanæ possessiones sunt vel postea fuerint.*

5. Sed fortè an Novella IX. subdititia est? Ita Duarenus vult, quem sequitur Cisnerus *ad l. 1. de usucap. n. 14.* Dominus Wissenbachius *de Error. Irner. th. 3.* ubi ait, eam spuriam certissimis argumentis probari posse. Et Dominus Thabor *Partit. Element. p. 2. th. 22. §. malè Ergo*, Argumenta hæc ferè sunt: Quia Nov. 9. non reperiatur hodiè in Codice Græco. Deinde quia præscriptionem nuncupet præsidium impium, quod genus loquendi magis Pontificis alicujus, quam Justiniani aut JCti videatur. Et Wissenbachius Exerc. ad π. 20. tit. 41. th. 2. quia non inveniatur in Basilico. Quæ omnia non sunt tanti. Et primùm quòd ajunt Græcam formam deesse, quid refert? Quasi verò hæc sola sit earum, quæ latinè promulgatæ. Sunt enim præter hanc Nov. 11. 23. 62. 143. & 150. teste Antonio Augustino *Partit. ad Novell.* Sed neque textus Græcus is est, cui ceu Authentico fidere tutò possis. Est enim in hunc usque diem incertum, an hic, quem habemus, Justiniani fuerit, nec ne? Nec enim is visus fuit ante quàm Gregorius Haloander edidisset primùm Noribergæ, ann. 1531. & desiderabantur tum aliquot Constitutiones Græcæ, quas partim postea supplevit Heervagius, partim Schrimgerus ex Libro Cardinalis Bessarionis Bibliothecæ Venetæ relicto. *Vide Ant. August. lib. 1. Emend. cap. 8.* & quis præstabit mihi etiam nunc eas haberi integras, emendatas, & Justiniani primigenias?

Græcus ille Novellarum Codex, inquit Carolus Molinæus *de usur. n. 67. quem Haloander Latinum fecit, adhuc minus prototypus est Novellarum: imò longiùs recedit & discrepat à prototypo non solùm in nativâ literâ, sed etiam in sententiâ, quàm liber Authenticorum, qui vulgi manibus teritur; Ipse enim ex multis deprehendi, Codicem illum Græcum Haloandri fuisse transscriptum ex libro privato cujusdam Græci Scholastici vel Studiosi Juris, qui in libro suo proprii usus gratiâ multa super textu & in margine ejus notaverat, præcipuè circa ea, in quibus posteriores Novellæ corrigunt vel limitant priores, quæ omnia, ut erant à privato homine in textu mutata, & margini addita, successione temporis, dum libri ad vetustatem vergentes imperitorum opera transscriberentur, desultaverunt in textum ipsius literæ textualis.* Alb. Gentilis, JCtus exquisiti judicii *disput. de libb. jur. civ. cap. 7. p. m. 65. De textu ipsius Justiniani Græco non constat satis, qui sit, aut ubi sit*, inquit & porrò: *Cujacius veterem interpretem ex alio exemplari Græco fecisse suam interpretationem scribit, quod & nemo non videt, collatis libris & præcipuè rubricis.* Et omninò verum est, translationem Novellarum illam vulgatam, quæ nomine Authentici hodieque usurpatur, longè esse fideliorem. Equidem non latet mihi, esse, qui autorem translationis hujus Bulgarum Pisanum JCtum & Poëtam Græcè doctum, à quo Modestinum de Excusat. tutorum, Latio donatum habemus, ferant, ut Alciatus & Covarruvias, ab Antonio autem Augustino Berguncionem Pisanum laudari: sed certior longè in hisce Criticis Cujacii, Molinæi, Contii, Balduini, ut magistrorum, sententia est, qui hunc interpretem Bulgaro & Berguncione longè antiquiorem docent, rationibus irrefragabilibus. Inprimis, quòd Gregorius M. Pontif. in locis apud Gratian. *can. 35. caus. 11. q. 1.* relatis & Raymundum *tit. de testibus cap. 1.* ubi *cap. ult. Nov. 90. de testibus* citat, hujus interpretis verba recitat. In Concilio quoque Parisiensi antiquissimo & tempore S. Ludovici habito recitatur ex veteri istâ translatione Nov. CXIII. integer locus, ubi etiam Nov. CXXIII. appellatur. Exstat ille locus apud Ivonem Panormiæ suæ part. 5. Vide omninò *Ant. Contium præfat. in lib. 2. Novellar.* ubi addit LL. Caroli M. filiorumque ejus ac nepotum hâc translatione esse plenas. Et Isido-

Iſidorum lib. Canon. Eccl. integram Nov. 41. de depoſitione Anthimi ex eâdem veteri translatione ſumſiſſe, præter innumera veterum Pontificum ſcripta, Ivonis, Burckardi, Gratiani, Johannis Sarisberienſis, ubi multæ paginæ hujus translationis continentur. Et quia plerique horum Scriptorum Juſtiniani ſeculo proximi fuerint, rectè concluditur, interpretem hunc Juſtiniani tempore vel non multò poſt edidiſſe verſionem ſuam. *Vid. Cujac. 3. Obſ. 36. Molin. Lect. Dolan. 3. num. 20. Balduin. Præf. Scholior. ad Nov. Joſephus Maria Svareſius notit. Baſil.*

6. De hujus verſione ita ſentit Concius, eſſe quidem injucundam & ſalebroſam, ſed id non tam interpretis accidiſſe culpâ, quàm præcepto Juſtiniani, qui ita demum in aliam Lingvam LL. transferre permiſit, ſi modo ſub eodem ordine eademque verborum conſequentiâ, quod Græci κτ̓ πόδας dicunt, transferrentur. Eamque ex Græco Exemplari longè fideliore & integriore prodiiſſe, quàm aut Haloandrinam (quæ à quodam privato homine propriâ autoritate contaminata ſit) aut Scrimgerianam, quæ ſuas lacunas habeat, & nullam Latinarum contineat. Et ut Haloandrinam elegantiorem eſſe non negat, ita pronunciat vulgatam fideliorem. Et alibi ex perfectiore exemplari Græco eandem factam interpretationem, quam tali quod nos habemus, ſcribit. Et Paulus Caſtrenſis cum Philippo Cornæo in Auth. hoc amplius, eam partum Juſtiniani legitimum agnoſcunt.

7. Non magis movet, quòd hæc Nov. 9. inter Græcas non appareat, nec in Baſilicis habeatur. Quam multæ in Baſilicis aliæ perinde non habentur? & propria hæc ratio eſt, quòd Baſilica ſoli Orienti ſcriberentur. Jamdudum enim Impp. CPolitani non ſolùm Imperio, ſed & ſpe imperandi Occidenti exciderant, cum Baſilius Macedo cum Filio Leone Baſilica procuderent. Quid? quod omninò in Baſilicis hoc privilegium præſcriptionis ſecularis haberi teſtetur ecloga Baſilicorum? Denique hoc genus loquendi, quo utitur Nov. cur magis Pontificem quàm Imp. prodat, Duarenus non oſtendit, cujus hæc ratio eſt, nec cauſæ quicquam dici poteſt. Quòd uſucapionem vel præſcriptionem vocet impium præſidium, argumentum lon-

gè imbecillius eſt, quàm ut genuinam originem aut JCtum auctorem inficietur, ſi præſertim cogites adfectum Juſtiniani erga Eccleſias tantum non ſuperſtitioſum, nec ſimpliciter impium vocat, ſed intuitu eorum, qui contra Eccleſiam temerè malave fide uſuri ſint. Quaſi verò res per ſe legitima & pia ab uſu perversôque utentis fine non poſſit dici impia? Confer Ar. Pinel. ad Avthent. niſi tricenna. Cod. de bon. mater. num. 40.

8. Nec quicquam contra facit Primatus Præſuli Romani ibi tributus, ob quem νοθείας arguit Novellam Ciſnerus. Sed cur non eodem argumento & Novellam CXXXI. cap. 2. ut ſpuriam rejicit, ubi Primatus omnium Sacerdotium eidem Epiſcopo Romano tribuitur. Et quidem ex Decreto ſanctarum Synodorum. Quam Nov. pro hâc ſententiâ allegat etiam Nilus Theſſalonicenſis Archiepiſcopus περὶ τῆς τοῦ Πάπα ἀρχῆς, & centeſimum numerat, & quid faciet Baſilicis, ubi lib. 5 tit. 3. cap. 3. ita habetur: θεσπίζομεν κατὰ τὰς αὐτῶν (ſc. κανόνων καὶ νόμων.) ὅρους τὸν ἁγιώτατον τὸν πρεσβυτέρας Ῥώμης Πάπαν πρῶτον εἶναι πάντων τῶν ἱερέων. Quid Conſtantini ad Sylveſtrum Papam reſcripto, quod habet Balſamo *ad tit. 8. Nomocan. Potii?* quod homo Græcæ Eccleſiæ addictiſſimus nunquam poſuiſſet, ſi falſi fuiſſet ſuſpectum. Et certè Primatus Ordinis, quem Epiſcopus Romanus Impp. beneficio obtinuit, tam certus eſt, ut nulla dubitandi idonea ratio afferri contra poſſit. Sed nec erat, cur poſt Hotomannum Wiſſenbachius *legem, inter claras. C. de Summâ Trin.* ob eandem cauſam rejiceret, cujus Epiſtolæ præter alios Liberatus *in Breviario c. 20.* nec non Epiſtolæ Juſtiniani ad Agapetum, in Epiſt. Agapeti *tom. 1. Epiſt. Pont. Rom.* & Paratitla Græca à Leunclavio verſa meminerunt, & habent Baſilica. Quam profectò ita aſſerit Cujacius, poſt Alciatum *12. Obſervat. 26.* ut nihil ſolidi habeat quod opponat Wiſſenbachius. *Confer Ragulium ad l. 6. & ſeqq. C. de Sum. Trin. & Baron. ad a. 534. n. 34. & ſeqq.* ubi Hotomannum omnibus penitus armis exuit, præſertim à n. 31.

9. Nec multum officit, quod Juſtus Meyerus JCtus longè doctiſſimus contra Scioppium p. m. 27. Novellæ 9. impingit, facilius eam corrumpi potuiſſe, formâ Græcâ deperditâ. Sed

quid

quid si Græcè unquam scripta non fuit? Sanè periculum hoc, vel metus ad omnes reliquas Constitutiones Latinas pertinet ex æquo, in quibus tamen nemo, quòd Græcè non scriptæ, desiderat. Majoris momenti dubium est, quod idem Meyerus ciet ex Chronologiâ. Subscriptio enim habet Belisarium COS. quo notatur A. D. 535. At Johannes II. Pontif. ad quem Nov. 9. scripta est, desiit Papa esse anno 34. ubi successit ei Agapetus. Sed hæc ita quidem creduntur. At unde constat Johannem anno 534. esse mortuum, ad quem annô sequente nempe 535. synodalis Epistola ex Concilio Africano missa reperitur apud Baronium ad A. 535. n. 21. & Anastasius hoc demum anno eum esse mortuum consignatè tradit.

10. Hæc quidem de Regulâ Avthenticæ nostræ sufficiant. Sequitur jam Exceptio: *Solâ Romanâ Ecclesiâ gaudente centum annorum spatiô vel privilegio.* Ergonè Novæ. 9. non derogavit Justinianus per posteriores, sc. CXI. & CXXXI. cap. 6. & Edictum 5. Cum enim Avthentica nostra ex Nov. CXXXI. contracta sit, quæ Ecclesiam Romanam, à generali regulâ de quadragenariâ præscriptione non excipit, utique hoc facinus Irnerii, aut alicujus Irnerio similis erat. *Hic Rhodus, hic saltandum!*

11. Valde autem contra veritatem hujus exceptionis militat, quòd non appareat, qua ratione plus Occidenti, quàm Orienti tribuatur, quod objicit *Cujac. 5. Obs. 5. Gipban. ad l. 32. C. de SS. Eccl. Wissenb. d. l. th. 3. Rittershusius par. 11. n. 10.* Inprimis, quia Julianus Antecessor Justiniano σύγχρονος in sua Epitome *Nov. 131.* exceptionem non agnoscat, sed generaliter locis religiosis præscriptionē quadragenariam restitutam tradat. Gregorius autem M. Episcopus Romanus contra Ecclesiam Romanam præscriptionem quadragenariam admittat. Unde apparet, paulo post Justinianum in Occidente & contra Ecclesiam R. quoque correctorias Novellas, nempe CXI. & CXXI. admissas fuisse, Locus Gregorii *lib. 1. Epist. 9. ad Petrum Subdiaconum,* ita habet: *Si monasterium fines, de quibus causatio mota est, inconquussos XL. annis possedisse repereris, nullam deinceps, etiamsi quid sacra Romana Ecclesia competere potuit, patiaris sustinere calumniam, sed quietem illorum inconquussam, omnibus modis procurare.* Quam

Epiſtolam Gratianus Decreto ſuo *can. volumus. 2. cauſ. 16. q. 4.* inſeruit. Hincmarus Rhemenſis *opuſc. 44. cap. 32.* ait: *anni XXX. ſecundùm LL. publicas & juxta conſtitutionem Eccleſiaſticam, ut demonſtrat Gelaſius PP. humanas adimunt quæſtiones, & Juſtinianâ lege ac Decreto B. Gregorii ex eadem lege promulgato, negotia inter venerabiles Eccleſias ac monaſteria, locaq; religioſa anni XL. determinant.* Ecce quid clariùs quàm legem Juſtinianam non minùs ad Eccleſias Occidentales, quàm Orientales pertinere, eamque inſuper Gregorii Decreto hôc modô acceptam, expoſitamque. Imò jam ante Hincmarum Carolus M. & Ludovicus Impp. Kapitul. *lib. 5. c. 236.* hanc legem repetiverant, quod valido eſt argumento, eam ita in uſu fori repertam à ſeſe, conſtitutione ſuâ approbatam fuiſſe. Svadet etiam ῥῆσις *d. c. 236.* quæ omninò Avthenticam noſtram redolet. Id quod agnoſcit & Accurſ. *in auth. quas actiones in ult. Schol.* ubi concludit, quòd nulla ſit differentia inter Eccleſiam Romanam & Orientales, quod probavit Petrus & Salycetus *ib. num. 1.* Denique nec in Baſilicis quidquam de hac exceptione. Vide *lib. 5. tit. 2. c. 23.* ibi: πᾶσα ἀγωγὴ προσήκουσα σεπτῷ οἴκῳ, εἴτε προσωπικὴ εἴτε ὑποθυκαρία ἐστὶν, οὐχ ὑπερβαίνει τὰ τεσσαράκοντα ἔτη. *Omnis actio religioſæ domui competens, ſive perſonalis ſive hypothecaria, non tranſcendit annos XL.*

12. Quid ergò fiet exceptioni iſti? Anne dicendum videtur, quod aliis avthenticis contigiſſe ſupra diximus, id etiam huic, ut lacinia ei aſſuta fuerit, Irnerio interpolante? An verò jam non ſatis erroris tenetur Irnerius, quem tamen ab eo amovere, ſupra remis & velis contendimus? Sed adhuc ſalva res eſt. Et etiamnum teneo, Eccleſiam Romanam Nov. CXI. ad ſe pertinuiſſe, nunquam credidiſſe, adeoque ex praxi quisquis auctor *eſt Auth. Quas actiones* hauſiſſe exceptionem.

13. Cum enim d. Nov. CXI. legem, *ut inter.* abroget, quam ad Romanam Eccleſiam non pertinuiſſe, ſed ſoli Orienti datam plerique omnes agnoſcunt, utique non potuit credere Eccleſia Occidentis, ſibi quidquam ademtum eſſe: Sed Imp. quod Orienti dederat, eidem abſtulit. Occidenti autem cum d.l. nihil erat. Nihil ergo ei ademtum. Quod inde magis firmatur, quod *Nov. CXI.* ad ſolum Præf. Præt. Orientis Theodotum miſſa, cui ſanè

pro-

promulgare eam in Occidente, qui proprio Præfecto paruit, jus non erat. Imò Romæ publicari non potuit, Gothis in Italia per absentiam Belisarii vires resumentibus, Rege Totilâ, & urbe Româ Græcis infensa ob missum in exilium Sylverium Pontificem cum aliis plurimis. Quare cum nec animum Justiniano per Novellas posteriores anteriori IX. derogaturo, nec successum, si maximè voluisset, fuisse, vel esse potuisse, ostensum sit, nihil est, cur Romani, semel quod accepissent, spontè abjicerent aut repudiarent. Porrò non parum ad rem facit, quod in Eclogâ Basilicorum l. 3. tit. 3. Scholiasta testatur, in Basilicis eodem libro 3. tit. 1. c. 9. haberi; Ecclesiam Romanam habere centum annorum præscriptionem. Quæ verba etsi hodiè in Basilicis prout à Fabrotto edita, dicto loco non reperiuntur, non tamen inde fidei Scholiastæ quidquam derogatur. Ita autem habent Scholiastæ verba; *Ἀνάγνωθι καὶ τοῦ βιβλίου τούτου τιτλ. α. κεφάλ. ις. καὶ λε, καὶ, λς, καὶ, μγ΄. καὶ κεφάλ. θ. ἐν ᾧ φησὶ περὶ τῆς Ἐκκλησίας Ῥώμης τοῦ ἔχειν αὐτὴν τὴν τῶν ρ. χρόνων παραγραφήν.* Quare non moramur Julianum, cui propositum fuit Novellas Græcas vertere: Novellam IX. autem, quia Latina erat, non habuit, cur attingeret. Nec aliud quid nobis Epistola Gregorii persvadet. Quomodo enim usus fori Romani eam interpretatus fuerit, Gratianus d. l. ostendit, quod nimirum tùm contra Ecclesiam Romanam, quadragenaria currat præscriptio, si cum Monasterio res sit. Est itaque hic casus exceptus, quo remoto regula manet inconcussa. Quod omninò insinuare mihi voluisse Gregorius hâc ampliatione, quæ profectò emphasin habet, videtur, quando addit, *etiamsi quid sacræ R. Ecclesiæ competere potuit.* Nisi enim regulariter Ecclesiæ R. jus aliud fuisset, quàm de quo Gregorius agit, quid opus fuisset hôc additô? Hincmarus autem, ut & *c. 236.* Karoli ac Ludovici, non loquuntur de Ecclesiâ Rom. sed de aliis venerabilibus locis. Ostendit hoc Epistola Johannis VIII. ad Ludovicum II. Regem, Lotharii F. quæ habetur apud Gratianum *c. ult. caus. 16. q. 3.* Quomodo nempe Kapitulare 236. intelligi oporteat.

14. Cumque hoc eodem tempore Nomocanonem scriberet Photius, (nempe Ludovico II. Imperatore, quo nondum Basilica cœpta

cœpta erant concinnari, quippe initio à Basilio Orientis Imperatore facto) in quo tit. 2. περὶ ποιήσεως ἐκκλησιῶν, locis venerabilibus centum præscriptionem annorum adhuc tribuit, ferè eò conjecturæ delabor, post Justinianum etiam orientales Ecclesias Novellam CXI. non observasse. Cujus postea dispositionem Basilius & Leo denuo per Basilica in usum reductum iverunt. Verba Photii ita habent. διάτ. ιθ'. p. m. 39. Ἐὰν διαδωρηθῇ ἡ κληρονομία, ἢ ληγάτον εὐαγεῖ τόπῳ καταλειφθῇ εἰς ἀνάῤῥυσιν αἰχμαλώτων, κινητὸν ἢ ἀκίνητον, ἁρμόζουσι προσοναλιαὶ καὶ ἰν ῥεμ, καὶ ὑποθηκαριαὶ, καὶ μόνῃ τῇ τῶν ρ. ἐνιαυτῶν ἐκβάλλονται παραγραφῇ. Cui Balsamon hoc Scholion subjicit: Σὺ γίνωσκε ὅτι κἂν ἡ τοιαύτη διάτ. διορίζηται μόνῃ ἑκατονταετίᾳ τοὺς εὐαγεῖς οἴκους ἐκβάλλεσθαι. ἀλλὰ τὸ α. κεφ. τῆς ρια'. Ἰουστινιανοῦ νεαρᾶς ἤτοι τὸ τελευταῖον κεφ. τοῦ β. τιτ. τοῦ ε. βιβλίου τῶν βασιλικῶν. ταῦτα ῥητῶς διατάζει &c. Id est: Tu vero scias quod tametsi illa constitutio statuat, solo centum annorum curriculo venerabiles domos rejici: Tamen c. 1. Nov. Justin. CXI. sive ult. cap. tit. 2. lib. 5. Basil. hæc in verba sanciat &c. Verba quæ sequuntur jam supra ex Basilicis recitavimus. At hoc monitum Balsamonis Photio latere non potuit, homini infinitæ lectionis, diligentissimoque excerptori, & hoc ex professo agenti, ut canones cum legibus conferret. Quod valdè me confirmat, nec Orientales Ecclesias tum temporis aliam quàm centenariam observasse præscriptionem.

15. At inquies, privilegium, quod Nov. IX. continetur, non soli Romanæ, sed toti Occidentali Ecclesiæ tribuitur. Ergo non potest distingui inter præscriptionem contra Ecclesiam Romanam, & alias Occidentis. Id quidem verum. Sed usus fori Rom. hoc Privilegium restrinxerat, ut soli Ecclesiæ Rom. esset proprium. Quo facit Honorius Compilat. V. de Præscript. Priori & Conventui Lateranensi rescribens: *Cum Lateranensis Ecclesia speciale membrum Apostolicæ sedis, & Romani Pontificis propria exsistat, statuimus & sancimus, ut sicut contra Rom. Ecclesiam non nisi centenaria currit præscriptio, secundùm Constitutiones Canonicas & legitimas sanctiones, ita quoque ipsi Ecclesiæ minoris temporis præscriptio non obsistat.* Sed quænam Romanarum intelligitur?

Quin-

Quinque enim sedes Patriarchales constitutæ fuerunt Romæ. Prima Laterani ubi Romani Pontificis propria sedes *d. c. si 1. 2. compil. V.* Et ait Onuphr. *tr. de Episcop. & Tit.* Pontifices Romanos, in Patriarchio juxta Lateranensem Basilicam, seu Salvatoris vel Constantinianam fabricato per mille annos commoratos fuisse, videlicet usque ad Clementis V. pontificatum. Secunda, quæ est in CPolitani Patriarchæ ad S. Petrum: Tertia Alexandrini ad S. Paulum: Quarta Antiocheni ad S. Mariam Majorem: & Quinta Hierosolymitani ad S. Laurentium. Quæ quatuor ultimæ sunt membra Basilicæ Lateranensis, quæ propriè dicitur Ecclesia Romana, ut annotavit Onuphr. *tract. de Episcopat. & Titul.* Cujacius intelligit Ecclesiam S. Petri *in c. ad audientiam X. de præscrip. & Fr.* Raguel *ad l. ut inter C. de SS. Eccles.* ait, eruditos intelligere Ecclesiam S. Petri tantum. Idque probari *ex d. c. sing. compilationis V.* Cironius Lateranensem. Sed rectius Johannes Faber ad *d. auth. quas actiones n. 59.* per Ecclesiam Romanam, patrimonium sive bona, quæ Papa immediatè tenet, intelligit. Unde ad monasteria exémta non pertinet, ut notatur *Archidiacono X. de præsc. cap. 2. lit. 6.*

CAPUT IV.
De usu Authenticæ.

Thes. (I.) Locis venerabilibus præscriptio sola quadragenaria nocet. Duæ quæstiones. (II.) quas res concernat hæc præscriptio Plurimum inter est b. an m. fid. possessor exceptione præscriptionis se tueatur. Dd. hac de re sententia. (III.) Rei immobilis & incorporalis dominium possessione acquiritur. (IV.) Præscriptionem 30. annorum quis Imperatorum introduxerit. Impp. Antecessores suos Patres nominant. Euphegius, Legislator Ephesinus. Lectio mendosa. Valentinianus Imp. Theodosium II. Patrem suum num rectè nominet? Cujacius refutatus. Herculanus Cos. Nicetius. (V.) Euphegius legislator in dubium vocatus C. 5. x. de præscript. emendatur Theodosii II. preces. (VI.) Circa præscriptionem longissimi temporis distinctio. Jure Can. quandoque nec bonâ fide opus est. (VII.) In centenaria præscriptione nullô jure titulus requiritur. Centenaria præscriptio per nostr. Auth. civitatibus ademta non est. (IIX.) Data 40. annorum præscriptione mansit Ecclesiis 30. annorum præscriptio contra aliam. Quod deinde mutatum. In uno casu contra R. Ecclesiam sufficit 40. annorum præscriptio. Vasallus nunquam præscribit Senioratum.

ECclesiis ergò locisque venerabilibus aliis, ut & civitatibus, nec non relictis ad redemtionem captivorum nullum privilegium datum est, quantum ad præscriptiones temporis minoris decennio. At à præscriptionibus longi longissimique temporis, id est, decem, viginti, trigintaque annorum ita tuta sunt hæc loca & res, ut olim non nisi centum, hodie verò sola quadragenaria præscriptiones noceant. Dicit autem Authentica: *Quas actiones excludit præscriptio.* Excludere actionem exceptionum est. Ergone Ecclesia solâ exceptione temporis tuta est adversus petentem dominum? Et nunquid possessio longi temporis X. vel XX. annorum, itemque longissimi temporis, solam parit exceptionem possidenti, non autem actionem repetenti?

2. Videamus. Et primò quidem de longo tempore. Pertinet hæc præscriptio tam ad res corporales, quàm incorporales. E corporalibus autem huc pertinent duntaxat res soli. *l. 1. l. si vinea. 3. l. fin. C. de præsc. long. temp. Instit. h. t.* siquidem auctor sit bonæ fidei. Malæ enim fidei possessore alienante cessat longi temporis præscriptio, si verus Dominus ignoret jus suum, & alienationem factam *authent. Malæ fidei C. de prascript. long. temp.* quæ desumta est ex *Nov. CXIX. c. 7.* si verò is, qui putabat easdem res sibi competere, inter X. vel XX. annos litem non fuerit contestatus, possessor præscriptione munitus firmiter eas habeat. Quod ita accipiunt Dd. ut non pertineat, nisi ad res solas corporales immobiles, neque ad alium, quàm qui immediatè à malæ fidei possessore causam habeat, & denique in mala fide vera ac statim ab initio interveniente, ita ut auctoris mala fides præsumta, vel post traditam possessionem eidem superveniens successori haut officiat. *Bart. ad l. Pomponius 13. §. cum quis ff. de acqv. possess. Baldus Ang. & Castrensis in d. auth. malæ fidei Balb. p. 2. p. pr. 3. q. 12. Vasqv. 2. Controv. 73. num. 18. Fachin. 8. Controv. 22. in fine.*

3. In re ergò immobili corporali magis accesserim his, qui dominium possessione acquiri volunt, cum quia longi temporis possessio succesit in locum usucapionis biennalis, quæ olim fuit in Italico solo. *pr. instit. h. t.* unde & usucapi disertè dicuntur à Justiniano *d. l.* res immobiles & *in f. pr.* Non solùm in Italia, sed in omni terra, quæ nostro imperio gubernatur, dominia re-

rum

rum justâ causâ possessionis præcedente acquiri. Junge *l. 38. ff. de usurp. & usuc.* Tum quia in *l. fin. C. de Ed. D. Hadr. toll.* dicitur tempus possessori plenissimè securitatem super dominio præstare. Idem etiam forsan dicendum de rebus incorporalibus, ut servitutibus, per longi temporis quasi possessionem seu consuetudinem jus acquiri, quo propriæ suo fiant modo, dummodo nec vi, nec clam, nec precariò possideantur ab eo, qui prædium dominans possidet. *l. si ædes 32. ff. de S. V. P. l. 1. C. de serv. & aqu. l. 10. pr. ff. si serv. vind. l. 1. §. fin. ff. de aq. & aq. l. 7. C. de servitut. l. ult. C. eod.*

4. Sequitur præscriptio XXX. annorum, quam ferè convenit JCtis priscis fuisse incognitam, ab Impp. demum introductam. Sed dubitatur quis Imperatorum ejus auctor fuerit? Cujac. *18. obs. 26.* Theodosium magnum fuisse contendit, quod Valentinianus *Nov. de præscript. XXX. annor.* id tribuat antecessori suo patri. Non ergò Collegæ Theodosio juniori, sed Theodosio M. id tribui. Nam solere Impp. antecessores suos appellare patres, ut Alexander Antoninum. *l. ult. C. de edend.* Et idem Valentinianus *in eâdem Nov.* Honorium, qui ei fuit avunculus, non parens. Deinde idem probat Cujacius eo, quòd ex eadem constitutione Theodosii Magni idem Valentinianus referat in *Nov. de Epis. jud.* Theodosium patrem suum divæ memoriæ non imputasse in præscriptionem tricennii tempus pupillaris ætatis, quò scilicet quis rem pupilli possedisset. Contra sunt qui Theodosio juniori id transcribunt. Alexander III. Pontifex in *ca. Vigilanti. 5. x. de præscript.* quendam Ephesinum legislatorem nominat, quem quis fuerit, Cujacius cum aliis requirit. Tomo *II. Concil.* nominatur nescio quis Euphegius, quem patruum Origenis fuisse habet Decretalium compilatio prima. Id quod inter cassa palearum ponit Cujacius. Et A. Augustinus *not. ad compil. 1. τῷ Ephesinus, & Euphegius,* substituit, *Etenim,* vel: *Et prius.* Cujac. *ad c. vigilanti.* & Savero *ad Sidon. Ep. 16. lib 8.* Eugenius, quod constet, cum rerum potiretur in Oriente Theodosius M. Eugenium se pro Imperatore gessisse in Occidente, ubi potuerit exemplo Theodosii introduxisse præscriptionem XXX. annorum. Possis &, si omninò mutanda est lectio, substituere congruentius *Theodosi-*

dosius Legislator, quàm cum Johann. Costa, *Theodosianus Legislator*, rescribere. Sed priùs de Theodosiis videndum, inde de lectione. Et verius, ut probat Sirmondus ad Sidon. d. l. Theodosium Juniorem intelligi puto. Quia de Theodosio M. ejusce rei nullum adest vestigium, adest autem de Juniore, d. *Nov. tit. 8. de XXX. annorum præscriptio. omnibus causis opponenda.* Nec officit, quod ibi fit appellatio Patris. Nam rectè Patrem Theodosium Juniorem, Collegam quantumvis suum appellat, quòd socer ipsius esset. Duxerat enim filiam hujus Eudoxiam. Vid. Cedren. Et ideò contra Theodosius ipse se Valentiniani Patrem, Valentinianum Filium appellat in Inscriptione *Nov. 11. Dn. Valentiniano inclyto, Victori ac Triumphatori semper Augusto, Filio Theodosius P. P. Augustus Pater.* Sed fortiùs adhuc premit Cujacium Nov. illa XII. *de Episcopali judicio.* Ibi enim Valentinianus disertè se refert ad constitutionem seu Legem divæ memoriæ Patris sui Theodosii, quam tulerit de privilegio pupillaris ætatis, ne intra hoc triginta annorum spacia eis labi incipiant. Attulit hanc legem non Major, sed Minor Theodosius, & agnoscit ipse Cujacius *d. Obs. 26.* retractatâ sententiâ priore, quâ *tract. de div. temp. præscrip. cap. 30.* eam Theodosio M. adjudicaverat. Neque hæc alia est quàm *l. 3. C. Just. de præscript. XXX. annor. & l. sing. C. Theod. de actio. cert. temp. fin.* Frustra verò Cujacius simile quid jam à Theodos. M. constitutum, & sine teste affirmat. Non enim ad rem facit Symmachus *lib. 5. epist. 52.* ib. *XXX. annor. diebus incanuit ætas possessionis.* Non enim vult, tot annorum canitie Ampelium per leges tutum esse: Nam si esset, non ita solicitè omnes alias rationes conquireret pro eo Symmachus, sed nudè factum narrat, eum tamdiu possedisse. Frustra urget Cujacius verba *Nov. de Episcopali judicio.* Non enim ibi loquitur Theodosius Junior, sed Valentinianus solus. Data enim est Herculano COS. cum jam Theodosius biennio ante defunctus esset. Et hoc est, cur nominet eum Valentinianus Divæ memoriæ Patrem suum. Hinc ait *Sidon. d. l.* hanc tricennalis præscriptionis legem intra Gallias nescitam, primùm à Nicetio illatam invectam, cùm primùm Ravennæ data, Firmino P.P. cunctis provinciis ad publicandum mandata, à quo Nicetius Præfecturæ Consiliarius eam Tribunali-

nalibus Galliæ edendam accepit. Nunc ad Emendationem tentatam ad *cap. 5. x. de præscript.*

5. Ubi Cujacii *Eugenius* non placet. Cui enim persuaserit, Pontificem Tyranno & Imperii injusto usurpatori gloriam inventæ à Theodosio legitimo Imperatore tricennii præscriptionem tribuere? Et cum Theodosii M. tempore nondum quicquam tale sancitum jam probavimus, cui Eugenius isto coævus, facilè inde constat, Eugenio hic locum esse non posse. Ephegius autem Origenis patruus jamdudum ab eruditis explosus est. Nec ad corrigendum textum facilè descenderim præsertim si nimium à litera recedat. Quid ergò, si retinemus, Ephesinum Legislatorem? Sive seriò sive per sarcasmum ita appellatum Theodosium II. ob celebritatem nempe Concilii Ephesini, autoritate ejus convocati, teste Sozomeno. Refert etiam Nicephorus *lib. 14. cap. 58.* Hunc Ephesum venisse, temploque precatum revelatione quâdam, quis Imperii successor futurus esset, accepisse, ibidemque obiisse. Est ergò præscriptionis hujus auctor Theodosius II.

6. Ergò circa præscriptionem longissimi temporis distinguendum videtur, utrum sola negligentia domini præscribens nitatur, ut si creditor intra 30. annos non agat, an verò insuper possessione suâ. Priori causa puta, si contra præscribentem actio non fuit instituta, præscriptio longissimi temporis nil aliud quàm exceptio est, quâ post tantum temporis acturus excluditur. Sin præter tempus & possessione nitatur quis, puta, si possideat bona fide, sed sine titulo, *l. 8. C. de præsc. XXX. vel XL. annor.* aut rem ad usucapiendum inhabilem, tunc triginta annis præter exceptionem jus etiam persequendi adquiritur. *l. 8. C. de præsc. XXX. vel XL. annor. auth. nisi tricennale C. de bon. mat. & auth. malæ fidei. C. de præsc. long. temp.* Quòd si malâ fide quis possidet rem vitiosam, solâ exceptione sese defendit. *Vid. l. 1. §. adhac 1. C. de ann. exc. gl. ad §. furtivæ. Instit. de Usuc. l. sicut. 8. §. 1. C. de 30. vel 40. ann. præscr. Gilken. p. 2. membr. 2. cap. 3. num. 1. & seqq.* Etiam jure Canonico *Conf. Gilken. d. l. Balb. p. 2. part. 3. q. 13. Vasquez. 2. Controv. 76. Col. ad c. quoniam de præscript. Fmnzk. Exerc. 5. q. 7.* Aliàs omnes actiones temporales fierent perpetuæ. Nec ratio Juris Canonici concludit, Neque enim omnis scientiam rei alienæ

 ha-

habens, est M. F. ut qui auctore Prætore possidet,ut in re pro derelicto usucaptâ. *Clem. 1. de rest. in integr. c. quoniam. §. in aliis, X. Ut lite non contest. c. de quarta. c. indicante & c. auditis. X. h t.*

7. Porrò disputatum fuit Interpp. antiquis, an in centenariâ istâ requiratur titulus? Quod jure Canonico expeditum est, non requiri. *C. 1. in fin. de præscript. in 6.* Quod & juri civili consentaneum putamus. Quia hæc præscriptio species quædam est immemorialis præscriptionis, quæ vim legis habere dicitur. *arg. l. 1. §. fin. & l. in summa pr. ff. de aq. & aqu. pluv.* & privilegii ab ipso Principe concessi. *l. 3. §. 4. de aq. quotid. Bald. in cap. 1. colum. 1. quæ sint regalia. Jason in lib. de operibus colum. 13. ff. de LL.* Consvetudinis denique ac tituli jure constituti *d. l. 5. §. 4. Balb. p. 2. p. pr. 5. q. 4. num. 4.* ac proinde pro possessore præsumtionem juris & de jure facit per *d. c. 1. de præscr. in 6. Felin. in c. cum nobis. columm. 3. de præsc.* ita ut tanto tempore possessum præsumatur justè possessum, sive commune jus resistat præscribenti, sive non. *d. c. 1. de præsc. in 6. Ant. de Butrio. in cap. prævenit. de censib. Gebhard. de rer. usuc. c. 5. n. 2.*

8. Sed nunquid Auth. nostrâ seu *Nov. CXI. & CXXXI.* centenaria præscriptio ademta est civitatibus quoque? Vetus est Dd. controversia: Theodorus enim Interpres Græcus unus è XVII. viris, qui Pandectis jussu Justiniani concinnandis præfuit, & Codici præterea Græco: Itemque Johannes Civitatibus eam minimè ademtam; Platea autem omninò ademtam statuit, illos sequuti sunt Castrensis, Bartolus, Jason *ad authent. nostram.* Cujac. *tr. de præsc. temp. c. 3. 4. & lib. 5. Obs. 5.* Balb. *p. 3. part. 5. pr. q. 1.* Donel. *5. Com. c. ult.* Gravet. *de antiq. temp. p. 4. §. absolutis n. 32. & seqq.* Bronckorst. *Cent. 2. ass. 43.* Hackelmann. *qq. illustr. disput. 26. th. 13. lit. c.* Besold. *diss. nomicopol. 5. c. 5. n. 5.* Berlich. *p. 2. Concl. 8. n. 4.* Losæus *p. 3. de jure univ. cap. 17. n. 14. & seqq.* Covarruv. *c. malæ fidei. lib. 6. part. 2. §. 2. num. 9.* Hos Cynus Salycetus *in d. auth.* Boër. *decis. 264. n. 22.* Fachin. *lib. 8. c. 3.* Rittershus. *Expos. Nov. par. 11. cap. 1. n. 17.* Giphan. *ad l. ut inter C. de SS. Eccles.* Gilken. *ad auth. nostram cap. 8.* Bachov. *Vol. 2. ad Treutl. disp. 22. th. 4. lit. M. in verb. res civitatum.* M. Stephan. *ad Nov. 9.* Wissenbach. *ad Cod. h. t. th. 9.* Nos, ut jam olim disputatione

ne *ad L. civitas ff. de rebus cred.* Ita tunc quoque priori sententiæ inhæremus, quia neque ex *Nov. CXI. neque CXXXI.* circa civitates quicquam mutatum esse apparet.

9. Cæterum etsi quadraginta annorum præscriptio reliquis Ecclesiis data fuit, mansit tamen XXX. annorum præscriptio uni Ecclesiæ contra aliam, *can. 17. Synodi Chalcedonensis, & can. 25. Synodi VI. in Trullo. & can. Inter memoratos cau. 16. quæst. 3. Concilium Maticense, unde desumtum est cap. 2. compilationis primæ.* Sed id postea immutatum, & inter Ecclesias etiam quadragenaria possessio desiderata. *c. ad aures c. illud & c. quia x. de præsc.* Imò & contra Ecclesiam Romanam XL. anni sufficiunt in casu *cap. ult. de præsc. in 6. Ubi* vice versa nec centenaria sufficit, quantum ad principatum supra Ecclesias alias præscribendum: *arg. c. 3. dist. 93. & c. 24. qu. 1. & can. rogamus 15. & can. schisma 34. c. 24. q. 1.* Quia hoc esset contra obedientiam, cui nullo tempore præscribitur, *cap. cum nec liceat. c. cum ex officii, x. h. t.* Quemadmodum in feudis vasallus nunquam præscribit Senioratum, contra seniorem suum, ex repugnantia terminorum, in relatis, non magis, atque per naturam filius fieri patri pater potest.

Καὶ ταῦτα μέντοι ταύτῃ.



DIS-



DISSERTATIO QUINTA,

DE

INDUCIIS,

CAPUT I.

Nomen, inventor, deſcriptio, diſtinctio indutiarum.

Theſi 1. Explicatur induciarum etymon tum apud Latinos. 2. Tum apud Græcos, Italos & Gallos. 3. Differentia inter inducias & Treugam. Sed falſa. 4. Origo Induciarum eadem quæ belli. Inventor quis? 5. Homonymia. Induciæ tributi. Quinquennales. Treuga Dei, jure Canonico quid. VVergeldum Saxonicum. Pro quiete belli. 6. Sumitur tripliciter. At nos pro ſtatu quieto accipimus. Deſcriptio Induciarum. 7. Actus hoſtiles ſuſpendunt. 8. Ad tempus. Brevius, vel Longius.

I.

Indutiarum etymon tùm apud Latinos,

DE nomine Indutiarum pariter & deſcriptione latè diſputat A. Gellius (I. 25.) dictas has arbitratus, quaſi tu dicas, INDE-UTI-JAM, ut legunt editiones recentiores. Veteres enim Bibliothecæ Paulianæ (quos inter antiquiſſimus Romæ editus annum præfert cIↃ CCCCLXIX.) habent, INDUCI ANSAM. Rationem etymi inde petit Noctium Scriptor, quod dies certus præfiniatur, pactumque fiat, ut ante eum diem ne pugnetur, atque is dies, ubi veniret, INDE-UTI-IAM pugnetur. Idcircò ex iis vocibus, quaſi per quendam coitum & copulam nomen Indutiarum connexum eſſe. Aliter Aurelius Opilius, ab ENDOITU, initu ſeu ingreſſu, derivavit, teſte eodem Gellio, *fine d. cap.* quod hoſtes inter ſe utrinque, ultro citroque alteri ad alteros impunè & ſine pugna ineunt. Grotio *de J. B. & P. lib. III. cap. 21.* dicuntur ab INDE & OTIUM, quod à certo tempore otium ſit. Firmatque ſcripturâ veteri, quâ fuerit, INDOITIA. Nam otium tunc OITIUM, à verbo OITI pro quo nunc, *uti*. Sicut ex POINA, pœna, punio, ex Poino, Pœno, Punicus. Donato ad Eunuch. (I. 1.) quaſi IN-DIEM-OTIUM, à quo fortè hauſit Iſidorus. Chriſtopho-

rus

rus Colerus (παρέργων XXI.) repudiatis Gellianis veriverbiis inducias vult factas, ab Endu vel Indu & Otium, qui cum ferè *Matth. Martinio in Lexic. Phil. & Vossio in Etymologico* convenit.

II. Græcis ἐκεχειρία (Thucyd. lib. IV.) quod eo tempore, inquit Gellius, non pugnetur & manus cohibeantur quasi ἐχεχειρία. Hesychius: ἐκεχειρία, ἀργία, ἀνάπαυσις, ἀνοχὴ, φιλία. Item, ἀνακωχαὶ, à re nauticâ. Glossæ Philoxeni; Induciæ, ἀνακωχαί. Hesychius: ἀνακωχεύειν, ὅταν χειμῶνος ὄντος ἐν πελάγει στείλαντες τὰ ἄρμενα ἑαυτοὺς σαλεύουσιν. Item, ἀνακωχὴ, ἀναχώρησις διὰ τῶν νεῶν, ἢ ἀνάπαυσις. Barbaris TREUGA dicitur, Italis TREGUA, à Germanico Treu/ pro quo dialectus Misnica Treue/ fides. Inde est *Drucla, Druda*, Sponsa in LL. Salicis, *tit. 14.* ab eâdem *Trustis & Antrustio* in formulis Marculphi *lib. 1. c. 18.* eum notat qui fidem Regi promisit, & apud veteres Poëtas Gallos amicitia *Drueria* dicitur. Ut habet, ni fallor, *Dn. Fabrot.* Non enim in præsens ad manus est. Confer *Voss. lib. 2. de vit. serm. ver. Trusta.* Nempe *Treuga* est fides temporaria hosti data. Unde Græci posteriores similiter vetè vel τρέβα dixêre, vel τρέυα, ut Codinus *de offic. Constantinop. XIV. §. 12. Meurs. Gloss. Græcobarb. in τρέυα.* Hinc Gallis quoque suum *Treue*, & *Treuia*, apud Ivonem Carnotensem Epist. 9. Trevia Dei. Confer Sigebertum ad annum 1033. Rudol. Glabr. ad A. 1034. Baron. ad An. 1034. n. 6. Rogerium Hovodenum sub Richardo.

Tùm Græcis.

Italos.

&

Gallos.

III. Et vulgus interpretum Juris Treugam ab Induciis discriminant, quod illa in longum trahatur, hæ in præsens. Cui rei abutuntur autoritate Pauli (*lib. XVI. ad Sabinum L. 19. §. 1. de Capt. & postlim.*) Nam cum Ceritibus, Vejentibusque in centum olim annos à pugnâ darent ferias Romani, tàm accuratus nondum quisquam erat, qui Treugam; Livius verò Inducias vocabat. Adeoque constat, in sensu comparato, & intuitu pacis, à Paulo, inducias brevi, præsentique tempore circumscribi.

Differentia inter treugam. Sed falsa.

IV. Originem, nullus dubito, communem cum ipso habere bello ex Gentium jure, Inducias. Sunt enim perinde bello atque paci sua commercia & (ut verbo Homerico utar Iliad. ψ.) συνημοσύναι, quas inter Induciæ; & abs quibus bellum, non bel-

Origo eadem quæ belli.

lum: ſed immanis & inhumana feritas & rabies foret. Nihilominus Lycaonem quendam, vel ut alii legunt, Lycanorem Plinius inventorem perhibet *lib. VII. cap. 36.* De utroque mihi, ut ingenuè fatear, parùm liquet. Neque induci poſſum, ut de Lycaone Arcadio accipiam, in lupum, ſecundum Poëtam, verſo. Niſi id fortè de Arcadiâ ſolâ intelliges. Nam fœdera idem Plinius ad Theſeum, alii, ut Diodorus ad Mercurium referunt, cum tamen ex Sacris conſtet, dudum ante apud Hebræos fœdera recepta fuiſſe. V. G. *Gen. XIV. verſ. 14.* *Vide Polyd. Virg. de Rer. Invent. (II. 15.)* Quis autem Lycanor ſit, cum ignariſſimis ſcio.

Inventor.

Homonymia.

V. Accipitur verò quandoque pro qualibet remiſſione, quemadmodum Indutiæ tributi apud Caſſiodorum *var. lib. XII. Epiſt. 3.* Indutiæ quinquennales Juſtiniano Imperatori *in l. 8. C. qui bon. ced.* Itemque *§. 10. Inſt. de Except.* Jure Canonico Treuga peculiari planè ſignificatu ponitur, tit. x. de Treugâ & pace, quod non animadverſum ab his ſatis, qui noviſſimè paratitla Digeſtorum ſcripſerunt, miror. Dicta hæc Treuga TREUGA DOMINI, ut ſupra theſi 2. diximus, ſeu TREUGA DEI. Videatur Rudolphus Glaber lib. 5. c. 1. Origo à Gothis, Italiâ potitis, non jure, ſed manu & ferro experiri cauſasque definire ſuetis. Vide Caſſiod. *3.* 23. Id quod & apud Francos Lege Salicâ obtinuit. Gregorius Turonenſis lib. 6. c. 17. Et inprimis in cauſâ homicidii obſervabatur, ut familia occiſi homicidam eò usque perſequerentur, quamdiu ſupereſſet, qui defuncti cauſam poſſet ſuſcipere, id quod feidam dicebant, id eſt, vindictam cædis, quo factum, ut occiſorum cognati reo pacem jurejurando promitterent, ſe non amplius necem defuncti ulturos & apud eum d. Gregorium in cauſa Auſtregiſili. lib. *7.* c. ult. Hæc ſponſio ſecuritas dicebatur, cujus formula exſtat apud Marculphum c. 121. & ſeqq. Hunc morem componendi feidas Karolus M. compeſcere conatus eſt in Kapitularibus. lib. 4. c. 27. & 55. Et lib. 5. c. 134. Et Ludovicus in addit. 4. cap. 92. Hanc compoſitionem Fredam (quæ vox noſtra Freed/ Fried eſt:) vocabant. *Vide LL. Langobard. lib. 1. tit. 29. l. 13. Lib. 2. tit. 22. l. 2.* Gregor. Turon. *de virtut.* B. Martini *lib. 4. c. 76.* Lindebrog. *Gloſſario in Fredum.* Wendelin. *Gloſſ. Salico in Fredus*

dus aliàs Wehrgeld/ pretium quod pro forisfacturâ penditur. Fr. Pithœus & Freher. Glossar. Idque veteri institutio ap. Germanos obtinuit. Tac. de mor. Germ. Cujus tertia pars fisco inferebatur. Veteri, inquit, instituto, ut non modo levioribus delictis equorum, pecorumque numero convincti multarentur; Sed etiam homicidia hac ratione luerentur, parte mulctæ regi vel civitati, parte ipsi, qui vindicatur, vel propinquis ejus exsolvendâ. Plura adduximus, cum in Academiâ Lipsensi publicè in Taciti Germaniam commentaremur. Hoc Werigeldum etiam moribus Saxonum in usu est. Landr. *lib. 2. art. 38. Constit. Elect. Aug. 11. p. 4. Coler. de process. exsec. p. 1. c. 9. n. 52.* Verùm enimverò cum constitutionibus Principum cacoëthes illud vindicandi cædem coërceri nequiret, Episcopi illud reprimere per inducias conati sunt, quas, ut dictum, treugam Dei appellabant, quâ privatarum simultatum, in ulciscendo familiarum injurias, cessatio canonicâ prohibitione sanciretur. Qua de re Concilium Lemovicense, nec non Claromontense sub Urbano II. ut Lateranense sub Paschali II. ubi generaliter sancitur, & ab omnibus Christi fidelibus pax & Treuga Domini inconcussè servetur. Hæc Treuga, distinctione magistrali, canonica vocatur, & hoc nomine ab alterâ congeneri secernitur, quam conventionalem appellant. Illi, Canonicæ, stata tempora definiebantur, quibus armis aut ferro discernere prohibebatur: Nempe ab adventu Domini, usque ad octavas Epiphaniæ, & à septuagesima usque ad octavas Paschæ, cap. 1. X. de Tr. & pac. & à primâ die Rogationum usque ad octavas Pentecostes. Etiam qui Hierosolymas petebant, eorum bonâ in perpetuâ erant treugâ, id quod & ad Romipetas extensum. Quod evidentiùs ostendere ait concilio Svessionensi 2. c. 7. & 8. Cironius. Radevicus ejus originem Friderico Barbarossæ lib. 3. c. 26. tribuit. Sed pergamus ad conventionales, quæ propria vocis est acceptio, & nostri instituti, inducias, ut nempe accipiuntur, pro otio à pugnâ, & ut Varro apud Gellium pro feriis belli. Quæ Virgilio pax sequestra (*II. Æneid. v. 134.*) Thucydidis Scholiastæ εἰρήνη πρόσκαιρος πόλεμον ὠδίνουσα. Et libro IV. ἐκεχειρίας exponit, ἀργίαν τοῦ πολέμου. Varroni pax castrensis. Grotio, & belli somnium pariter & vinculum, eodem

dem sensu, quo Philosopho somnus, vinculum sensuum dici posse videtur.

Et sic quidem tripliciter.

VI. Porrò hoc sensu tripliciter usurpatur, vel pro causâ sui, nempe conventione; vel pro obligatione inde descendente; vel pro statu, ex utrâque & pactione & obligatione, nato. Primo significatu Grotium accepisse palam est, qui eas conventionem finit *dict. loc. n. 1.* Verùm cùm in omni contractu ipse tractatus de præstando aliquid alius sit, ab eo, super quo ultro citroque agitur, alia obligatio ex conventione perfectâ resultans; nos Inducias quatenus sunt otium & feriæ pugnarum, per conventionem in esse, ut sic dicam, productæ, consideramus potiùs; imò considerari debere contendimus, describentes in hunc fortè vel similem modum: Induciæ sunt pactitia ab actibus bellicis cessatio, bello manente, securitatis gratiâ.

At nobis pro statu quieto. Descriptio Induciarum.

Actus hostiles suspendent.

VII. Dicimus cessationem ab actibus bellicis, non bello. Ita enim ipsa pax esset. Nam cum inter bellum & pacem nihil sit medium, ut Cicero *(Phil. VIII.)* oportet, cum pax non sit, ut induciæ sint vel bellum ipsum, vel aliquid in bello. Bellum aûtem non finiunt, quia, ut benè Gellius, illud manet, pugna cessat. Igitur exercitium suspendent duntaxat belli, nempe, non pugnam solam: sed & alios hostiles actus. Bellum enim statûs, non actûs, nomen est, qui potest esse, etiam cum non operatur. *Grotius dict. loc.* Quemadmodum habitus esse possunt, quamvis nihil operentur:

Ut, quamvis tacet Hermogenes, cantor tamen atq;
Optimus est modulator; Et Alfenus vafer, omni
Abjecto instrumento artis, clausâq; tabernâ
Sutor erat. --- --- ---

Ut Horatius I. Sat. 3.

Ad tempus.

VIII. Ea cessatio ad tempus fit oportet. Aliàs si perpetua, similiter pax foret. Ideò rectè M. Varronis expositionem quam & Donatus sequitur, reprehendit Gellius, quod paucos dies adjecit, cum non solùm in dies, sed & horas detur; nec in dies paucos, sed in annos sæpè plurimos. Quamvis, quod ad Inducias longi temporis attinet, pro Varrone dici possit, quod de his induciis cogitarit duntaxat, quæ à Ducibus in castris fiunt, &

Brevius vel longius.

ferè

ferè solam suspendunt pugnam; paucorum ideoque dierum. Quomodo accipio & JCtum Paulum, cui Induciæ sunt, cum in breve, & in præsens convenit. Qualia Græcis, generaliori voce ut plurimum σπονδαὶ, hodiè Armistitia, vocari receptum est, vocabulo rei exprimendæ satis apto, ut fortasse non satis antiquo, ad differentiam longiorum Induciarum, quæ inter duos populos, & propius ad pacis naturam accedunt.

CAPUT II.

Qui, quibus dent inducias.

Thesi 1. Inducias vel Resp. vel Impp. pangunt. Et sine præscitu Majestatis etiam iniri possunt. 2. Quâ ratione obligant. 3. Comprehenditur id officio Ducis, ut inducias faciat. Qua in re ostenditur differentia inter procuratorem ad lites & ducem belli. 5. Idem & inferiores quoque possunt. Qui tamen se suosque milites, non pares imperio, obligant. 6. Induciæ quibus dentur. Ducibus hostis, Reive publicæ? 7. An & Subditis datæ servandæ? Sententia negativa. 8. Affirmativa, sub distinctione. 9. Cum responsionibus ad negantium rationes. 10. Induciæ potius, quam pax, dandæ seditiosis & inquietis.

I.

INducias pacisci possunt non solùm qui in quâlibet Republica summum tenent imperium: sed & belli Duces, pro re natâ, præsertim si castrensis illa pax ob ejusmodi actus inter duos hostium exercitus sit inita, qui ad ipsos exercitus eorumque statum propriè pertinent. Sic Brasidas postulantibus Atheniensibus unius diei spatium ad ipsorum cadavera suscipienda, duos concessit. (*apud Thucyd. lib. IV. a. p. m. 327.*) Sed ut liquidiùs appareat, quod dixi, injussu etiam majestatis dari inducias posse, altius id paulò repetendum, quo modo obstringantur summæ potestates, per belli duces, sine expressâ voluntatis declaratione, ex ipsâ præpositione. *Inducias vel Reip. vel Imp. pangunt.* *Et sine præscitu majestatis etiam.*

II. Id verò fit dupliciter. Tùm explicando eas officii partes, quæ ex naturâ illi inesse solent, vel saltem probabiliter officio illo contineri censentur, tùm, si utilitas actus ad summam potestatem pervenit, ut maximè officii finibus res gesta non contineatur; (nisi hoc casu de commodô discedere malint, *Obligant.*

quàm

quàm actum habere ratum.) Quorum neutrum si fiat, summa potestas quidem non tenetur fidem ducum sequi: Duces autem tenentur ipsi ad id, quod extra fines officii mandati pacti sunt.

Comprehenditur id officio Ducis.

III. His præmissis, haut dubium fit, summos Duces, quorum auspiciis bellum geritur, inconsultis etiam his, qui jus belli habent, Inducias breves, seu Armistitium dare posse. Hoc enim officio Ducis inest. Nam, ut suprà dictum, & bello sua sunt commercia, sine quibus non solùm feliciter non geri, sed nec omninò geri potest. Qui igitur facultatem dat alicui, dat quantum in se est, ea, quæ ad facultatem moraliter sunt necessaria. Præterea bellum non consistit in solâ pugnâ. Denique prudentiæ ducis committi oportet, occasionem pugnæ commodissimam prospectare. Quæ, utut provisa, in manu tamen captantis non est protinus, sæpè hostis ingruit, necessitatemque, quum minimè velit alter, pugnandi adfert, quam si non aliter, at pactis pugnandi feriis declinare licebit. Quod si verò summa potestas, consuli se ab Imperatoribus de talibus velit, quum varia belli fortuna sit, & præcipites rerum gerendarum occasiones, quas solus intelligit, & arripere potest, qui præsens rebus gerendis interest, imò præest, minus circumspectos non solùm reddet Duces, sed & multis modis errare poterit, circa res, quas coràm cernere non est. Cum bellum adversus Thuscos populus Romanus gereret, victis apud Sutrium hostibus, deliberabat Cos. Fabius de transeundâ Ciminiâ sylvâ, ut ad Hetruscos perveniret, nec in re tàm periculosâ, quâ bellum in aliam regionem transferebat, senatum ullo modo consulebat. Quanti autem esset res ista, apparet ex SCto eâ de causâ facto. Nam cum horribiles essent saltus Ciminii, & recens exstaret Caudinæ cladis memoria legatis ad eum missis mandavit, ne Ciminium saltum transiret. Sed jam transierat Fabius, lateque depopulatus Hetruscorum agros, fusisque ipsis jam redierat victor in castra, nuncios novæ victoriæ legatos Romam remittens. Atque hâc parte peccare Venetos ac Florentinos Machiavellus (*Disput. II. cap. ult.*) ait, quod singula, quæ ab Imperatoribus fiunt, & cognoscere & consilio moderari velint, ut ne tor-

tormenta quidem bellica ad feriendam urbem, vel alio loco vel aliter collocare ausint, quam in mandatis habent à Senatu.

Quâ in re ostenditur differentia inter procuratorem ad lites, & ducem belli.

IV. Nec simile est, quod de Procuratore privati juris Dd. adferunt, qui tempus solutioni tribuere non possit. *(Vide Alberic. Gentil. lib. II. cap. 10. de J. B.)* Quod, si quidem verum est, non tamen ad Ducem belli quadrare potest, qui non ad Procuratorem ad agendum, sed potius ad eum, cui libera administratio permissa, componendus est, qualem posse solutionis diem proferre, nullus dubito: cùm omninò possit pacto de non petendo nocere domino *(l. 10. §. ult. juncta. l. 12. de Pact.)* sed potius est, ut planè nullâ sui sibi parte constet hæc comparatio. Comparatur bellum cum lite seu actione forensi: hæc solutione necessariò tollitur, non necessariò bellum pugnâ. Neque enim, ut ultima actoris finis solutio est, ita pugna belligerantis. Igitur Procurator, qui differt solutionem, cujus maturandæ gratiâ electus fuerat, contra mandati fidem agit; non item qui pugnam. Cum pugna non sit actus determinatus ad tollendum præcisè bellum, mediante aliquo judice, quemadmodum solutio tollendæ obligationis & actionis modus est. Solutionis præstandæ vel lege vel conventione dies certa est. Quam prorogando, Procurator domino suo nocet, cum solutionem suâ die fieri semper utile; Bellum per pugnam finire, res per se incerta, incerta pugnæ dies. Igitur nec rectè prorogari, quæ certa non est & si prorogari possit, fortasse id utilius ad summam rei cum feliciter pugnare non tuum, sed fortunæ sit.

Idem & inferiores quoque possunt: Qui tamen se suosque milites; non pares imperio, obligant.

V. Et hæc de Ducibus superioribus. Quoad inferiores idem adfirmo, siquidem ipsis mandatu superioris, certæ in bello partes, separatim ab reliquo exercitu, sint mandatæ, V. G. ut tueantur locum obsessum, ut obsideant, ut oppugnent. Poterunt igitur obsessis inducias concedere; hâc tamen notabili differentiâ, quod concessas servare tenentur ipsi, suæque copiæ. Duces verò pares non item. Quo lubens refero illud Livii *(lib. V. cap. 49.)* de Gallis Senonibus. Cùm enim præsidium Capitolinum, ad incitas redactum, inducias cum Gallis fecisset, ut conveniretur de mercede, quâ Galli obsidionem solverent, priusquam merces perficeretur, per altercationem nondum omni auro

to appenso, Dictator Camillus supervenit, auferrique aurum de medio, & Gallos submoveri jubet. Et cum illi renitentes, pactos se dicerent, Dictator quidem hâc ratione usus, quod injussu suo ab inferioris juris magistratu facta pactio esset: Reverâ tamen non inferioris juris tum erat, cum hæc pacisceretur, operâ Sulpitii, Manlius: sed omninò paris. Sic cum Q. Fabius unà cum Marcello Casilinum obsiderent, Campanique impetrassent à Fabio, ut abire Capuam tutò liceret; paucis egressis, Marcellus portam, quâ egrediebantur, occupavit cædesque promiscuè omnium circa portam primò, deinde irruptione factâ, etiam in urbe fieri cœpta est. (*Livius XXIV. 19.*)

Indutiæ quibus dentur. Ducibus hostiu Reive publicæ.

VI. Indutiæ ineuntur cum Ducibus, liberoque populô & Republicâ, cujus actus neminis superioris arbitrio subsunt. Nam singulis privatis securitas ab hoste promissa, fidei publicæ, &, ut vulgò, Salvo-conductûs nomen habet. Pactum tamen Ducum, Reive publicæ, singulis prodest, eosque onerat vicissim. Quod si Indutiæ, adjectâ cautione, *si summa potestas censuisset*, à Ducibus factæ, ratihabitione non secutâ, Dux minimè obligatus erit, nisi quâ commodum inde sentit. (*H. Grot. lib. III. cap. 22. n. 12.*)

An & subditis datæ servandæ? Sententia negativa.

VII. An subditis rebellibus dari ita possit, ut Princeps obstringatur ad servandum eas, inter politicos disputatur; Nec sine dubio disputatio, nec sine periculo pactum est. Balthasar Ayala (*de jure belli 1. cap. 6.*) conventiones per rebellionem extortas servari negat, eò ipso, quod in principem insurgentes, fidem priores frangant, quibus fides postea non servanda, Principem restitui posse, ut minorem, & similia. Quibus & hoc addi potest, quòd qui jus belli non habent, ei nec jus indutiarum, quæ sine bello non intelliguntur. Jam subditorum in superiores bellum, nec divino, nec naturæ, nec gentium jure licitum latè ostendit, *ὁ πάνυ* Grotius (*I. de J. B. 4.*) Denique cum superior jus supereminens dominii in res subditorum habeat, quas ita universas adficit, ut & jus ex tali promissione bellicâ quæsitum non possit non includere, videtur sanè in superioris arbitrio fore, utrum præstare fidem pacto velit, nec ne? Quibus concessis, inanes fore videntur omnes pactiones, nec alia, quàm bellum victoriâ finiendi, spes superesse.

VIII. Itaque paulò curatiùs videamus de hâc re. In quâ interes-

tereſſe putamus, utrum cum rebellibus, quâ talibus, Princeps egerit, nec ne. Priori enim modo qui cum his agit, hactenus de remittenda pœna, quæ aliàs promiſſionem tollere videbatur, egiſſe cenſendus eſt. Quia ea ſemper interpretatio arripienda, ſecundùm quam actus valeat potiùs, quàm pereat. Sic Pericles ad cives ſuos, apud Thucydidem: Τὰς πόλεις αὐτονόμους ἀφήσομεν, εἰ καὶ αὐτονόμους ἔχοντες ἐσπεισάμεθα. Civitates liberas eſſe patiamur, ſi liberas ſe geſſerunt, cum pacti fuimus. Et ſervis quoque ſervandam fidem exiſtimatum olim, Lacedæmoniosque, irâ Deum, terræ motum expertos, quod Tænarenſes ſervos, contra pacta, occidiſſent. (*Aelian. VI. 7.*) Et Diodorus Siculus notat, fidem ſervis datam in fano Politicorum nunquam à quoquam dominorum fuiſſe violatam. (*lib. 2.*)

Adfirmativa sub distinctione.

IX. Quod itaque Ayala ſentit, fidem non ſervandam his, qui obedientiæ fidem prius violârint, id fortaſſe non aliter capiendum, quàm de uno eodemque negocio, cui conditio hæc ineſt, ſi alter viciſſim quid faciat. V. G. Si ſubditi hac lege fidem jurârint, quatenus immunitates viciſſim certas Princeps eis indulgeat, ſubditi autem promiſſa violent, nec Princeps tenebitur ex ſua parte. Alia ratio, ſi de diverſis negociis quærimus. Nam & perfidis fidem ſervandam conſtat, quòd homines eſſe non deſinant. Homines verò omnes, qui ad rationis uſum pervenerunt, capaces ſunt juris ex promiſſo, & habent communionem juris naturalis. (*Grot. lib. III. cap. 19. n. 1.*) Quod verò denegato ſubditis jure belli dixi, id verum eſſe paret, ſi cum ſubditis, ut ſubditis, agas, id quod tam diu fit, quàm Princeps in actibus eorum jus nullum agnoſcit: ſecus ſi, ut cum deſertoribus. Nam ſimul ac inducias vel ſimile quid contrahit cum ſubditis, jam agnoſcere facultatem in his videtur moralem, & de jure ſuo ceſſiſſe. Idque eſt, quod Nabis apud Livium objecit Quintio Flaminio: Reſpondere poſſum, me qualiscunque ſum, eundem eſſe, qui fui, cum tu ipſe mecum, T. Quinti, ſocietatem pepigiſti. Et mox: Jam feceram hæc, qualiacunque ſunt, cum ſocietatem mecum pepigiſti.

Cum reſponſionibus ad negantium rationes.

X. Tandem, quod ad inducias diuturnas, quæ paci adſimilant, pertinet, ſi cum lubricæ fidei hoſtibus, & inquietis nobis res

Induciæ potiùs, quàm pax, dandæ ſeditioſis & inquietis.

Z. eſt,

est, quique pacem commodâ mente pati nesciunt, indutiæ, quàm pax potiùs ineantur, ut & illorum ferocitas metu induriarum, prægnantium armis, retundatur, tuusque miles otio & quiete ne vincatur. Sic Vejentibus, pacem petentibus, in annos C. induriæ datæ, *(Liv. I. 15.)* mox in quadraginta *(Liv. II. cap. 54.)* Et populo Cæriti induriæ in centum annos factæ *(Liv. VII. 20.)* sic Volsinienses pacem petentes, in annos XXX. induras impetrârunt. *(Liv. V. 32.)*

CAPUT III.
Induriæ quo modo fiant.

1. Causa efficiens instrumentalis induriarum est conventio, quæ vel publica est vel privata. Publica quomodo fiat. 2. Publicæ conventiones olim abibant in triplex fœdus. 3. Cautiones vel sunt minus necessariæ, vel induriis propriæ & omnino necessariæ. Minus necessariæ. 4. Magis necessariæ. Hæ adhibendæ aliter, si cum libero populo paciscaris, aliter si cum rebellibus: Aliterque si ad breve tempus conveniet. Ubi prima. 5. Secunda, Tertia Cautio observanda. 6. Si ad longum tempus contrahas, cautiones quænam ibi spectandæ sint. Ratio prima. 7. Secunda. 8. Tertia. 9. Quarta. 10. Quinta. 11. Cautiones olim subditorum. 12. Arcana induriarum Duo, alterum sibi prodesse studentium. 13. Alterum nocere alteri.

Causa efficiens instrumentalis conventio.

I. Considerandum hîc nobis tùm factum, per quod proximè induriæ fiunt, tùm cautiones in tractando illas. Deniquc & arcana paciscentium. Factum illud est, conventio. Quâ voce quid veniat, neminem esse reor, cui id lateat. Ejus facit species Ulpianus *(Lib. IV. ad edictum, in cap. V. ff. de pactis)* duas, quarum altera ex publica, altera ex causa privata fiat. Et publicam conventionem dicit, quæ fit per pacem, quoties inter se Duces belli quædam paciscuntur. Quo loco, quid per pacem intelligi velit JCtus, non adeò liquet. Est, qui legit, *per Principem.* Parum forsan ad sensum. Quorsum enim sequentia: *Quoties inter se duces belli quædam paciscuntur.* Ergonè qui modò Princeps, mox belli dux? sed toto cœlo differunt, Imperator, bellive Dux, & Princeps. Neque omnis conventio publica solius Principis. Rævardus *(IV. Var. 1.)* interpretatur tot dierum indutias, quot uterque inter se exercitus pactioni observandas præscribit, quoties duces belli quædam paciscuntur.

Publica.

tur. Id quod non probat Albericus Gentilis *(Lib. II. de J. B. cap. 10.)* Quoniam neque per solas indutias, neque indutias solas paciscantur belli duces. Verùm, ut, de posteriori, Rævardo doctissimo in mentem non venit; Ita sufficit, ad mentem Ulpiani, si Duces belli ut plurimùm per inducias belli paciscantur: Sed fortassis, ut de nostro hoc adjiciamus, duo conventionum publicarum exempla proponit JCtus, quorum unum fiat per pacem, alterum, quoties inter se Duces belli quædam paciscuntur.

II. Hæ publicæ conventiones, quæ Græcis συνθῆκαι, olim abibant in tres species: Fœdera, sponsiones & pactiones. Fœdera fiebant jussu summæ potestatis, in quibus ipse populus iræ se divinæ reum facit, si fallat. Et peragebantur per Feciales, addito patre patrato. Sponsio, ubi si, qui à potestate summa mandatum ejus rei non habent, aliquid promittunt, quod illam propriè tangit. Nam sponsio neque populi jussu, neque senatûs auctoritate: sed arbitrio magistratuum & Imperatorum fiebat, atque deditione eorum (si Senatus populusque ratam eam non haberent) per quos facta esset, infirmabatur. Hâc ratione Livius contra pacem Caudinam disputat: *Non ut vulgò credunt* (inquit) *fœdere pax Caudina, sed per sponsionem facta est. Quid enim aut sponsoribus in fœdere opus esset, aut obsidibus, ubi precatione res transigitur:* per quem populum fiat, quo minus dictis legibus stetur, ut eam ita Jupiter feriat, quemadmodum à fecialibus porcus feriatur. *Spoponderunt COSS. legati, quæstores, tribuni militum, nominaque omnium, qui spoponderunt, extant. Ubi si ex fœdere res acta esset, præterquam duorum fecialium non extarent.* Talis sponsio & Numantina fuit, deditione C. Mancini autoris soluta, quâ de nos ad Vellejum Nostrum aliquid *(Lib. II. c. 5.)* Pactionis nomine, ut Sigonii verbis dicam, *(Lib. I. de ant. jure Ital. cap. 1.)* etsi omnia, quæ cum hostibus paciscerentur, continebantur, quo etiam modo fœdus pactio nominari potest: Tamen hoc in loco præcipua paciscendæ amicitiæ ratio significata est, ut indutiarum.

Quæ triplex Fœdus.

III. Cautiones aliæ minus necessariæ sunt, & propemodum indifferentes: Aliæ non indutiis faciendis sed omni actui publico communes. Aliæ Induciis propriæ ac omninò necessariæ, ut intermissæ noceant maximè. Priori & alteri generi accen-

Cautiones sed minus,

ſeo has tales, quod indutiæ à tertio aliquo ſint conciliandæ, id eſt, interpoſitâ perſonâ mediâ, ut neuter eas expetiiſſe videatur, & ad utrumque ſimul, eodemque tempore legati mittantur hac de re. Quod ſint conſideranda mittendorum ingenia, prudentia magis quàm eloquentia, & dignitas minus, quàm virtus. In primis hac in re Religioſorum operam fuiſſe utilem, ſæpe & felicem. Quoniam ipſi Angeli ſint pacis, ingenia à turbis & confuſione hujus mundi habeant ſegregata. Sic Ferdinandum, Romanorum Regem, cum Duce Lotharingiæ primos pacis media inter Carolum V. Imperatorem & Franciſcum I. Regem propoſuiſſe. Ubi Ferdinandus Dominicani cujusdam Monachi Hiſpani, ex familia Guzmanorum miniſterio uſus. Sic ſanctus Bernhardus Moguntiam ivit, ut Lotharium Cæſarem cum Conrado Imperatore conciliaret, Conradus Simoneta, Auguſtinianus Monachus pacem inter Venetos & Francos tractavit. Sic Johannes de Ney, Commiſſarius generalis Franciſcanorum, Archiducis Alberti & Iſabellæ nomine tentavit vias indutiarum Belgicarum. Vide Richterum *appendice regg. hiſt. axiom. 160.*

Vel magis neceſſaria.

IV. Neceſſariæ tractandis indutiis eò diligentiùs adhibendæ, quantò periculoſiora ſunt pacta, reſpectu perſonarum, cum quibus ineuntur. Alia enim privatorum paciſcentium quidlibet, alia publicarum perſonarum ratio eſt. Illi non attendunt in contractibus ad perſonas, ſed ad res. Non enim injurias metuunt ab his, quos ad idem citare tribunal poſſunt: In publicis verò negotiis ad res pariter & perſonas attendendum, quippe non eidem judici nobiſcum ſubjectas. Semper enim metuendi ſunt, quos ſemel læſeris, vel te qui læſerint. Illi enim ulciſci cupient, hi metuent ne ulciſcaris, & prævenire ſæpe malunt. Prout itaque vel cum libero populo, vel cum ſubjecto olim tibi ages, itemque vel ad brevius ſpacium requiem armorum, vel inducias longiores moliris, alia atque alia eſt prudentia. In brevioribus videndum. 1. Ne occaſiones rerum per eas amittamus, ſæpe enim, quas neceſſitas excogitavit, indutiis hoſtis dolo utitur ad perniciem tuam. Philippus Macedonum Rex, Græciam petens, cum Thermopylas occupatas audiret, & ad eum legati Aetolorum veniſſent, acturi de pace, retentis eis, ipſe magnis itineribus ad angusti-

Hæ adhibendæ aliter, ſi cū libero populo paciſcaris, aliter ſi cum rebellibus: aliterq́; ſi ad breve tempus conveniet, ubi: Prima.

gustias pertendit, securisque custodibus, & reditum suorum exspectantibus, inopinatus Thermopylas transiit. *(Jul. Front. strat. I. cap. 4.)* Et in Epiro victus, ne fugientem eum Romani premerent, inducias ad sepeliendum eos, qui cæsi erant, impetravit & ob id, remissioribus custodiis, evasit, *(Idem II. cap. ult. Liv. XXXI. 38. Adde eundem XLII. c. 43.)*

V. 2. Ne interea vires hostibus accedant. Hinc Froto, Rex Daniæ, nunquam hosti dandas adfirmabat, ne instrueretur novis consiliis & auxiliis. *(Kranz. lib. 1. Vand. cap. 9.)* Quod ut nec humanum, nec consultum, ita in universum: Sic non satis sibi caverat Albertus Austriacus in obsidione Ostendanâ. Erat dux obsessorum Franciscus Veerius Anglus, qui cum summâ inopia & victus, & rerum ad defensionem pertinentium laboraret, ab Alberto in crastinum certò impressionem facturo, inducias impetravit. Irruptione ita delusâ, interim necessaria in urbem importata, quibus diutissimè obsidio tolerata fuit. *(Meteren. lib. XXII.)* *Secunda.*

3. Ut armatus miles sit etiam inter cessationem armorum. Id quod neglectum Casilinos pessum dedit, de quibus th. V. Audiamus Polybium (*lib. V. hist. cap. 75.*) Datæ erant Selgensibus induciæ, dumque per hanc occasionem ultro citroque commeatur, cœpêre milites familiarius è castris, annonæ parandæ gratiâ, in oppidum ventitare. *Quæ res* (sunt verba Polybii) *multis sæpe jam exitio fuit. Ut mihi videatur homo, cum omnium animalium versutissimum habeatur, omnium esse decipi facillimum. Quot enim castra, quot munitiones, quot, quantaque urbes hoc genere perfidiæ sunt prodita? Atque hæc calamitas, cum adeo continuè, adeoque evidenter multis jam acciderit, fit tamen, nescio quomodo, ut ad hujusmodi fraudes semper rudes ac novi exsistamus. Causa autem hujus rei est, quod priorum casus, à quibus in aliquo est offensum, ut in numerato habeamus, operam non ponimus. Sed frumenti quidem & pecuniæ copiam itemque murorum & telorum fabricas, adversus incerta & inopinata casuum, multo nobis sumtu comparamus: Rem vero omnium facillimam, & utilissimam ad omnes casus susque deque habemus. Cùm præsertim facilè queamus honesto fruentes otio ex historia, diligente rerum ante actarum notitiâ, hanc nobis prudentiam parare. Logbasis, contractis paulatim domi suæ, militi-* *Tertia cautio.*

 bus,

bus, qui ſubinde è caſtris urbem ingrediebantur, dum Selgenſes populum univerſum ad deliberandam in concionem evocaſſent, vocatis etiam iis, qui in ſtationibus cuſtodiam agebant, dato hoſtibus ſigno, domi congregatam manum præparabat. Re tamen, per captivum, maturè indicatâ, virtute ſuâ, patriam, occupatis properè ſtationibus, ſervarunt.

Sin ad longum tempus cõtrahas cautiones.

VI. Cautiones ad indutias longiores prudenter pangendas, ad hæc quinque ferè capita revocari poſſunt. Primò ut hoſtium commodo ne indulgeantur, quamquam id non ſine aliquo commodo noſtro fieri poſſit. Præſertim ubi hoſtis penè victus ac proſtratus eſt. Cujus rei ratio in eo eſt, quia ſecundus fortunæ curſus ita ſiſtitur, & ſpiramenta temporum hoſti dantur. Nos contra remiſſiores agimus, & ad omnia minus intenti. Quò pertinet conſilium Lipſii *(epiſtolâ de induciis Belgicis) Sexti Pompeji,* inquit, *bella Sicula cum Octaviano Cæſare legiſti? Siciliam & Sardiniam habebat, locis ſe tenebat & tuebatur, famemque & inopiam Italiæ importabat. Vinci nunquam potuit, niſi brevi pace. Ea pacta cum illo eſt, & vires abducta, corruptus occultè ejus miles. Quid dicam? Terribilis ille, & paulo ante Neptunus, vix unâ navi effugit, cervices gladio præbuit & intra annum extinctum totum bellum.* In eundem modum eruditus Heinſii aſinus diſſerit, de Hiſpanorum utilitate, ex duodecennalibus indutiis. *Hoc modo,* inquit, *vix eſt dubium, quin hic refecta, ibi interim diſſenſione ſuâ, aut ſuſpicione Principum diſtractæ vires, bello aliquid utilius daturæ ſint: ſed & iterum langueſcet ardor, quem amorem vulgò libertatis dicunt, refrigeſcet cauſæ cogitatio ac intellectus. Adde, quod armorum quoque exercitatio facilius remittitur, quàm revocatur. Securos enim ac inermes pacis ſubeunt non minus vitia, quàm amor. Quæ enervant animos, nec tàm averſos bello reddunt, quàm inhabiles.* Hinc Eberhard à Weye *(de Fæder. III. cap. 30.)* diſſuadet indutias cum Turcâ, quod ſpe harum decepti, plus regionum amittamus, atque plures Chriſtianos in ſervitutem trahi videamus, quàm belli tempore. Et ſatius eſſe putat, etiam cum incommodo ordinum, ſubditorum, pugnare cum Turcâ, quàm pacem precio vel prece petere incertam & fallacem. *Vide diſcurſum politicum, du ſieur de la Noue, que les Princes chriſtiens peuvent en quatre ans chaſſer les Turcs. di l'Europe.)* VII.

VII. Alterum, quod hic observes, est, ne facilè extendantur induciæ ad hominis vitam. Post inducias enim bellum redit: Opus itaque ad illud exercitato & perito prioris belli milite. Id iterum Lucius Heinsianus cum ratione differit: *Ut omittam magnam vitæ ejus (Auriaci) partem, quâ innituntur isti, & quem nunc pro muro habent, sine metu nostro sic absumi. Nunquam enim redit, quod elapsum est. Adde, quod interdum fessa ætas, dum cunctanter omnia circumspicit, à prima obscuratur. Quòd de Cæsare Tranquillus non tam innuit, quàm docet.* Et mox: *Adde quod occasiones superveniunt, quas nemo speret.* Et *quot nuper legionibus fuisset opus, ut Henricus magnus, qui de toto orbe cogitare videbatur, eâ spe dejiceretur? Quo cum strepitu scribendus miles, &c. Et nunc ille indomitus, invictus publicus Europæ terror, longè à destinatione sua* *Secunda ratio.*

Placidâ compostus pace quiescit.

VIII. Tertium caput est, ut si fieri posfit, alibi induciæ fiant, alibi cum eodem bellum geratur. Ita enim fiet, ut, quo loco magis otium è republica est, inde transferantur arma eò, ubi bellum magis prodest. Deinde habeat miles, quo artes exerceat suas. Ita Belgarum duodecennale fœdus cum Hispano in Belgio erat, bellum ultra lineam æquinoctialem gerebatur, ut inquit Boxhornius. *Tertia.*

IX. Quartò cavendum inprimis, ne, per insidias, translatis in alios hostium armis, per eorum latera ac jugula petamur. Vehementer errat, inquit Baudius (*l. de indut. BB.*) si quis putat Reges affectu & benevolentiâ duci, ut æquo fœdere velint pacisci, nisi quatenus eis aut evidens utilitas suadet, aut necessitas imperat, ut quandoque resumtis viribus nec opinantes & imparatos opprimere queant. Quo spectat consilium Lipsii *in Epist. de indut.* Quoniam, inquit, bellum grande ac metuendum Europæ instare à Christiani nominis hoste videtur, Rex & consilium ejus vidento, an non melius, cum exteris illis hostibus, aut certè alterutro eorum, pacisci. Si cum utroque, Batavi ponent animos, & aut sponte aut vi venient sub leges. Si cum alterâ (Anglâ) etiam idem fiet. Sic Hercyllides, Lacedæmoniorum dux, cum videret sibi adversus duos præfectos Artaxerxis, Regis, Pharnaba- *Quarta.*

zum

zum & Tissaphernem, maximarum gentium viribus succinctos, dimicandum, pacificatus est cum altero. *(Justin. lib. VI. c. 1.)* Atheniensium amicitiam cum Corcyræi peterent, & Corinthii societatem cum illis fecere, quod Corcyram, tantâ instructam classe nolebant accedere Corinthiis: sed eos potius, quam maximè inter se collidi, atterique, ut cum Corinthiis, aliisque, qui classem haberent, debilitatis jam fractisque, si res ita tulisset, congrederentur, Thucydides *(lib. 1. c. 10.)* Eodem modo Alexander Amyntæ filius, cum in se, conspiratione velut, undique confluerent, bella dispensanda ratus, alia interposita pactione composuit, alia redemit, facillimis quibusvis aggressis. *(Justin. l. VII. c. 6.)* Quam artem eximiè calluit Pontifex, quo de Jovius, in vita Columnæ. Controversiam Columniorum & Ursinorum in immensum alebat, mirâ simulatione, modo his, modo illis favens, & occultè utrisque pecuniam & arma submittens, ut, mutuis attriti cladibus, ab ipso demum sine negocio delerentur.

Quinta. X. Postremò, induciis ita utendum, ut licet per has bella sint sopita, bellorum tamen sint apparatus. Præsentia enim ad futura debent dispensari, & quovis tempore omnis temporis habenda ratio. Et si ex ethica prudentia amici ita habendi, ut futuri aliquando hostes, longè magis cavendi amici, post paulò hostes futuri. Itaque (1.) tributa non dimittenda. Prudenter Petilius Cerealis *(apud Corn. Tac. 4. hist. 74.)* *Neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi queunt.* Impetum Neronis, cuncta omittendi vectigalia attinuere Senatores, *(Tac. 13. Ann. 50.)* dissolutionem imperii docendo, si fructus, quibus respublica sustineretur, diminuerentur. (2.) Miles assiduè habendus, & exercendus. Hoc consilio Patricii apud Romanos scientiâ militari instituebantur, & in primis arte equestri *(Vide Herm. Hug. de mil. equestri 3. 1. Clapmar. 2. de arc. Rer. 7.)* Hoc Iphicrates, hoc Agesilaus *(vid. Corn. Nep. vitis ipsorum)* præstitere.

Cautiones variorum subditorum. XI. Quod attinet inducias subditorum cum superiore, quoniam ex omnibus fœderibus nullum est, difficilius quod servari possit, ut Bodinus rectè censet, hinc suadet subditis, ut Principum sociorum, ac fœderatorum sponsione, quasi prædibus, curent,

rent firmari pactum, aut ut cives Imperii finibus excedant, ac omnibus modis efficiant, ut paci, quæ nihil habitura sit insidiarum, consulatur. Quia nihil æque Principum mentes exulcerat, quàm cum subditis, à quibus contumeliam acceperunt, pacisci & ad pacta servanda compelli. Quamvis, quod ad sponsionem istam, ne sic quidem satis tuti sint subditi. In regno Neapolitano, non obstante fidejussione Pontificis ac Venetorum, Barones Neapolitani à Ferdinando capti fuerunt. *(Cominæus lib. VII. c. 1.)* Nec juris jurandi religione satis cavetur. Quod Fessarum Regis, nec non Henrici V. Angliæ exemplo, docet Bodinus, loco quem dixi. Itaque Batavi hoc callidè caventes, nullam omninò compositionis mentionem admittere, nec legatis, pacem petentibus, ullam in publico conventu audientiam commodare voluere, quamdiu Rex aut Archiduces quidquam Juris in confœderatas provincias prætenderent. *(Baudius de indut. BB. lib. I.)*

Arcana induciarum. Duo, alterum sibi prodesse studentium.

XII. Denique videndum est, quæ arcana quoque, qui inducias ineunt, in recessu habeant? Ea verò, circa hanc quidem materiam, ad duo reduci possunt capita. Quod quidam paciscentium sibi tantum prodesse, quidam nocere alteri velint. Illorum arcanum est, quod in præsens bona alteri parti offerant, uti in posterum majora sibi bona adquirant. Plerumque enim nobiscum ita agitur, ut præsentia potius amplectamur, quàm futura cogitemus. Sive quod ad futura cæcutiamus; sive quod præsentium bonorum dulcedine capti futurorum curam nullam in animum admittamus. Cautiores tamen ad futura maximè attendunt & dum nocere sibi videntur maximè, rem suam maximè agunt, differentes aliquando præsentis boni usum, ut meliora pòst adipiscantur. Prout itaque majus est bonum præsens, quàm malum sequens, vel damnum præsens, quam bonum futurum, ad præsentia vel futura attendendum.

Alterum nocere alteri.

XIII. Qui verò alteri nocere tantùm intendunt, hoc adhibent simulacrum, ut levi damno suo alterum gravissimè incommodent. Quod ut consequantur, suam cum aliorum potentia contendunt, &, siquidem aliorum major sit, inducias faciunt ita, ut nocere quidem & sibi videantur, occasionem rerum benè gerundarum omittendo; Sed altâ tamen pace inertes ut facilius de

 gradu

gradu dejiciant. Sic Romani victricibus subinde armis abstinuerunt, quæ sine suo nunquam damno sumserunt, interim per fœdera vitato hoc malo, fœderatos oppressere. Quod si damnum utrinque æquale futurum, non sibi prodest, qui alteri nocet, sed uterque adfligitur æquè. Hoc consilium Lacedæmoniis tribuit Thucydides *(lib.IV.)* ubi ita: Lacedæmonii tum istud, quod res erat, Athenienses metuere rati, tum si quando à cladibus & laboribus respirarent, inclinatoribus, ipsos ad pacem animis futuros, redditisque suis hominibus, fœdus in longius, tempus percussuros, censebant. Eos enim viros ante omnia cupiebant redimere, dum adhuc secundâ fortunâ rem Brasidas gereret, qui si in majus rem perduceret, paremque se ipsis constitueret, illos quidem se amissuros, cæteros verò, qui sibi reliqui essent, æquis viribus certantes pariter superaturos & periculum adituros, cernebant.

CAPUT IV.

Quid liceat vel non liceat per indutias.

Thesi 1. Indutiarum effectus. Conventæ induciæ obligant ad præstandam securitatem, contrahentes illico, Subditos, ex tempore scientiæ. 2. Ut supersedeant actibus hostilibus. 3. Et dolosis. 5. Iisque, de quibus disertim cautum. 6. Ruptarum effectus.

Indutiarum effectus. Conventæ induciæ obligant ad præstandam securitatem, contrahentes illicò, Subditos ex tempore scientia.

I. Quod ex pacto non oriatur ad petendum, ab invito, obligatio efficat, id nec juris Gentium est, nec ad publica negotia pertinet: sed ad vim festucariam, atque ordinariorum hominum strepitus. Cæterum ex indutiarum pactione contrahentes illicò sunt devincti, ad securitatem sibi invicem præstandam, unde sequitur temporariæ illius tranquillitatis status. Subditos autem contrahentium tùm demum obligat, si ad sufficientem eorum notitiam pervenit, ad quam exterior quædam requiritur publicatio, & tractus temporis. Quare si quid interea à subditis contra indutias factum sit, ipsi à pœnis immunes erunt, contrahentes à damni præstatione non erunt, propterea, quod per eos stetit, quo minùs maturius ad notitiam subditorum pervenire potuerit. Quod meritò Lacedæmoniorum ducem Athenienses postulabant, qui pactis jam indutiis deficientem Scionem receperat in societatem. *(Thucyd. lib. 4.)*

Ut supersedeant actibus hostilibus.

II. Cessare debent actus bellici. Sed publici. Privata enim fa-

facta non rumpunt inducias, nisi quatenus proficiscuntur jussu & ratihabitione publicâ. Et verò, cum utriusque partis consensu fiant induciæ, id hoc nomine veniet, quod expressum est à contrahentibus. De his verò, quæ definita non sunt, difficilius est constituere, quid pactis comprehensum voluerint contrahentes. Itaque induciæ datæ sunt vel indefinitæ, vel ad certum actum quiete armorum promissâ. Si indefinitè, illiciti sunt omnes actus bellici, qui vi fiunt, tàm in personas, quàm res. Ergò nec postliminium per inducias locum habebit, id quod Romani quoque receperunt, teste JCto Paulo (*lib. 16. ad Sab. in cap. 19. ff. de cap. & post.*) Cujus rei ratio est, quod postliminium requirat, ut antecesserit jus bello capiundi. Cum itaque jus tale per inducias cesset, cessabit & recuperatio. Hinc res hostium casu ad nos delatæ, etsi antea nostræ fuissent, reddi, nec retineri, debent. Hostium enim factæ sunt, quas recipere, nisi per vim hostilem, non possumus. Belli autem vis induciis suspensa. Quâ ratione loca præsidiis nudata non debent occupari. Nisi pro derelictis habita & deserta, eo animo, ne à deserente defendantur. Quâ in re peccavit Bellisarius, Circumcellas aliaque præsidiis vacua occupando, (*Procop. 2. Goth. 6.*) Ire verò ac redire licet, dummodo eo paratu unde metui periculum non possit. Sic narrat Servius (*ad XI. Aeneid. istud Virgilii: mixtiq; impunè Latini*) obsessâ urbe à Tarquinio inter Porsennam & Romanos, factis induciis, cum ludi Circenses in urbe celebrarentur, ingressos hostium duces, curuli certamine contendisse & victores coronatos.

III. De actibus dolosis, itidem non ambigitur esse prohibitis, scilicet per quos demum consequatur agens, quantùm apertâ vi, durantibus induciis, non licebat facere. Itaque corruptis hostium præsidiis loca ab ipsis occupata invadere haud dubiè contra inducias est. Similiter nec subditos deficientes recipere jus est, quod servavit Perseus *Liv. XLII. 44.* Coronæis ac Haliartiis præsidium, adversum Thebanorum impotentiam, implorantibus. Violavit autem Brasidas, Mendam ab Atheniensibus deficientem recipiens *Thucyd. IV.* Et Angli, qui eo tempore arcem quandam, corruptô pecuniâ præfectô, caperant. *P. Æmilius lib. VI. Polydor. 19.* *& dolosis.*

IV. Illi verò actus, clandestini & dissimulati, qui &, per

 se,

se, vi hostili carent, & quos alter vi prohibere bellicâ certò & evidenter, etiam extra inducias, non poterat, salvis induciis, fieri possunt. Quales sunt, militem conscribere, mœnia reficere, arma fabricari, interius cum exercitu recedere. Id quod postremum Philippus Demetrii filius fecit *(Liv. lib. XXXI. Front. lib. II. cap. 14.)* Et L. Sulla, qui postquam ab Archelao, præfecto Mithridatis, inducias obtinuisset, agendi de pace, cum suis aufugit. *Front. I. cap. 5.* Imitatus est Monpenserius, qui pactus arcem dedere, si intra mensem auxilia non adessent, discedit illico munitâ arce. *Gvicciard. ad fin. lib. II.* Etsi hîc aliter videatur Alb. Gent. *II. de J. B. cap. 13.* Et Corn. Nepoti *(in Agesilao)* qui Tissaphernem contra inducias fecisse arguit, dum ad bellum interea se præpararet.

Ind. de quibus disertim cautum.

V. Quod si induciæ ad certum actum conventæ, præter istum reliqua omnia erunt illicita, ut si Philippus tantum sepeliendorum suorum causa impetravit inducias, cætera statu debebant eodem prorsus relinqui. Si Tissapherni, tantùm ne oppugnetur, non debebat amplius armari. Nam cum tales induciæ alteri prosint, non debent ejus, qui dedit, causam reddere deteriorem. Si personis tantùm, non rebus cavetur, prædas non intelligitur prohibitum agere, licebit & à prædantibus defendere, neque hoc casu, læsis personis, induciæ violatæ. Siquidem personis securitas principaliter promissa, per consequentiam, personis res defendenda læsis, non rumpitur. *Vide Alb. Gent. d. loc.*

Ruptarum effectus.

VI. Vidimus, quid salvis induciis juris competat utrique paciscentium. Sequitur, quid alteri, qui fidem sua ex parte explevit, altero perfido. Quo casu non est dubium etiam sine indictione ad arma rediri posse. Nam quia cessatio ab armis sub conditione ista, siquidem capita conventionis custodiantur, promissa; sequitur, ut conditione sublatâ, promissio quoque exspiraverit. Etsi quandoque Romanos aliter observasse sciam. Potuerunt enim ei jure suo non uti: Quapropter non sunt audiendi Doctores ii, qui inter inducias & pacem hoc interesse putant, quod inducias violans offendi nequeat, ante tempus finitarum induciarum: secus si quis pacem: qualem Hispanorum, Florentinorum & Genuensium consuetudinem esse ferunt. *(Mart. Laudens. de confœder. Princ. quæ 16. Adde Mynf. cent. 4. obs. 7. & resp. 21. n. 51.)*

Quod

Quod si convenerit, ut hoc casu judicio agatur, quem ad modum inter Athenienses & Lacedæmonios *Thucyd. l. IV.* ad arma non veniendum. Eadem ratio est, si pœna conventa. Hâc enim persolutâ, cessat armorum jus, quia pœna propterea solvitur, ut cætera maneant salva: Uti electis armis, pœna nec peti possit. Dari solent quandoque & obsides, quibuscum quid fiat commissâ promissione, peculiarem tractandi locum habet. Cæterum miserrimos ac calamitosissimos exitus eorum, qui inducias violarunt, vide apud Bodinum *5. de Rep. c. ult. p. m. 617. edit. Parisiensis.*

CAPUT ULTIMUM.
Induciæ quando finiantur.

Thesi 1. Induciæ finiuntur tempore convento. 2. Fatali casu non impediente.

I.

Finiuntur tempore convento.

Tempus induciis, præterquam quod facto alterius ruptæ desinant, tanquam circumstantia ordinaria expresse addi solet plerumque, nisi fortè ex actu ipso, cui illæ dantur, intelligi possit. Quo casu idem erit, quod in obligatione ejus, qui certo loco promisit se facturum. Id enim tempus intercedere debet, intra quod communiter eo perveniri potest, ut non duplomate, diebus ac noctibus, & omni tempestate contemtâ iter continuare cogatur, ut loquitur JCtus Venulejus *cap. 137. de V. O.* satius tamen est exprimi. Id verò fit dupliciter: Vel ut continuum illud adsignetur, v. g. duo dies, decem anni. Vel cum designatione termini, usque ad Kalendas Martias, usque ad tres Menses. In priori formula, dubium fit, utrum ad singula momenta fiat numeratio; An verò dies cœptus pro completo sit? Prius plerisque adfirmatur, *vide Alberic. Gent. II. de J. B. 13.* Et verum est, quandoquidem civilis computatio ex legibus & moribus populi, non ex ipsa actûs, cui inest hæc circumstantia, naturâ venit. Et quia hac formulâ, continuum tempus designatur, quod sensus communis docet, mera calumnia fuit Thracum adversus Bœotios, Phœnicum, cum ad Lybiam appulissent, Cleomenis contra Argivos, qui pacti triginta dierum inducias, noctu populabantur agros. Circa formulam posteriorem, utrum dies vel temporis articulus, ad quem convenit, inducias duraturas,

 com-

comprehensus intelligatur, disputant. Eandem quæstionem tractant privati quoq; Romani juris Doctores, an dies termini computetur in termino. Et quamvis docente Grotio, in rebus naturalibus duo sunt terminorum genera, intra rem, ut cutis terminus est corporis; Et extra rem, ut flumen terminus est terræ. Adeoque nil impedit, quo minus & in moralibus idem recipi pro arbitrio possit: Magis tamen naturale videtur, ut terminus sumatur, qui sit pars rei, quum terminus dicatur, secundùm Philosophum *V. Metaph. 17.* quod ultimum cujusque est. Cui consentit JCtus Ulpianus *in l. si quis 133. de V. S.* Quod tantò magis in induitiis sequendum, quibus, ut sanguini humano parcentibus, nihil favorabilius esse potest. Terminus verò à quo, intra mensuram non est, quoniam particulæ, à, ea vis est, non ut conjungat, sed discernat. *Grotius.*

Fatali casu non impediente.

II. Quærunt hoc loco, si quis hostis ultra condictum induitiarum tempus, casu fortuito detineatur in hostico, postquam exierint indutiæ, an jus redeundi habeat. Quod civilis juris interpretibus tractatum quoque reperio. Putamus, non minus detineri posse, quàm is, qui cum in pace venisset, bello repentè exorto, fato, inter hostes deprensus fuit, ut Tryphonius JCtus *lib. 12. disputat*, decîdit. Nec pertinent huc, quæ de commissi causa circa merces Romanis legibus caventur *(l. XV. & XVI. ff. de publ.)* vel quæ de milite, qui fato impeditus, commeatus spacium excessit à Paulo JCto traduntur *l. XIV. ff. de re mil.* siquidem hæc obtinent hactenus, ut immunem à pœna præstent. Hoc loco verò non agitur de pœna, quasi pœnæ loco hostium potitus sit, qui ita deprehensus: Sed de jure, quod certo tempore interquiescebat, adeoque post tempus reviviscebat. *Bodin. l. V. de Rep. c. 6. Besold. de jure pacis cap. ult.* Quamvis non negemus, humanius agere & generosius, qui dimittant ita deprehensum: *Vide Grot. d. l.*



BE-



BERYTUS
Seu
AD TIT. COD.
De

METROPOLI BERYTO
DISSERTATIO.

CAPUT I.
De urbe Beryto.

Conspectus.

1. De Schola Berytensi ex professo nondum actum.
2. 3. Nominis expositio, origo urbis, & conditor ejus Saturnus.
4. Saturno sacrificati liberi. Is est Ammonitarum Moloch. Baal-Berith.
5. Beer Phœnicibus puteus. Berut, robur, per apocopen.
6. Aliter Beroë dicta, diversa à Beroëa Syriæ, quæ hodiè Alepo.
7. 8. Phœnices partes. Berytus amœna, & fertilis.
9. 10. Palmulæ Nicolai, unde dictæ, Panis Nicolai.
11. Lanificio excelluit Berytus.
12. Baphia, Gynæcia &c. L. fin. C. de vest. holov.
13. Linificia. L. 16. C. Th. de Murileg.
14. Gynæcia. L. 5. C. ad L. Jul. Rep. l. 1. C. de vest. holov. l. 6. §. 18. C. de Murileg. Purpura Tyria.
15. Berytus, emporium. Inscriptio vetus.
16. Species §. 1. l. 122. de V. O.
17. Voluptates Phœnicum Circenses L. 4. de his qui not. inf. l. ult. C. de Malef. & Math.
18. Mimarii, Pantomimi, Histriones.
19. Paris Pantomimus in l. 3. ff. de cond. caus. dat.
20. Domitia an Neronis filia rectè appelletur d. l. 3.
21. 22. Choraulæ, athletæ. Ubi l. 4. de his qui not. inf. & l. 2. §. 1. ff. de Aleat. Fabiani von Auers Walds Ringerkunst.
23. Athletæ coronati vacationem à tutela habebant l. ἐὰν δύο ff. de Excus. tut.
24. Catabolani, funambuli, Petauristæ.
25. 26. Academiæ honestis recreationibus non debent carere.
27. 28. Theatrum Berytense, ab Agrippa Rege extructum.
29. Titus Beryti spectacula edit.

Quam-



Uamvis pleraque, quæ ad jus Romanum spectant, à doctissimis ejus interpretibus excussa dudum sint, tamen de *hac* Juris Scholâ Berytensi neminem reperi, qui paulò inquisitius pleniusque egisset.

2. Fuit nomen urbi, Beryto, quod pronunciandum penultimâ productâ jam olim Hermolaus Byzantius περὶ πόλεων, monuit in Βηρυτὸς, cum inquit: *μακρὸν ἔχει τὸ Υ, ὡς κωκυτὸς, γωρυτὸς, κορδυτὸς.* Id est, Berytus ypsilon habet longum, ut *Cocytus*, *Gorytus*, *Cordytus.* Quod etsi leve videtur, præterire tamen nolui, quod adhuc de pulpitis quandoque Academicis nescio quæ Bérytus citetur. Quod quidem in voce peregrina facilius condonandum, dum modo ipsius Latii indigenis, ut sunt *mediastini, molendina*, sed & *Abbates*, aliique, pede uno per injuriam correptis, vim amplius facere desisterent.

3. Cæterum originem Urbis hujus Stephanus, sive epitomator ejus, Hermolaus Byzantius ad Saturnum refert: Κτίσμα Κρόνου, ait. Et constat Phœnices (est autem Berytus Phœniciæ urbs) Saturnum coluisse Deum, id est, solem, ut Servius docet, *1. Æneid.* Vocarunt autem Phœnices Saturnum, Baal, Bal, & Bel, teste Damascio, in vita Isidori apud Photium, ibi *οἱ Φοίνικες καὶ ζύροι τὸν Κρόνον* ἨΛ *καὶ* Βὴλ *καὶ βολάθην ἐπονομάζουσιν·* ΗΛ, verò esse solem ostendit Servius, de Belo Phœnice loquens: *Omnes,* inquit, *in illis partibus Solem colunt, qui ipsorùm linguâ* EL *dicitur.* Huic Saturno, seu Soli Phœnices magnis in cladibus bellorum, pestilentiæ, æstûs & similium calamitatum publicarum, sacrificabant liberos, ut tradit Porphyrius, *de abstinentiâ animalium lib. 2.* Et Silius *lib. IV.*

Mos fuit in populis, quos condidit advena Dido,
Poscere cæde Deos veniam, ac flagrantibus aris,
Infandum dictu, parvos imponere natos.

Diodorus Siculus *lib. 20.* de Carthaginensibus, qui coloni erant, è Tyro Phœnices deducti, narrat, cum ab Agathocle cladem ingentem accepissent, Tyriorum Deos à se neglectos, & propterea

ira-

iratos sibi immisisse calamitatem suspicatos, Saturno supplicationes decrevisse. Hunc enim ideo adversum sibi verebantur, quod cum superiori tempore filiorum præstantissimos huic Deo sacrificassent, pueros deinde clam emtos & nutritos ad sacrificium miserint.

4. Idem Saturnus is est, qui in Cæle-Syria ab Ammonitis Moloch dicebatur, in cujus honorem liberi per ignem traduci solebant, ut ex divinis annalibus constat. Et meminit hujus Beli seu Baalis in veteri fœdere scriptor libri Judicum. *c. 8. & 9.* nominans Baal-Berith, hoc est, idolum Berith, nempe ab Israelitis cultum. Alii, quos refert Adrichomius, in miscellaneis variorum locorum, à Gergeseo, quinto filio Canaan conditam, & olim Geris appellatam tradunt, quâ sententiâ etiam est Gvilielm. Tyrius belli sacri *lib. 11. c. 13.*

5. Nomen Beryto ait Stephanus esse διὰ τὸ εὔ-υδρον, quod sit aquosa. Βὴρ enim seu Beer, Phœnicibus puteum sonare, quod nomen cum Phœnicibus Hebræi commune habent: Sed quod ibidem addit Stephanus, Histiæum hanc urbem ita dictam opinari, quod in Phœnice, Βηρὺτ seu Beerut, robur significet, id Josephus Scaliger *ad Eusebium* non credit, qui Stephano imposuisse quisquis ei persuasisset, sciscit: At verò Samuel Bochartus *de coloniis Phœnicum lib. 2. C. 12.* ita hoc probat, ut berut, per apocopen, pro abirut, dicatur. Validam ergo & valdè munitam Berytum fuisse hoc nominis etymon arguit.

6. Dicta etiam fuit Beroë, præsertim Poetis, nec confundendum tamen nomen cum Beroea Syriæ, quæ hodie Alepo est. Quas cum non satis distinguerent viri docti, inde errores, etiam Ortelio, offusi. Quos notat Scaliger *ad Eusebium fol. 130.* Hodie etiamnum nomine suo, vel parum certè immutato, Barut, signatur. Cæterum *Beruam* cujus mentio *Inscript. 1. p. 178.* non licet exponere de Berroea, sive Thraciæ, sive Syriæ, sive Phœniciæ. Est enim inter oppida Rhætica, eoque Beruenses *in 8. p. CCCCIX.* nominantur velut vicini cum FELTRINIS, iidem cum Belunensibus.

7. Est autem ut dixi, urbs Phœnices, quæ regio sacris scriptoribus in duas dividitur partes, unam Galilæam Gentium, inter

Cherſæi fluminis oſtia & Antilibanum montem, & Syro-Phœnicen alteram, quæ eſt inter Antilibanum & Libanum montes. Sita hic eſt Berytus ad mare Syriacum inter Biblum & Sidonem media. Bernardus de Breitenbach, nobilis Teutonicus, Eccleſiæ Maguntinenſis Decanus & Camerarius, qui ſeculo decimo quinto, nempe anno M. CCCCLXXXIII. cum Johanne Comite de Solms, Domino in Minzenberg iter in terram ſanctam ſuſcepit, ſcribit Barutum, ut hodie vocatur, quinque miliaribus Germanicis diſtare à Sidone.

8. Interpres vetus Geographi anonymi, quem primus Jacobus Godofredus, JCtus noſtræ ætatis incomparabilis, paucis abhinc annis Latinâ verſione aliâ à ſe donatum edidit, valdè delicioſam urbem hanc appellat. Et Ammianus eam amœnitate cum Tyro & Sidone pariter excellere tradit. Planè in hujus laudibus luxuriari Nonnus *Panopolita lib. 41. Dionyſiacorum*, videtur ubi *ῥίζαν βίυ, πολίων τροφὸν, ἰυχ⊙ ἀνάκτων*
Ἕδρανον Ἑρμείαο, Δίκης πέδον, ἄσυ Θεμίσων
Ἔνδιον Ἐὐφροσύνης, παφίης δόμον, οἶκον ἐρώτων,
Βάκχυ τερπνὸν ἔδεθλον, &c. appellat, Breitenbachius nobilem & antiquam civitatem laudat. Nec immerito. Nam & naturæ benignitate, & ingenioſis indigenarum voluptatibus maximè fuit nobilitata. Natura eam fecit fertiliſſimam frumenti, vini, olei, quibus naturæ dotibus cum Scythopoli, Laodicêa, Biblo, Tyro, Cæſarêa & Neapoli Geographus Godofredi eam comparat.

9. Inprimis palmulas ſeu dactylos commendat, quas è Palæſtinâ, Hierichunte accipiant, Berytenſes & peculiari nomine Nicolaos ait appellari. Quo nomine quoque Plinio laudantur *lib. 13. c. 4.* Indidit autem hoc eis Auguſtus Imperator de nomine Nicolai cujuſdam Damaſceni, Philoſophi peripathetici, qui Auguſto, his valde delectato ſubinde eas mittere ſolitus fuit, ut præter Plutarchum *ſympoſiacorum lib. 8. c. 4.* & Athenæum *lib. 14.* ſcribunt Photius in bibliotheca, Suidas, Heſychius Illuſtrius Mileſius, in Nicolao, & Iſidorus in gloſſis.

10. Tranſit hæc Auguſti denominatio in ipſam dactylorum patriam, Palæſtinam, & à recentioribus Hebræis in linguam ſuam

re-

recepta est. Exstat enim in *Talmude, de cultu alieno c.1. in mischnâ*, ubi habetur, vetitum Judæis fuisse, *Nicolaos* idololatris vendere, teste Buxtorfio in Lexico, voce *Niclaf, & Niclas*. Sed & genus quoddam placentæ mellitæ ab eodem Nicolao, *panis Nicolai* audiebat, non minus olim, quam hodie Marcipanis noster, celebratus. Quod de pane Nicolao Athenæus, Suidas, Theophrastus, Serenus Sammonicus, & Palladius de Monachis Ægypti *historia 8*.

11. Porrò insigni linificii arte excelluisse Berytus celebratur, ut inde linteamina ejus vicinarumque urbium in omnem terrarum orbem missa scribat anonymus Geographus.

12. Hinc illa baphiorum, linificiorum, gynæciorum, per Orientem, tam frequens in jure nostro fit mentio. Quæ erant officinæ tinctoriæ inficiendis linteis. De baphiis exstat constitutio Theodosii & Valentiniani, ad Apollonium, Comitem Sacr. Larg. in *L. fin. C. de Vestibus holoveris*, ubi Impp. præcipiunt, septimum de scrinio Exceptorum, sextum de scrinio canonum, quintum de scrinio tabulariorum ad baphia Phœnices per certum tempus mitti, ut fraudi vendendarum purpuræ nundinarum occurratur.

13. Linificiorum nomen erat textrinis linteæ vestis *L. 16. C. Th. de Murileg.*

14. Gynæcia autem erant textrinæ ad vestes Principis conficiendas. Horum mentio fit *Leg. V. C. ad L. Jul. Repet. L. I. C. de Vestibus holoveris*. Item *L. VI. IIX. XVIII. C. de murileg*. Procuratores Gynæciorum fuisse sub dispositione Comitis S. L. ex Noticia Imperii Orientalis constat. Hæc baphia tingendæ purpuræ Imperatorum inserviebant. Inprimis purpura Tyria decantata est, ubi tum singulare fuit textrinum, purpureæ vesti conficiendæ. Videndus est Strabo *lib. 16*. Meminit Imp. purpuræ Tyriæ *§. si quis agens 33. Inst. de act*. Sed præ cæteris ob purpuram alitinam Geographus Anonymus celebrat Liddam urbem, quæ & Diospolis audit. Quemadmodum Sidon ob inventam vitri fusionem famigerabilis. His ergò naturæ deliciis nobilitata cum esset Phœnicia, quàm mercimoniorum gratiâ ab exteris ad eam frequens aditus fuerit, facile conjectu est. Possem ex omnis generis scriptoribus prolixè id demonstrare, nisi institutum me meum reprimeret.

15. De Beryto nostra, perinde atque Tyrus & Sidon, mercimoniis florente inscriptio vel sola testari possit, quam suggessit mihi Vir Cl. Dn. Reinesius, universæ antiquitatis literariæ depositarius, amicus meus honoratissimus, quæ Neapoli in ædibus Marcelli Muscettolæ Equitis legebatur, his verbis

IMP. CÆSARI
IEROPOLITANI
PERYTENSES
QUI PUTEOLIS CONSISTUNT.

16. Unum, quia ad professionem meam spectat, non omittam, nempe frequentissimam à Beryto Brentesium, seu Brundisium fuisse navigationem. Id quod præter Dionem & Scævola noster *lib. 28. Digestorum suorum*, unde petita *L. qui Romæ 122. §. 1. de V. O.* narrat. Cujus paragraphi, oppidò elegantissimi nec minus difficilis non prætermittamus speciem; Callimachus quidam mutuam pecuniam seu trajectitiam à Sticho servo suo accepit in provincia Syria, civitate Beryto usque ad Brundisium, seu Brentisium. Sic enim *Stephanus* περὶ πόλεων Græcis scribi auctor est. At Ptolomæus βρενδέσιον scribit. Numismata, Bryndisium. Poëtis Brenda, Brunda; Benjamini Tudelensi Barnedis, & hodie, Brindisi. Est ea Calabriæ urbs, portu quondam celebris, quem præpetem Ennius appellabat, *Gell. lib. 9. c. 4.* Meminit Ulpianus *in l. 1. §. igitur 12. de Exerc. act. navium*, qui Brundisium à Cassiopa vel à Dyrrhachio vectores trajiciant. Sed ad Callimachum. Is pecuniam mutuo acceperat, & merces eâ comparandas creditori Sticho pro ea oppignoraverat, hoc pacto statim adjecto, ut in reditu ante Idus Septembres Brundisio enavigaret, quod nisi faceret, ut tum continuo pecuniam redderet Eroti Stichi conservo, pecuniam prosecuto, cum sumtibus in prosecutionem & deportationem ad dominum Sejum Romam usque faciendis. Quæ omnia stipulanti tandem Sticho Callimachus promiserat. Nave postmodum submersâ, Callimachus, quia post eidus enavigarat, consensu licet Erotis, quærebatur an nihilominus Titio ad pecuniam teneretur, ita, ut pecuniæ ejus periculum esset debitoris. Ubi hoc rem reddebat ambiguam, quod Eros, χρηματοσυνάλλακτος, in tardiorem enavigationem consenserat. Erat enim

nim moris, ut pecuniâ trajectitiâ acceptâ creditor servum mitteret cum navigante v. g. Româ usque ad Salonam, ut in specie *L. pen. C. de Naut. Fœn.* & in nostra lege Beryto Brundisium usque, ut nave salvâ in portum delatâ servus eam pecuniam exigeret cum usuris. Patet id ex L. Rhodiâ de nautico fœnore, ubi *in fine cap. ultimi* ita: ὁ δὲ χρήσας τὰ χρήματα ἐπιπεμπέτω ἄθρωπον, ὃς ἂν ἐπιχρεώννυται *Leuncl. Jure Græco-Romano p. 2. p. 267. n. 21.* At ratio decidendi erat, quod servus Eros domino actionem semel quæsitam postea paciscendo adimere non posset. *L. contra 28. §. si filius l. 59. ff. de pact. l. 3. C. eod. tit.*

17. Postulat jam ordo mihi propositus, ut de voluptatibus Phœnicum, adeoq; Berytensium ingenio vel excogitatis vel adauctis dicam. Et constat cum ex aliis, tum ex Juvenalis *sat. III.* Kapitolino, *in Vero*, & Libanio, *oratione pro saltatoribus*, inter omnes gentes haud voluptati aliā magis fuisse deditam, præter quam Syros. Quàm omnis generis ludis indulserit Antiochia, Libanius docere possit, *in Antiochico*, & Zosimus rebus Juliani. Præ cæteris, ut Circenses deperierit, vel solus Johannes Chrysostomus dicet. Neq; tamen hoc certamine Berytū Antiochiæ cessisse geographus anonymꝰ prodit. Qui ludi Circens. ex historiâ Romanâ notiores sunt, quam ut dici oporteat. Etiā juris Studiosis cogniti de nomine agitatorum, quos ita Ulpianus *L. IV. de his qui not. inf.* nuncupat, esse debebant. Et *l. ult. C. de Malef. & Mathem.* agitatores interpretantur Theodosius & Valentinianus, aurigas. Et hæc Circensium cognitio ad intelligendum titulum *Cod. de spectac.* apprimè juvat.

18. Præterea Tyrum Berytumque excelluisse mimariis idem, quem sæpius laudo, geographus anonymus scribit, ubi & Cæsarēam Pantomimis celebrat. Fit horum mentio in *L. XXV. §. 1. & L. XXVII. ff. de oper. libert. L. XLIII. in f. de act. emt.* Latini histriones nominabant.

19. Celebris Romæ hoc ludicro fuit quidam Paris, quem Neratius JCtus, libro membranarum refert à Domitiâ Neronis filiâ, decem, quæ ei pro libertate suâ, ut se manumitteret, numeraverat, repetisse per Judicem, scilicet condictione causâ dati, causâ non secutâ, ut tradit Ulpianus *l. III. ff. de cond. caus. dat.*

20. Ubi ὡς ἐν παρόδῳ attingam, à Dionysio Godofredo frustra Neratio in *d. L. III.* errorem impingi, quod Domitiā Neronis fili-

filiam appellet, quæ tamen fuerit amita, teste Tacito *lib. XIII.* & Dione in rebus Neronis. Sed non erravit Neratius: Errat Dionysius. Domitia fuit Neronis omninò filia: Sed non Principis Neronis; verùm ejusdem avi, & soror Cnei Domitii ænobarbi, qui pater erat Neronis Principis.

21. Sed redeo ad ludiones Phœnicios, inter quos choraulæ numerantur, quorum præstantiâ Heliopolis claruit: Gaza acroamaticos & Pammacharios, Ascalon athletas dedit.

22. Sed athletæ artem ludicram facere Romanis non videbantur, sed virtutis gratiâ exerceri, ut habet Ulpianus in *L. IV. ff. de his qui not. inf.* Horum exercitatio, quibus partibus constiterit, refert JCtus Paulus in *L. 2. §. 1. ff. de Aleat.* nempe certare hasta, pilo jaciendo, currendo, saliendo, luctando, pugnando, & addit, virtutis causâ fieri. Nempe hæ erant exercitationes quinque palæstræ, cursus, lucta, saltus, jactus, pugillatus cum cestibus, unde Græcis pentathlum dicebatur, & quinquertiones Romanis, qui his eruditi. Videri potest Alciatus noster ad *L. sing. C. de athl. lib. 10.* Turneb. *lib. 27. adv. c. 8.* Julius Scaliger *1. Poet. 21.* Et præ cæteris, Hieronymus Mercurialis *de arte gymnasticâ.* Ex his lucta etiam Germanis, Majorum memoriâ, valdè fuit commendabilis. Extat adhuc Fabiani von Auerswalde Ringerkunst/ anno 1393. excusa, è cujus præfatione liquet, quanto in pretio hoc exercitium Ernesti Saxonis Electoris tempore in Aulâ fuerit.

23. Cæterum Romæ athletæ in sacris certaminibus coronati excusationem à tutelâ habebant, L. ἐὰν δύο. §. *Ulpianus. ff. de Excusationibus tut.* Et si per omnem ætatem certassent, & coronis, non minus tribus coronati sacris certaminibus fuissent, civilium munerum vacationem impetrabant. *L. sing. C. de Athl. lib. 10.*

24. Denique ait geographus Godofredi, Catabolam, & ipsam Phœnices urbem, insignes dedisse funambulos, qui per extentum funem volantibus similes, pendente vestigio ferebantur, in sublime. Quibus accensebantur *νευροβάται*, qui velut in ventis cothurnati ferebantur, sed & *ἀνεμοβάται* & *οὐρανοπέται*, de quibus illud Juvenalis capiendum:

Graculus esuriens in cœlum jusseris, ibit.

& denique petauristæ, quod *πρὸς ἀέρα πετῶνται* id est, in aërem volant, ut habet Ælius Stolo apud Festum. 25. Sed

25. Sed satis jam ludorum, qui Academiam Berytensem voluptatibus perfuderunt. Non enim credebant veteres, studiosos in Academiis, tanquam latumiis compingendos aut velut servos ergastulis concludendos esse, quod qui agunt, insulsos & amentes, quàm politos ac doctos citius efficient.

26. Quare prudentes viri, qui vel Principibus ad statuendas Academias auctores fuere, vel quâ ratione Academiæ benè conservari queât, scriptis consiliis docuere, magno consensu, svadent, ut exercitationes corporis, & aliæ recreationes, nec illiberales tamen, in Academiis habeantur.

27. Porrò imperante Claudio, ab Agrippa Rege eximiis ornamentis honorata Berytus est, magnis sumtibus exstructo ibi theatro pulcerrimo, simul atque æquè magnifico amphitheatro, & adhæc balineis atque porticibus. Quorum operum dedicatio splendidissimè fuit celebrata exhibitis in theatro spectaculis, & musicorum omne genus certaminibus aliâque voluptatum varietate: In amphitheatrum autem ad ostentandam magnificentiam inductis plurimis gladiatorum paribus.

28. Volens deinde spectatores oblectare, etiam catervatim commissis pugnatoribus, ex maleficis in hoc destinatis duas cohortes fecit, septingentorum quamque hominum, ut illis per imaginem belli decernentibus, pœna noxiorum in pacis voluptatem verteret, ut eleganter loquitur, qui hæc describit, Josephus, antiquitatum Judaicarum libro decimo nono. Idem libro vicesimo narrat, hunc Agrippam, theatrum impendiis magnis ædificatum ornasse spectaculis annuis, assignatâ in eum usum ingenti pecuniæ vi. Frumentum etiam donasse populo Berytensi, & oleum viritim distribuisse, totamque eam urbem ornasse statuis passim dispositis, atque expressis ad antiqua clarorum artificum archetypa imaginibus, omniaque penè regni sui ornamenta in eam civitatem transtulisse.

29. Porro Vespasiano Imperatore, post excidium Hierosolymitanum Titus Cæsar Berytum venit, ubi diutius moratus natalem Patris tantâ magnificentiâ celebravit spectaculorum, quantâ vix unquam alias, multis ibi captivorum Judæorum bestiis objectis, & depugnatione gladiatoriâ absumtis, teste Josepho, *de bel-*

lo

Io Jud. lib. 7. c. 20. Sic itaque exornata Berytus nostra indies celebrior quin facta fuerit, non dubium est, usque adeo, ut Impp. Theodosius & Valentinianus propter multas justasque causas, ut ipsi profitentur *in l. sing. C. de Metrop.* eam metropolitano nomine & dignitate exornarent, jam satis antea, ut habent Impp. verba, suis virtutibus coronatam.

CAPUT II.

De Beryto colonia, Italici juris.

Conspectus.

1. Berytus, colonia Italici juris.
2. Coloni qui, Colonia, prædium rusticum. Coloni, ἄποικοι.
3. Colonia quid, origo earum.
4. SCta, aut populi rogationem requirebat. Lex agraria.
5. 6. Subditi Imp. Romano diversæ conditionis. Jus civitatis, Latinitatis, Italiæ, &c.
7. Hæc jura suis quæque locis adhærebant. Inde etiam extraneis privilegii instar data.
8. Berytus quando colonia facta. Coloniæ militares.
9. Jus Italicum quando ei concessum.
10. Numi quidam, de colonia Berytensi.
11. Colonia Agrippina, dicitur & Claudia. Vetus inscriptio.
12. L. ult. ff. de Cens.
13. De variis colonorum generibus.
14. Coloni adscriptitii: Ἐναπόγραφοι. γεωργοί.
15. Adscriptitii unde & an ita dicti, quasi terræ adscripti.
16. An liberi, an servi, an medii.
17. Sunt servi, non tamen peculiaris servor. species.
18. Theophilus notatur.
19. Probantur esse servi.
20. Quidam colonorum liberi.
21. Similes Hilotis Laconicis & aliis Græcanicis.
22. De Thracensibus. Explicatur L. sing. C. de Col. Thrac.
23. De priscor. Germanorum servis.
24. De Saxonum Lassis, Latis, Litis.
25. Testimonium Glossæ Sax.
26. Gallorum Manus mortuæ.

I.

MAjus ad gloriam Beryto momentum Regina gentium Roma contulit, dum coloniam, eamque Italici juris effecerat. Ait enim Ulpianus noster *libro 1. de censibus*, unde

desumta *l. 1. ff. eod.* Berytensem Coloniam non solùm Augusti beneficiis gratiosam esse, sed & jus Italicum habere. Idem affirmat Gajus *lib. 6. ad L. Juliam & Papiam in L.7. ff. de cens.* & Paulus *lib. 2. de censibus*, unde est *L.8. d. tit. §.3.* dicens Laodiceam in Syria & Beryton in Phœnice juris Italici esse & solum eorum. Videndum itaque de jure coloniæ.

2. In genere coloni intelliguntur, qui colunt agrum, sive suum, sive alienum. Deinde specialius coloni in jure appellantur, qui prædium rusticum conductum exercent. *l.37. de adq. poss.* & ita distinguuntur ab inquilinis, qui ædes conductas habent. Colonia ejusmodi prædium rusticum, à colono possessum *l. 24. §. 4. ff. loca. l. 20. §. 3. ff. de Instr. vel instr. leg.* Porrò sunt & alia colonorum genera, quæ novissimè collegit Dn. Justus Hahn, *tract. de jure colonario.* Nobis ad id genus colonos properandum, quæ Græcis *ἄποικοι*, qui patriam suam migrantes novas sedes quærant, quorum proinde civitas colonia, *ἀποικία*, appellatur. Et possint itaque tot numerari coloniæ, quot migrationes gentium in alias terras, novarum sedium quærendarum gratiâ institutæ fuerint. Sed continebimus nos intra remp. Romanam. Ibi coloniæ erant, ut Gellius finit, civitates ex civitate Romana propagatæ. Initium instituti ad Romulum refert Dionysius, qui loca bello capta non præsidiis, sed colonis muniebat. *Vid Lips. de magnit. Rom. 1. c.6.*

4. Semper autem SCto opus erat, aut rogatione populari ad coloniæ deductionem, quæ lex agraria appellabatur. Cujus legis omnem fere rationem explicat *Sigon. lib. 2. de antiq. jure Italiæ c. 2.* Hac lege acceptâ, aut SCto facto, curatores, qui deducendæ coloniæ creati, colonos in coloniam sub vexillo deducebant. Cicero in Rullum; *Tum illud vexillum Campanæ coloniæ vehementer huic imperio timendum Capuâ à Decem viris inferetur.* Horum quæ signa fuerint ex numis antiquis videre est.

5. Berytus nostra colonia fuit jure Italico ut vidimus. Quid verò quantumve fuerit jure Italico potiri, non possunt ignorare, qui non peregrinantur in historia atque antiquitate Romana. Inprimis non ignorare debebant Juris studiosi, quibus cum civibus Romanis, cum peregrinis, cum deportatis, cum prædiis stipendiariis, tributariis, Italici juris, & horum similibus assiduè in scho-

la juris Romani res est, nec intelligi jus illud sine his rectè potest. Dicam autem paucis.

6. Qui in potestate ac ditione Populi Romani erant, diversa oppidò conditione fruebantur. Alii civitate Romana, alii jure Italico, alii jure Latii, alii jure provinciarum potiebantur. Et post cives quidem optima eorum erat conditio, qui jus Latii nacti. Ut enim hoc jure civitas Romana præstantior, sic Italico Latinitas, & Italica conditio provinciali honestior erat, atque commodior. Quam differentiam Imperator Claudius apud Tacitum oratione quadam exprimit, cum dicit, plebejos magistratus post patricios, Latinos post plebejos, cæterarum Italiæ gentium post Latinos, exterorum post Italos exstitisse.

7. Quibus autem prærogativis singulorum conditio exornata fuerit, prolixum esset referre, & jam Sigonius accuratè peregit. Strictim ut attingamus, Latinitatis jure potientes neque libertatis, neque gentilitatis, neque sacrorum, connubiorum, patriæ potestatis, legitimi dominii, testamentorum, tutelarum, jura eadem usurpabant, quæ cives Romani, nisi fundi facti essent. De populis Fundis præter Sigonium vide Ismaelem Bulialdum tract. de Fundis populis. In cæteris autem rebus propius ad civium Rom. jura accedebant, ut in censu & tributis. Militabant in auxiliis, non in legione, nec suffragium, nisi legum jubendarum causa, si inter magistratus convenisset, Romæ ferebant, & qui domi ædilitatem & quæsturam gessissent, ii Romæ se pro cive Romano gerere poterant. Italicum autem jus in cæteris quidem rebus cum Latinitate ferè conveniebat, præterquam in suffragio, cujus nullam partem Italici adepti sunt, nec ad civitatem aditum habebant. An coloniæ juris Italici provinciales immunitatem tributorum habuerint ex ipso Italico jure, an speciali concessione, disputat Cujacius *10. O. 35.* contrà Turnebum, ut puto & probat, immunitatem specialiter habere. Cæsariensis enim colonia prima Flavia, quam Vespasianus deduxit, auctore Plinio *5. cap. 13. & Nov. 103.* immunis est, *L. ult. ff. de cens.* Remisit enim ei Vespasianus tributum capitis: At quia non ideo & remissum videbatur tributum soli, posteaTitus & solum ejus immune factum interpretatus est. Nec ideo tamen Cæsariensis colonia jus Italicum habu-

buit. *l. 1. ff. eod.* Et *Plin. lib. 3. c. 3. & 21.* civitates aut colonias immunes separat ab iis, qui jus Italicum habent. Sed ut quid mihi videatur dicam, satis hoc quidem probat Cujacius, colonias, quæ juris Italici non essent, immunes quandoque factas esse, idque speciali jure: Sed non probat, quæ juris Italici fuerint, eas hoc ipso immunes non fuisse. Quod sibi tamen sumserat. Imò juri Italico immunitatem à tributis inhæsisse non malè concluseris *ex l. ult. §. 7. de Cens.* quia Vespasiano Cæsarienses colonos efficiente, non adjecto, ut & juris Italici essent, tributum tamen his remittente capitis, Divus Pius & solum immune factum interpretatus est. Quæ interpretatio utique falsa futura fuisset, nisi jus Italicum immunitatem secum tulisset. Et inprimis facit verbum, quo JCtus utitur, interpretari. Si enim Titus proprio motu, ultra Vespasiani mentem aliquid gratificari voluisset Cæsariensibus, constituendi vox usurpanda potius fuisset.

8. Cæterum hæc jura primitus locis suis fuère quasi affixa, ita ut quæ loca extra Italiam essent, jure Italico potiri non possent: Sed Italiâ oriundus Italico, Latinus Latii jure fruebatur. At verò post L. Juliam bello Italico, anno urbis 662. cum universa Italia in tribus conjecta in civitatem Romanam acciperetur, etiam exteris populis, præmii & honoris instar tribui cœpit, ut aliis civitas, aliis Latium, aliis jus Italicum pro suâ cujusque erga rempubl. Romanam fide concederetur.

9. Ergo & nostra Berytus cum apud Augustum impensè gratiosa esset, Colonia Romanorum facta, ita nominat enim Josephus *de bello Judaico lib. 7.* anno Augusti XXX. ut notat Eusebius, jureque Italico potita est. Et quidem coloniæ jus accepit M. Agrippâ, jussu Augusti, ex veteranis colonos Berytum deducente, teste Strabone, *lib. 16.* Quod genus coloniarum, militares audiebant, adeundus est Sigonius *de ant. jur. Ital. lib. 3. c. 4.* ut præliorum diuturnitate fessi præmium aliquod aliquando caperent periculorum laborumque.

10. Videtur jus Italicum Beryto datum, M. Apulejo, & P. Silio Coss. cum in Syriam Augustus proficisceretur, Tyriis ac Sidoniis propter facinus supplicium irrogans, ut est apud Dionem *lib. 54.* Inde nomen cum Augustanæ coloniæ, quo nomine Hadri-

anum in quâdam oratione eam exornasse testatur Ulpianus JÇtus in *d. l. 1. §. 1. ff. de Cens.* Quæ forsan fuit oratio, quam de Italicensibus habuisse Hadrianum ex Gellii *lib. 16. c. 18.* primus, quod sciam, observavit *Cujac. lib. 10. O. 35.* in quâ de municipiorum & coloniarum jure egit: Junge Pancirol. *lib. 2. var. lect. cap. 152. Laz. de rep. Rom. lib. 12.* tum coloniæ FELICIS JULIÆ accepit, ut habet numus quidam Golzii, & *Plinius lib. 5. c. 20.*

11. Visuntur adhuc numi, quos Golzius idem servavit, Imp. Augusti quibus Duumvir stivam manu tenens, more Sabino cinctus, id est, parte togæ caput velatus, & parte succinctus, taurum in dextram & vaccam intrinsecus junctos sequitur, & glebas omnes intus vertit, ac sulco ducto loca mœnium designat, inscriptumque: COLONIA JULIA BERYTENS. Hac enim figurâ coloniæ Italici juris exprimebantur, ut ex Varrone liquet, *lib. IV. de LL.* Est & numus Antonini Britann. COL. JUL. AUG. FEL. BER. Et vetus Inscriptio COL. JULIA AUGUSTA BERYTUS. Sed demum hæ civium, Latinorumque & Italicorum differentiæ sublatæ quoque sunt, cum omnes in orbe Romano cives efficerentur. Quod ab Imp. Antonino effectum esse Ulpianus *l. 17. de Stat. hom.* affirmat. Quem Antoninum Pium exponit Aurelius Victor. Sed Adriano tribuit Chrysostomus in acta, Caracallæ Dio, & Marco mallit tribuere Cujacius. Sed ab excerptis Constantini Porphyrogennetæ, quæ Nicolaus Peirescius Henrico Valesio vertenda dedit, hujus beneficii auctorem M. Aur. Antoninum Caracallam, Severi filium fuisse, hodie constat. Unde *d. 17. de st. hom.* non loqui de Antonino Pio, Sed Antonino Caracalla, & Aurelio Victori nominis similitudinem imposuisse jam certum est. *Confer. Christ. Ad. Rupert. ad Pompon. p. 17.*

12. Porrò, quod diximus de coloniis militaribus, ejus exemplum præbet & in Germaniâ Colonia Agrippina ad Rhenum, quæ veteranorum Romanorum colonia, ut audit, est. Erat enim Ubiorum oppidum, in quod Agrippina veteranos coloniamque deduci jussit, cui nomen ex vocabulo Agrippinæ inditum. *Tacitus lib. 12.* Agnominata etiam fuit Claudia, ut in lapide, quem Lipsius exhibet:

M.Ma-

M. Mario. M. F.
STEL. TITIO. RUFINO.
COS.
LEG. LEG. I. MINER. P. F.
CUR. COL. CLAUD. AUG.
AGRIPPINENSIUM
PROCOS. PROV. SICILIÆ
CUR. AMITERNOR. PRÆF.
TR. PL. Q. PROV. MACEDON.
SEVIR. TURMAR. EQ. ROMANOR.
TRIB. LATICL. LEG. I. ADIU. P. P.
IIII. VIRO. STLITIBUS. JUDIC.

13. De hâc JCtus Paulus in *l. ult. §. 2. ff. de Censf.* tradit, quòd & ipsa Juris Italici fuerit. *In Germaniâ*, inquit, *inferiore Agrippinenses Juris Italici sunt*. Sæpè etiam incidit quæstio, utrum colonia censeatur ex solo, an ex deductis colonis. Quo pertinet controversia inter Syros & Judæos, cum de urbe Cæsarea coram Nerone contenderetur apud Josephum. Judæi tendebant conditam esse ab Herode, & Judæos ab eo deductos, itaque esse Judaicam. Syrii contra; Herodem condidisse quidem, sed in Syriâ. Imò verò ptotulisse, quàm condidisse magis. Cum enim antea Turris stratonis appellaretur, àque Syriis coleretur, Cæsaream nominasse, mutasse nomen, non colonos; Ædificasse eo animo, ut non adscriberet Judæis. Nam in urbe templa, in templis imagines posuisse, quas Judæi non tolerent. His rationibus Nero pronunciavit, Syriorum esse. Eâdem decidendi ratione, quâ Insula Salamin Atheniensibus adjudicata fuit. Cum enim deeâ inter Athenienses & Megarenses contenderetur, pro Atheniensibus dicente Solone, pro Megarensibus Hereâ, quod incolæ in sepeliendis mortuis ritum Atheniensium non Megarensium sequerentur, cum haberent sepulcra ad orientem posita, insculptaque familiarum nomina, Atheniensiū esse creditum & pronunciatum est. Simile quid de Monâ seu Manniâ Insulâ legitur decisum. Hæc enim cum media inter Boreales Hiberniæ & Britanniæ partes porrecta esset, utri terrarum cedere debeat dubitatum fuit. Sed cum Hibernia venenosa animalia non ferat, & periculi faciendi causa ver-

mes venenosos invectos admitteret, insula Britannis addicta fuit. *Cambden. Brit. de Ins. Monâ.* An missione in coloniam civitatis jus amittatur, dubitatum quoque fuit? Certè id ex jure coloniæ petendum videtur, ut si colonia Romani juris esset, cives jus civitatis non amitterent: Sin Latini juris foret colonia, mediam capitis diminutionem paterentur coloni Româ missi. Sic enim Boëthius in expositione Topicor. deductione in Latinas colonias cives Rom. mediam capitis diminutionem passos esse, & Romanam civitatem amisisse, testatur. Porrò ut maximè civis R. in coloniam Romani juris ductus jus civitatis retineret, non tamen id omne, nec plenum, sed illud jus tantum retinuit, quod privatum dicunt, ut libertatis, connubiorum, patriæ potestatis, legitimi dominii, hereditatis, mancipii, nexus, usucapionis, tutelarum, testamentorum, & similium. Præterea si qui alii in eam coloniam nomina dedissent, civitatem quidem suam amittebant, nec cives tamen Romani efficiebantur. Hinc Liv. *lib. 34. Novum jus eo anno à Ferentinatibus tentatum, ut Latini, qui in coloniam Romanam nomina dedissent, cives R. essent. Puteolos Salernumque & Buxentum adscripti coloni, qui nomina dederant, cum ob id se pro civibus Romanis ferrent, senatus judicavit, non eos cives Romanos esse.* Denique quod Grotius statuit missione in coloniam novum nasci populum sui juris, *2. de J.B. 9. §. 7. 8.* id neque jure Gentium simpliciter admittendum putamus, sed omnino videndum, cujus auspiciis, quâ mente, quo jure, in quæ loca emittantur. In dubio tamen, cum de jure Gentium quæstio est, nec de mente mittentium constat, & in loca fit missio, quæ civitati, unde exit colonia, non paret, populum liberum & sui juris factum, facilè admiserim. Et ita intellexerim, quod Rex Tullius ap. Dionysium ait: τὸ δὲ ἄρχειν ἐκ παντὸς τῶν ἀποίκων τὰς μητροπόλεις ὡς ἀναγκαῖόν τι φύσεως νόμιμον, οὔτε ἀληθὲς οὔτε δίκαιον ἠξιοῦτο ἀφ' ἡμῶν. *Ut per omnia metropoles imperent coloniis, quasi naturæ lege, nos neque verum, neque æquum arbitramur.*

14. Cæterùm, reperiuntur in jure nostro certi generis coloni ut Illyriciani, Thracenses, Palæstini, *lib. XI. Cod.* de quibus, quia nondum inter eruditos expedita omnia, res repetenda altius. Notum autem est, colonos Romanis dictos ab agro colendo,

do, five suo, five alieno. Et suo, vel suis, vel servorum, vel denique mercenariorum manibus. Et quidem adhibebantur his operis servi, non solum ergastulis inclusi, ut & vincti terram arantes, & qui pœnæ causa in agros fuerant deportati, de quibus *l. ex facto 35. §. 3. ff. de her. inst.* Sed hi coloni non audiebant.

15. Erant adhuc alii, scilicet soluti, qui contubernia ruri habebant, & veluti familiam quandam, destinati, ut agris operarentur. Hi adscriptitii, puta coloni, & censiti dicti. Adscriptitii Græcis Ἐναπόγραφοι. Glossæ vett. ἐναπόγραφος, *adscriptitius.* Sic & Basilicæ lib. 55. tit. 11. Et lib. 48. tit. 25. & tit. seq. lib. 55. tit. 1. & γεωργοί. *Clem. Alexand. libro 2. Pædag. c. 1.* ubi γεωργοὺς opponit τοῖς κληρόμοις. Et ita Basilica colonum passim agricolam appellant. Et observat Appianus *lib. 2. de bello civ.* divites agro inculto occupato non jam fundos, sed amplas regiones coluisse per agricolas & pastores pretio emtos, idque propterea, ne si liberi homines essent, ab agricultura ad exercitus avocarentur. Quo factum, ut agri mancipiis complerentur.

16. Horum originarii quidem seu originales, si ruri, cui serviebant, nati; Sin agro à domino deputati, adscriptitii & censiti appellabantur, quia in censum relati. Nam servorum non solùm omne genus in censum deferebatur, natione, ætate, officiis, & artificiis specialiter expressis. *L. forma. 4. §. 5. ff. de Cens.* Sed & coloni, qui terræ alicui colendæ destinati in censum referebantur, & ita differebant à liberis, qui mercede conducti rus colebant. Quare cum Desiderio Heraldo adscriptitios, non quòd terræ, ut coloniæ suæ olim in eam deducendi, adscripti fuerint, dictos putamus, etsi plerique omnes ita sentiunt, sed quòd censibus adscripti. *l. colonos 19. C. de agr. & cens. Rubr. & l. 2. C. in quibus caus. col. cens. dom. acc. poss. C. L. probari. 3. C. de appar. Mag. mil. & priv. eor. l. 10. C. de re militari l. 22. C. de agr. & cens. & col.* Nempe prædiis imponebatur tributum, pro mancipiorum, sive colonorum censitorum aut adscriptitiorum capitibus, & indicebatur pro numero eorum, ita ut non singula capita, sed plura eorum caput unum, velut civile & tributarium, constituerent. Inde capitationis nomen, quam domini ipsi ab adscriptitiis colligebant, & fisco inferebant.

17. Por-

17. Porrò de horum conditione & statu vulgata est ad Institutiones Justinianéas quæstio, cum homines sine medio in liberos & servos dividantur, ad utram adscriptitios speciem referre oporteat, an verò neutri ex asse accedant, sed mediam naturam contineant? Nos iis accedimus, qui ad servos referunt. Nam quia, ut diximus hi statu suo, antequam adscriberentur censui, & agro addicebantur, revera erant servi, nec postquam ruri & fundo dedicati ad libertatem per hoc adspirabant, quod nuspiam in jure proditum est, servi utique manebant, etsi quibusdam in causis liberorum jure uterentur. Nam & statu liber etsi reverà servus, tamen certâ ratione liberorum jure censebatur.

18. Et hæc tamen umbra libertatis non constituebat diversam speciem servorum, vel quod perinde est non faciebat, nequam dari negat Justinianus §. *ult. Inst. de jur. pers.* daretur differentia in conditione servorum, quæ in liberis tamen datur, specifica. Adeoque discedimus à piæ memoriæ Collegâ & socero nostro, in Academiâ Salanâ, Domino Ungepauero, JCto Salano, non minùs annis atque auctoritate gravissimo, qui in *Exercit. 2. q. 11.* ad componendas in speciem contrariantes leges distinguit servitutem in specie acceptam, ab eâdem acceptâ in genere.

19. Fallitur & Theophilus, sed aliâ atque diversâ parte, qui negat in servitute dari τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον, quem & Cujacius ἐ πάνυ sequitur. Utique videmus in servitute magis & minus datum fuisse. Neque sic tamen differentia specifica in servitute fiebat. Nam magis & minùs, quod apud Philosophos expeditum, non variat speciem.

20. Et sanè non sinit nos dubitare *l. ne diutius 21. C. de agr. & cens.* ubi dum Justinianus quærit, quæ differentia inter servos & adscriptitios intelligatur, eo vult nullam intelligi, adjectâ ratione, quia uterque sit in domini potestate, & possit servum cum peculio manumittere, & adscriptitium cum terrâ dominio suo expellere. Sed & Arcadius & Honorius *l. 2. C. in quib. caus. col. cens. domin. acc. poss.* ajunt, *penè esse, ut quadam dediti servitudine videantur.* Vel, ut alii legunt, *ut quadam servitute videantur adstricti.* Nam & vendi à domino, sed cum terrâ poterant, *l. 7. C. de agr. & cens. l. 112. de leg. 1.* Et idcirco inter immobilia referebantur,

bantur. *l. 2. ff. de div. temp. praescr. l. hac edictali 6. §. 1. C. de sec. nupt. l. jubemus. 14. C. de SS. Eccles.*

21. Praeter hos autem quidam quoque erant liberi, sed quod triginta annorum spatio in fundo aliquo mercenariam operam fundi domino locaverant, liberi quidem manebant, à terra tamen recedere nec ipsi, neque nati sui poterant, *l. cum satis 22. C. de agr. cens. & col.* sed certum canonem solvere tenebantur. *l. 18. C. de agr. & cens.* Hi conditionem colonariam contraxisse dicebantur. *l. cum satis 23. C. de agr. & cens.*

22. Quos rectè proinde comparat Heraldus *rer. quot. c. 8. §. 18.* Hilotis Lacedaemoniorum. Erant enim Εἵλωτες medii inter liberos & servos terris colendis addicti, & per familias distributi, certâ pensione dominis obnoxii. *Plutarch. Lycurg. Julius Pollux Onom. lib. 3. c. 8.* Sic apud Cretenses ἀφαμιῶται. *Vide Hesych.* ἀφαμιῶται & περίοικοι. Clarotae idem & Chrysoneti apud Heracleotas. Mariandyni, gens ad Bosphorum Thracium *Ath. 6.* qui & δωροφόροι, apud Thessalos πενέσται. Vide *Athen. lib. 6. p. m. 263.* Polluc. *d. l.* Casaub. *in Ath. lib. 6. c. 8.* Aristot. *2. Pol. 5. & 9.* Pausan. *in Lacon.* Diod. Sicul. *lib. 11.* Strab. *6. & 8.* Suid. πενέσται.

23. Ulterius certis provinciis pro meritis suis interdum dabatur, ut capitatione eis remissâ, jugatio imperaretur. Quod Theodosius & Arcadius Thraciarum dioecesi indulserunt, de quo *L. singul. C. de col. Thracens.* Ubi constituitur, in gratiam dominorum possessorum, ut mancipia quidem & coloni loco capitationis jugationem sustinerent, quae adeo non pro numero capitum, sed jugorum penderetur, non tamen ut vult Cujacius, liberi proinde essent. Certè conditione videbantur ingenui, ut ajunt Impp. servi tamen terrae ipsius, cui nati erant, existimabantur. Macula itaque servitutis, quae ex tributaria sorte inhaerebat, ita quidem eluebatur, ut hactenus ferè ingenui videri possent: Servitutem tamen non tollebat, nec recedendi, quo vellent aut permutandi loca habebant facultatem: Sed possessor eorum jure utebatur, & patroni sollicitudine & domini potestate. Et ita quidem se habebant servi Romanorum, certo fundo addicti, colendi gratiâ, propterea coloni appellati.

24. At apud priscos quondam Germanos omnis servitutis ratio similis hisce colonis erat. Audiamus Tacitum, *de Mor. Germ. c. 24. Servis*, inquit, *non in nostrum morem descriptis per familiam ministeriis utuntur: suam quisque sedem, suos penates regit. Frumenti modum dominus, aut pecoris, aut vestis, ut colono injungit, & servus hac tenus paret.*

25. Quod de Germanis in universum, id de Saxonibus nostris speciatim Nithardus hist. Francor. lib. 4. Gens Saxonum omnis in tribus ordinibus divisa consistit. Sunt enim inter illos Edelingi, sunt qui Frilingi, sunt qui Lassi illorum linguâ dicuntur: Latinâ verò linguâ Nobiles, ingenui & serviles. Hi Lassi servi erant, à lassen / laten / quod est relinquere. Kilianus in voce Belgicâ, Laet / hoc nomen ita explicat: *Latus*, inquit, *colonus & Latinus libertus apud JCtos à Laten / dicuntur, quod à veteribus Saxonibus regione recens potitis iisdem locis sint relicti, ut terram, tanquam tributarii & conductitii colerent, aut quod manu missi & libertate donati sint.* Hæc Kilianus.

26. Sanè Glossa speculi Saxonici in prius etymon consentit Landr. lib. 2. art. 59. in gl. col. 2. Sed & gl. Weichbild art. 50. Lassen seynd diese / die von denen kommen / die unsere Eltern vor alter Zeit liesen sitzen / do Sie die Düringischen Herren schlugen und vertrieben / ut Landr. lib. 3. art. 42. Sed posterius verius est, quod agnoscit & ipsa glossa Weichbild d. loc. Ihr solt wissen / diese Lassen waren eigen / und da die Lande besetzet wurden / da war den eigen gegeben vielerley Gnad. Iidem erant qui & Lidi, Liti, de quibus Lindebrogius glossario LL. antiq. Pontan. de orig. Franc. lib. 6. c. 15. dicti à Lyden / leiden / tolerare. Wendelinus Glossario Salico, in Lidus, quod à victoribus tolerati, ut Gabaonitæ inter Israëlitas.

27. His adsimilant, qui Gallis Manus mortuæ dicuntur, exinde, quod manum quidem habeant, id est, potestatem & administrationem, sed mortuam & inefficacem, ut vult Heraldus *rer. quot. c. 10. §. 13. & lib. 2. rer. jud. c. 17. n. 10.* Quod non placet. Quæ enim efficacior & magis viva censeri manus debeat, atque quæ in ipso opere & administratione operosa est? Quapropter rectiùs ita dicti videntur à veteri quodam jure dominorum in ser-

vos

vos, quo optimum pignus ex ipsorum morientium domibus exigebant, & si nihil tale requirent, manus defuncti abscissa offerebatur; quam legem Albero Episcopus Leodiensis sustulit, ut est in chronicô Belgico & in appendice ad Marianum c. 28. quod erat servitutis præteritæ argumentum. Vide *Cir. Obs. lib. 2. c. 10.*

CAPUT III.
De Beryto Metropoli.

Conspectus.

1. Imperii Romani divisio. Diœcesis. Quis auctor.
2. Orientalis pars per Præf. Præt. Ori. gubernata. Ejus quot diœceses. Occidentis diœceses. Metropolis Italiæ. Quæ Metropoles Germaniæ.
3. Singular. diœces. metrop. Antiochia Orientis &c.
4. Antiochenses invisi Hadriano.
5. Tyrus Phœniciæ Metropolis. Pauli Tyrii Rhetoris opera.
6. 7. Tyrus colonia Jur. Italici, Ulpiani patria.
8. 9. Altera Phœniciæ metropolis, Berytus à Theodosio & Valentiniano. Phœniciæ duæ, quando factæ.
10. 11. Lis inter Ecclesiam Berytensem & Tyrensem. Quomodo decisa.
12. Thessalonicensi ademtæ Ecclesiæ, datæ Justinianæ primæ.
13. Phœnicæ Libani metropolis Berytus. Alterius Tyrus.
14. 15. De Libano monte. Aphaca. Simulacrum Veneris. Macrobius emendatus.
16. Heliopolis.
17. Jura Metropolium. Metrocomiæ.
18. Jus Sax. de Metropol.
19. Metropoles Ecclesiæ.

I.

Notum est, Imperium Romanum in duas velut plagas, Orientem & Occidentem fuisse divisum. Utrumque in spacia alia maxima, quas diœceses, sed & tractus dixerunt, ut in *L. ult. C. de temp. & repar. appel. L. 11. C. de fund. patrim.* aliquando etiam regiones. Quod inventum à Constantino M. fuerat. Διοίκησιν finit Balsamo, πολλὰς ἐπαρχίας ἔχουσαν ἐν ἑαυτῇ, multas sub se provincias complectentem. Et Orientalis quidem per Præfectum prætorio Orientis regebatur, & in quinque diœceses, Orientem, Ægyptum, Asianam, Ponticam & Thraciam dividebatur. *L. 2. C. de milit. veste L. 2. C. Ut nemo ad suum patro-*

 cin.

cin. Notitia Imperii Orient. Bertherius pithanon. p. 12. Sic & Occidens sex habebat dioeceses, Italiam, Illyricum, Africam, quas Præfectus prætorio Italiæ, Gallias, Hispanias & Britannias, quas Præfectus prætorio Galliarum administrabat. Italiæ Metropolis, Mediolanum erat. Vide dissertationem nostram de Præfecturâ Urbicariâ, *ad §. 1. num. 7.* Gallicarum Augusta Trevirorum, ut vult *Berther. p. 27.* Porrò & singularum provinciarum in quâlibet dioecesi sua erat Metropolis, quas notatas vide in libello provinciarum Imperii Romani ab Andreâ Schotto edito. Sic in Germaniâ primâ, provinciâ dioeceseos Galliarum, Metropolis erat Civitas Maguncia censis. In Germaniâ secundâ Coloniâ Agrippinensium. Diviserat enim Augustus terras ad Rhenum in tres provincias, quarum prima Maxima sequanorum audiebat: Altera Germania prima, **Oberteutschland/** Tertia Germania secunda. *Vide Amm. Marcellinum lib. 15. Dion. lib. 53. Ptolmo. lib. 2.* Sed revertamur ad Orientem, qui quindecim provinciis constabat, in quibus & Syria Phoenice.

3. Singulis his quoque dioecesibus sua erit Metropolis, urbs princeps & reliquarum caput, qualis ab initio in Oriente erat Antiochia, ut ex Hieronymo ad Pammachium constat. Verba Hieronymi ita habent: *Palæstina metropolis Cæsarea; Totius Orientis Antiochia.* Chrysostomus *homil. 3. ad popul. Antioch.* Civitatum, inquit, sub Oriente positarum caput & mater est civitas nostra. Et Epiphanius ad Hormisdam, Antiochiam civitatem maximam, quæ in orientali dioecesi prima sit, usurpat. Ægypti metropolis erat Alexandria, Ephesus Asianæ, Ponticæ autem Cæsaream fuisse *Bertherius pithan. p. 14.* putat: Macedoniæ Thessalonica. Daciæ nullam fuisse ait Bertherius *p. 16.* cui serò tandem Justinianus, patriam suam, quam Justinianam primam appellavit, Metropolin esse voluit, additâ etiam secundâ Pannoniæ parte. Memoratur & Germana Metropolis inter Thraciam & Illyricum sita, in Orientalium Pontificum sanctionibus, quam dubitat Ortelius utrum Germanopolis Ptolomæi sit, quæ Germana, an Germania, Belisarii patria fuit. Ut forsan errent Giphanius JCtus & Welserus in antiquitatibus Augustanis, qui Germaniam Europæ partem intelligunt, & Belisarium Quadum faciunt. Vide Procopium I. Vandal.

4. Cæ-

4. Cæterum cum Antiochenses valdè invisi essent Hadriano Imperatori, contigit, ut Syriam is à Phœnice separaret, ne tot civitatum metropolis Antiochia posthac diceretur, ut habet Spartianus.

5. Et ab hoc tempore Phœniciæ metropolis Tyrus effecta est. Quod Pauli Tyrii Rhetoris precibus, cum ad Hadrianum in causâ patriæ legatus esset, obtinuisse Tyrum Suidas mihi auctor est.

6. Quam Tyrum splendidissimam juris Italici coloniam salutat Ulpianus. *l. 1. pr. ff. de cens.* & inde originem sibi fuisse tradit.

7. Actione IX. concilii Chalcedonensis vocatur Metropolis consularis. Et rectè: Phœnice enim ut docet Notitia Imperii Orientalis erat provincia consularis, cujus metropolis Tyrus.

8. Et hactenus unica Phœnice metropolis. Sed postea à Theodosio & Valentiniano data & altera est, nempe Berytus nostra, ita ut una provincia duas matres acciperet, ut testatur *l. sing. C. de Metrop. Ber.*

9. Neque tamen crediderim, illico hoc tempore, cum Berytus metropolis efficeretur ab Impp. Theodosio & Valentin. duas ex una Phœnicas factas. Hujusque meæ opinionis fundum habeo, quod Impp. *de l. sing.* dicunt, se Beryto Metropolitanam dignitatem conferre, ut Tyro nihil de jure suo derogetur. Sed hæc mater sit majorum; Berytus autem ipsorum beneficio & utraque simili dignitate perfruatur. At hæc ita sollicitè non opus fuisset caveri ab Impp. si duæ Phœnicæ factæ fuissent, singulis suâ metropoli datâ. Satis enim fuisset certum Beryto in parte provinciæ duntaxat jus metropoliticum accipiente, in reliqua parte Tyrum matrem mansuram fore. Confirmat me amplius exemplum Ponticæ, cui uni indivisæque binæ matres datæ, Amasia & Neo-Cæsaréa, ut testatur Justinianus noster *Nov. 28. C. 2.* Et Cappadociæ, quæ simul & Cæsaream & Tyanam matres venerata fuit. Quare eò labor, ut concludam, serò & paulò ante finem principatus Theodosii Junioris factum fuisse, ut Phœniciæ duæ fierent, quarum recentior cum adjectione dicta fuit Phœnice ad Libanum, uti ita salutatur à Justiniano nostro, *edicto IV.*

10. Causa mihi non una est. Primum enim reperio in Noticia Orientis manifestò nominari Phœnicas duas, quam Noticiam circa finem Imperii Theodosiani concinnatam esse eruditis constat. Deinde vel maximè conjecturam nostram firmat contentio, quæ fuit Ecclesiam Berytensem inter & Tyrensem.

11. Orta fuit illa occasione divisæ Phœnices. Quâ divisione ab Imperatore factâ Ecclesiæ Tyriæ à Berytensi aliquot suffraganei auferebantur. Et excusabat hoc factum suum Eustochius Berytensis Episcopus Episcopo Tyrensi Photio, quod jura Ecclesiæ Tyriæ minimè invasisset suo ausu, sed lege Imperatoris, penes quem esset metropoles facere. Consuetudinem enim semper fuisse, ut quæ civitas ab imperatore in temporalibus facta esset metropolis, ipsius etiam Ecclesia in regimine Ecclesiastico jus metropoliticum consequeretur. *Vide Balsam. ad syn. Chalced. can. 29. p. 352.* Quæ controversia concilio Chalcedonensi sessione V. fuit decisa. At hoc concilium Marciani Imperatoris, qui proximè Theodosium secutus, anno I. fuit celebratum, ut paulò antea proinde divisam fuisse Phœnicem oportuerit. Summa decisionis hæc fuit, ut jus antiquum Tyrio Metropolitæ conservaretur, ne hierarchia confunderetur. *Vide jus Græco-Rom. tom. 1. p. 277.* Quod si verò posthac Imperatores suâ divisione suam cuique Metropolitano provinciam propriam assignaturi sint, merito Episcopos acquieturos esse.

12. Quod & postea servatum. Nam Justinianus nemine contradicente Thessalonicensi metropoli Ecclesias quasdam ademit, & primæ Justinianæ subjecit. *Nov. XI.*

13. Duæ ergo demum factæ fuerunt Phœnicæ, quarum altera, Libano monti vicina, Phœnice Libani seu Libanica metropol. Berytum acciperet, altera Tyrum pristinam retineret. Quò pertinet illud Nonni lib. 41. Dionys. *ἣν μετάνασται*

Ἶτες Αὐσονίων ἐστατήια Φέγγεα ῥώμης

Βηρυτὸν καλέουσιν, ἐπεὶ Λιβάνῳ πέσε γείτων.

14. Celebris & non ignotus vel ex sacris mons Libanus esse potest, cui nomen ab albore, quippe in cujus vertice nives tàm perpetuæ, quàm in jugis Alpium sunt, teste Hieronymo in Jeremiam *lib. IV.* Imò si credimus Joh. Phocæ *ἐκφράσει, κορυ-*

φόθεν

φόθεν μεχρὶ περὶ πόδων συρμάδας χιόνος ὡς βοστρύχους περιβαλλόμενος, à vertice ad pedes tanquã nivis syrmate seu tractu circumdatus est. Faciunt hunc montem & Aphaca celebrem, qui est locus ad Libanum, templo Veneris clarus, quod templum Constantius evertit, ut tradit Eusebius, *vitâ Constantini lib. 3.* Meminerunt ejus Socrates *lib. 1. c. 18.* Sozomenus *lib. 2. c. 5.* Tripartita *lib. 2. c. 20.* simulacrum ibi Veneris fingebatur capite obnupto, specie tristi, faciem manu lævâ intra amictum sustinens, & lacrymæ visione conspicientium manare videbantur, ut refert Macrob. *Saturn. lib. 1. c. 27.* Apud quem adeo non Architis, sed Aphacitis Venus legendum rectè monuit Seldenus de DIs Syris.

15. Ita enim Zosimus *lib. 1. hist.* Ἄφακα χωρίον ἐστὶ μέσον Ἡλιοπόλεώς τε καὶ Βίβλου, καθ' ὃ ναὸς Ἀφροδίτης Ἀφακίτιδος ἵδρυται. Narrant Zosimus & Sozomenus juxta fanum idoli ignem instar lampadis aut globi conspici, quoties statutis temporibus ibi conventus habeantur: Itemque circa fanum lacum reperiri, in quem in honorem Veneris injecta aurea argenteaque donaria, siquidem accepta essent, natare gravia, levia autem demergi.

16. Prope Libanum Heliopolis est, mulieribus insigniter speciosis nobilitata, quam incomparabilem formæ gratiam cultui Veneris acceptum referri debere censet Geographus Anonymus, cujus ab initio meminimus.

17. Restat ut videamus de Metropoleon jure. Urbes distinguebantur Romanis in maximas, majores, & minores. *L. 6. §. 2. ff. de Excus. tut.* quorum quæ maximæ, metropoles erant. Dicebantur & provinciarum capita *l. 7. ff. de O. Procons. & L.* Ammiano, matres urbium, Sallustio, origines nuncupantur. Quemadmodum Metrocomiæ, quasi vicorum matres, villæ scilicet majores, quæ plura castra, burgos, vicos complectuntur. *L. fin. C. T. de patroc. vic.* Ut Cujacius sentit. At verò Jacobus Godofredus Metrocomias interpretatur, vicos principes seu publicos, qui non uni domino, sed imperio immediatè suberant per *l. ult. C. Th. de patrocin. vic.* In quibus vicis vicani seu rustici propria possidebant. *L. 5. C. Th. de patroc. vic.* Vide Godofr. notis *in Liban.* περὶ τῶν προστασιῶν *p. 6.* In illis vacationem munerum habebant decem Medici, Rhetores quinque, & totidem Grammatici. *d. §. 2.* Vi-

Vide egregiè hæc exponentem Cujac. *ad tit. de Excus. tut.* Deinde hanc quoque habebant prærogativam, ut Rectores provinciarum Româ missi eos attingere cogerentur. Sic enim Imperator Antoninus Augustus ad desideria Asianorum rescripsit, Proconsuli necessitatem impositam per mare Asiam applicare καὶ τῶν μετροπόλεων Ἔφεσον primam attingere. *L. 4. §. 4. ff. de Off. Proconf.* Sedes ibi habebant provinciæ Præsides Vicarii, Rectores. Tacitus *lib. 4. hist.* refert tempore Vitellii & Vespasiani Julium tutorem ripæ Rheni præfectum fuisse. Sub Domitiano Lucius Antonius Præses superioris Germaniæ à Suetonio salutatur, *Domit.* sub Valeriano & Gallieno. Posthumus transrhenani limitis Præses fuit. Trebel. Pol. In Notitiâ imperii habetur, hunc Præsidem Maguntiaci sedisse.

18. Jure Saxonico, Weichbild art. 11. secundum glossam soll in allen Landen die älteste Stadt des Reichs ein Haupt seyn des Rechten.

19. Denique vetus Ecclesia, ut ordinis studiosissima, ita πολιτείας suam ad civilem Reip. Romanæ formam constituit. Ita enim definitum concilii Chalcedonensis *canone 17.* τοῖς πολιτικοῖς καὶ δημοσίοις τύποις, καὶ τῶν ἐκκλησιαστικῶν ἡ τάξις ἀκολυθείτω. Quare ut in Imperio R. varii magistratuum gradus exstitere: Ita & in Ecclesia Episcoporum varii gradus. Præter enim singularum civitatum Episcopos, Episcopis quibusdam singulæ provinciæ, aliis plures cesserunt, quæ plurium provinciarum administratio Diœcesis, & Episcopi ipsi diœceseon Exarchi & Patriarchæ & Primates dicebantur. Vide Godofr. *de suburb. reg. Lebman. chron. Spri. lib. 1. p. 91. Laz. de Rep. R. lib. 2. c. 2. Scal. 2. Epist. 184. Salmas. de primatu Pap. pag. 162. M. Ant. de Dom.*

CAPUT IV.

De Beryto Academiâ.

Conspectus.

1. Academiæ dignitas poscit, ut in loco amœno ponatur.
2. Pontifices Academiis celebrandis privilegia non dederunt antequam Episcopi vicini testati fuerint, de loci commoditate.
3. Mores civium considerandi, ubi Academia erigi debet.
4. Stenonis Bielkenii sententia, de moribus oppidanorum, Academiam recepturorum, insignis & graphica.

5. Phœ-

5. Phœnicia inventrix literarum. Eupolemus, quid scripserit. Zeno, Poëta.
6. Sanchoniathon, quando vixerit. Philo Byblius.
7. Valerius Probus, Egnatius Celer, Berytii. Item Lupercus, Mnasea.
8. Salvator noster an Beryti docuerit.
9. Miraculum, quod circa iconem Salvatoris Beryti contigisse fertur.
10. Inquiritur in sermonem quemdam, qui Athanasium auctorem præfert.
11. Conjectura, quo tempore studium juris Beryto illatum. Laus Giphanii.
12. Rejicitur Giphanii sententia, docendæ Beryti Juris prudentiæ auctorem Severum facientis.
13. Alciati, Corrasi, Cagnoli, Brodæi error circa Julianos, JCtos.
14. Hermippus Berytius. Alius, Smyrnæus. Berytius quid scripserit. Taurus, Berytensis. Strato Beryti. unus de octo Stratonibus, quos Laertius numerat. Sed quintum omittit, restitutum à Dn. Reinesio. Dionysius Berytensis.
15. Seculo 3. floruit juris studium Beryti. L. 1. C. qui ætat. aut prof. se excus. Scholares Arabiæ, intelliguntur Arabes. Emendatio inscriptionis d. l. 1. tentata à quodam Viro Clarif. non recipitur.
16. Seculo quarto quomodo jus floruerit Beryti: Vixit Geographus tum, à Godofredo novâ versione ornatus.
17. Auditoria juridica Beryti.
18. Magistratus Romani plerumque juris ignari.
19. Assessores jus suggerebant.
20. Alipius, Augustini æqualis, assessor. Assessorum alia vocabula.
21. Libanius invidet Juris Doctoribus Beryt. frequentiam auditorum.
22. Hoc seculo terræ motu Berytus concussa & penè eversa.
23. Seculo V. & sexto Berytus viget.
24. 25. Professores Juris tum temporis Beryti, Dorotheus, Anatolius.
26. Illustrium titulo an Professores Juris tum honorati.
27. Jus etiam alibi docebatur.

I.

SEd satis de loco, quem sedem sibi juris R. schola delegit, si quisquam per Orbem amœnissimo elegantissimoque. Ut credam ipsam Themidem, cum musæum Romani juris studio circumspiceret, Berytum Pallade cum Musis ac Gratiis, omnibusque adeo Veneribus consuadentibus sibi elegisse. Nempe tales sibi sedes postulat Musarum dignitas.

2. Liquet ex veterum monumentis, non ante olim Germaniæ Principes facultatem condendæ Academiæ à Pontifice impetrasse, quàm Episcopi vicini, ab iisdem missi inquisiverint in-

naturam loci, & aëris temperiem, & mores incolarum & dotis cógruæ constitutionem, & alios reditus, ex quibus salaria Professoribus præstari queant, ait Joachimus Stephani apud Cothmannum *Resp. 24. n. 34.* Certè Æneam Sylvium, quo tempore Basileæ concilii causâ esset, amœnitate & salubritate loci delectatum, cum postea Pontifex, & quidem Piorum non nisi alter factus esset, Academiam ibi condidisse refert Josias Simlerus *de Republ. Helvetiorum lib. 2.*

3. Sed & mores oppidanorum, ubi Academia fixura lares est, non alienos esse oportet à scholarium ingenio & moribus, inquit Petrus de Vineis *lib. 3. Epist. XI.*

4. Quis enim ibi literis & earum cultoribus credat jocundum, aut diuturnum fore domicilium, ait illustris Steno Bielke, dissertatione de Academiis, moderante Lansio habitâ, ubi Professores & studiosos passim inhumaniter licet excipere, vulnerare, occidere, sæpe etiam vilissimis hominibus impunè licet? quod de Pictaviensi & aliis Universitatibus testatur Petrus Rebuffus; & dicit amplius, hodie multas civitates insurgere contra Universitates, quas apud se habent; non agnoscentes, quid honoris bonivè occasione illarum accedat; ideoque tales civitates ob ingratitudinis crimen Universitatibus privandas esse censet. *in Interpret. d. Auth. Habita.* Regnante in Anglia Joanne rege tria millia Studiosorum fuerunt Oxoniæ: qui tamen omnes ad unum hinc partim Readingum, partim Cantabrigiam demigrârunt; quòd in Studiosam hanc hominum nationem cives Oxonienses iniquiores viderentur. *Guil. Camden. in descript. Britan. ult. edit. p. 269.* Sic & in Galliis sub imperio Ludovici IX. cum cives Parisienses Studiosorum nonnullos indignis modis pulsarent & occiderent, conquerente ordine Scholastico de istis acceptis injuriis sibi non satisfieri, tanta florentissimæ & frequentissimæ Universitatis mox consecuta est dissipatio, ut solitudo exiliumque literis indictum Lutetiæ videretur. Anglus Rex itaque propositâ ingentium præmiorum, honorum, vacationum, emolumentorumque spe aliquot millia Scholarium Parisiensium Oxonium elicuit. At Rex Ludovicus, qui non minùs literis quàm armis regni Gallici gloriam & tranquillitatem contineri sciebat, regiæ urbis cives ad offici-

ſcium colendosque Doctores & Diſcipulos revocavit, atque ita ingenuis artibus ſuum ſplendorem decusque reſtituit. *Paul. Æmylius de reb. geſt. Francor. lib. 7. in vit. D. Ludovici. Joan. Tillius in Chron. de Regib. Francor. An. Chriſti 1232. Rob. Gaguinus Hiſt. Franc. in D. Ludov.* Et habent ſanè civitates urbesque, in quibus Academiæ habitant, cauſas gravisſimas, cur iſtas obviâ humanitate & omnibus officiis ſibi concilient, adeoque Studioſæ juventutis ſubinde æſtuantis facta benignisſimè interpretentur. Ab Academica enim converſatione & convictu emolumenta fluunt penè innumera. Hinc Religionis purior cultus, Juſtitiæ accuratior adminiſtratio, cura valetudinis exquiſitior, præparatio animorum ad ſapientiam melior, civilitas morum, ingentes opes (nam ſi ſeptingenti ſaltem aut octingenti Studioſi Academiæ cujusdam, quæcunque tandem illa fuerit, ſint alumni, non dubitem affirmare, centum aureorum millia quotannis eò deportari. *Wolf. Heider Orat. 1. de vulpecul. Scholaſt.*) mercatura opimior, ſplendida ædificia, matrimonia & affinitates honorificæ, & nominis pervulgata celebritas. *Cothman. Acad. Reſp. 1. num. 349. & ſeq. Mart. Chemnitius apud Cothman. Acad. Reſp. 23. n. 20. 21. 22. 23.* Et quot, quæſo, in Germania, Gallia, Italia, & Polonia, ſunt oppida, quæ ante Gymnaſia literarum ibi conſtructa tam obſcura fuerunt, ut Geographi ea in tabulis ſuis vel exiguo aliquo punctulo noluerint dignari; quæ tamen poſtea ad tantam magnitudinem ex ſolo Studioſorum concurſu Academiæ claritate excreverunt, ut nunc cum præcipuis urbibus certent. *Hipp. à Collib. de increm. urb. cap. 11. Petr. Gregor. de Republ. lib. 18. cap. 6. num. 6.* Quæ bona ex commercio Academico in civitates & urbes redundantia qui civis non penſitaverit & æſtimaverit, ingratisſimus, aut aſinus & ſtipes ſit neceſſe eſt. Sed in Phœnicen redeo, Academiam nunc demum poſt urbem contemplaturus.

5. Et initiò ſcriptorum veterum unanimi conſenſu reperio Phœniciam à reliquis gentibus magnâ inventarum literarum gloriâ celebrari. Eupolemus, qui teſte Clemente Alexandrino περὶ τῶν ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ βασιλέων librum ſcripſit, ait: Τὸν Μωϋσῆ πρῶτον σοφὸν γενέσθαι, καὶ γραμματικὴν πρῶτον τοῖς Ἰουδαίοις παραδοῦναι, καὶ παρὰ Ἰουδαίων Φοίνικας παραλαβεῖν, Ἕλληνας δὲ παρὰ Φοινίκων.

Zeno, Poëta, in quodam anthologiæ carmine seu epigrammate:

Εἰ δὲ πάτρα Φοίνισσα, τίς ὁ φθόνος; ἦς καὶ ἀπὸ Καδμος,
Ἀφ' οὗ τὴν γράπτην Ἑλλὰς ἔχει σελίδα.

Et Lucianus:

Phœnices primi, famæ si credimus, ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris.

Plutarchus *lib. de aq. & igne*, oceanum ait literas contra oblivionem attulisse. Tac. *lib. 11.* Famam, ait, Cadmum classe Phœnicum vectum, rudibus adhuc Græcorum populis artis ejus auctorem fuisse. Curtius *lib. 4.* hanc gentem literas primum aut docuisse, aut didicisse. Pomponius Mela *lib. 1. c. 12.* Phœnices appellat solers hominum genus, ad belli pacisque munera eximium, literas & literarum operas, alias etiam artes, maria navibus adire, classe confligere, imperitare gentibus, regnum præliumque commentas esse. Ut jam quæ Diodorus Siculus lib. 3. Plutarchus *sympos. lib. 9. q. 2. & 3.* Victorinus *lib. 1. de orthographia*, Isidorus *orig. 1. c. 3.* Suidas in γράμμα & Κάδμος & Φοινικήια γράμματα in hanc rem habent, consultò prætercam.

6. Sanè jam belli Trojani tempore vixit Sanchoniathon, civis Berytius, qui Phœnicum historiam linguâ patriâ, itemque Theologiam Phœnicum scripsit, quos libros Philo Byblius in Græcam linguam transtulit, teste Porphyrio *lib. 2.* περὶ ἀποχῆς. Theodoretus *therapeut serm. 2.* ait Sanchoniathonem istum magnâ admiratione à Porphyrio coli. Idem *libro 3.* ex Sanchoniathone refert, ut Saturnus & Rhea homines fuerint, Jovis & Junonis Parentes, atque ob beneficia à Phœnicibus post obitum aris & sacrificiis annuoque epulo fuerint honorati. Seculo christiano primo illustres Berytios numerandus venit M. Valerius probus Grammaticus. Hieron. in chron. sub anno 2. Neronis. Sueton. de illustribus Grammat. ad quem vide Vinetum. Item P. Egnatius Celer Philosophus Stoicus, amicus & magister Bareæ Sorani, delator ad Neronem. Vide Xiphil. & Tac. 4. histor.

7. Porrò sub Antigono Syriæ præfectus fuit Hieronymus Ægypti, quem loco non uno citat Josephus. Meminit & Lucianus, libro de longævis. Is libros de rebus Phœnicum scripsit; floruitque

que circa olympiadem CXX. Tempore Claudii Cæsaris fuit Lupercus, Grammaticus Berytius, Suidâ teste, quem multa composuisse refert, interque ea κτίσιν τῆς ἐν Αἰγύπτῳ Ἀρσινοήτου. Meminit & Mnaseæ Berytii Suidas, quem de arte dicendi & verbis atticis scripsisse ait, sed quo tempore incertum. Josephus Scaliger in conjectaneis ait, hunc Phœnicum res complexum fuisse, atque ipsum etiam nomen Mnasea, hoc est, Manassis Phœnicium esse. Confer Dn. Reinesium lib. 3. var. 3. pag. 384. Fuere & alii hujus nominis, inter quos præ reliquis celebratur Mnaseas Patarensis. Alius Colophonius aut Locrus, qui pægnia edidit, ex Athenæo lib. 7. notus est. Adi etiam Vossium *lib. 1. de Hist. Græc. p. m. 134*. Quis ergo dubitet, literarum artiumque gloria, quin Beryto ingenita, & velut domestica, atque cognata fuerit.

8. Quod si idoneo aliquo auctore probari possit, quod Breitenbachius aliique narrant, Dominum nostrum Salvatorem Beryti docuisse, jam nihil esset, quod ad cumulum gloriæ Academiæ hujus accedere magnificentius atque illustrius posset. Nec fidem tamen ei temere derogem cum proditum sacris monumentis sit, in finibus Tyri & Sidonis Salvatorem egisse ac docuisse. Johannes Phocas, qui ad loca sancta visit Anno Christi 1185. testatur extra urbem Sidonem, ad trium sagittarum jactum in templi cujusdam mutilo quadratum inhærere lapidem, in quo, plurimorum famâ, Salvator stans turbam docuerit. Idem circa Tyrum monstrari saxum prægnum, in quo Dominus quiescens Petrum & Johannem Apostolos in civitatem miserit ad emendos panes. Quibus redeuntibus & cum Salvatore ad vicinum fontem, mille non amplius passibus distantem profectis, Dominum fonti benedixisse. Vide quæ ibi de fontis amœnitate & structurâ mirabili refert plura.

9. Hoc, antequam ad juris studium transeam, omninò memorandum mihi est, quàm stupendum Beryti accidisse miraculum, circa imaginem Salvatoris feratur. Cum enim Judæi ligneam illam Dn. nostri, casu ibi repertam iconem, quam Nicodemus olim suis sculpserat manibus, illuderent, & post sputa, colaphos, flagra, omne denique ignominiarum genus, quod Salvatori ipsi vivo patres eorum intulerant, ferreis clavis imaginis manus pedes-

que, ac latus lanceâ foderent, continuò copiosi sanguinis & aquæ ex eâ rivulos emanasse, cujus unctione cum varii paralytici, cæci, claudi, surdi, leprosi mox sanitati restituerentur, signis tam admirandis visis, omnes qui in civitate erant Judæos fidem Christi amplectentes ab ejusdem urbis Episcopo baptismi gratiam suscepisse. Referunt hanc rem præter Breitenbachium & Borcardum Monachum, aliosque etiam Eugesippus *de distantiis locorum terræ sanctæ*, quem *Leo* Allatius edendum dedit inter Σύμμικτα Bartoldo Nihusio, & Willebrandus Comes Oldenburgicus, Episcopus Paderbornensis & postea Ultrajectinus in *Itinerario terræ sanctæ*, quo anno 1211. iter suscepit. Exstat etiam de hoc miraculo sermo sub nomine Athanasii, Episcopi Alexandrini, qui in septimo generali concilio, Nicæno secundo, actione quartâ ad confirmandam & stabiliendam sacrarum imaginum venerationem coram trecentis quinquaginta Episcopis lectus esse fertur. Borchardus, Mon. Dominicanus, anno 1280. in Palæstina peregrinatus, in descript. Terræ s. c. 2. p. 9. Procedenti ultra Sidonem novem leucas offertur nobilis & antiqua civitas Berytus, in qua famosum est Salvatorem nostrum declamasse & docuisse. Illic Judæi cœci ex invidia agitati imaginem Jesu benedicti in cruce pendentis ex farina & aqua confinxerunt, cui illudentes eam demũ crucifixerunt, sanguinis ab ea copia magna effluxit: qui intẽpestate nostra pluribꝯ in locis maxima devotione colitur. Sed credat, qui volet. Ego cras credo, hodie nihil.

10. Titulus enim huic libro olim præfigi solitus refert hanc historiam, ne fabulam dicam, ad tempora Constantini senioris & Irenæ uxoris ejus. Et enim auctor narrat id accidisse diebus vitæ suæ. Quod si is Athanasius sit, resuscitatum & è sepulcro evocatum oportuit eum, cum per aliquot annorum centurias fuerit mortuus, priusquam Constantinus VII. nasceretur. Deinde Athanasius & concilium II. Nicænum tàm inter se tempore conjuncta sunt, quam Berytus & Brunsviga loco. Sed pergo.

11. Itaque Phœnicia cum naturâ & industriâ studiis liberalibus dedita esset, facilè animum induco, ut credam, ex quo Syria in Romanorum potestatem concessit, Phœnicen in societatem cæterarum disciplinarum, juris quoque scientiam adscivisse, eique domicilium ac lares proprios Beryti dicasse. Satis enim con-

constat, scholam juris Berytensem omnium esse antiquissimam. Giphanius JCtus, omni literarum ac scientiarum genere excultissimus, quem non immerito Germaniæ Cujacium indigitare possis, conjicit, ab Imperatore Severo ei jus publicè docendi privilegia primum fuisse concessa. Cujus conjecturæ idoneam adhuc requiro rationem. Nihil enim hactenus reperire potui apud hos, qui de vitâ Severi scribunt, quod facere huc vero similiter possit.

12. Exstat epigramma Græcum statuæ cujusdam Juliani JCti inscriptum, ut indicat Alciatus & se legisse ait *lib. 2. disp. c. 27.* quod ita habet:

Τοῦτον Ἰουλιανὸν, νομικῆς φάος εἶπον ἰδοῦσαι
Ῥώμη καὶ Βηρύτη, πάντα φύσις δύναται.

Et vult Alciatus, id de Salvio Juliano, JCto ex pandectis nostris celeberrimo, Edicti perpetui conditore, accipiendum esse. Id quod si certum esset, jam constaret Berytensem Academiam protinus seculo secundo juris disciplinâ floruisse. Sed errat doctissimus Consultus, & qui eum sequuntur Corrasius & Cagnolus de orig. Jur. n. 606. & quod miror inprimis eruditissimus anthologii scholiastes, Joh. Brodæus, Sic *varam nempe vibia*. Errant, *inquam*.

13. Nam auctor hujus epigrammatis, quod *lib. 4. anthol. t. i. extat*, est Theætetus & Juliani honori id scripsit, qui tempore Justiniani nostri vixit. Is est antecessor Constantinopolitanus, qui Novellas Justiniani vertit, non quidem integras & ad verbum, sed in epitomen contractas. Fuit is Græcè & Latinè doctissimus, qui tandem & Consul & Patricius ob ingenii claritudinem factus.

14. Sed hoc indubium est, Hermippum Berytium hoc seculo floruisse, Philonis Biblii discipulum, nominis claritate insignem, quem multa scripsisse Suidas in Ἕρμιππος refert. Citat & Hermolaus Byzantius περὶ πόλεων in Βηρυτός. Inter alia ex Tertulliano *lib. de anim. c. 26.* constat, eum somniorum historiam libris quinque comprehendisse. Hermippi etiam opus περὶ νομοθετῶν, *de legislatoribus* citat Origenes contra Celsum lib. 1. Sed forsan is alius est Hermippus Berytio vetustior, nempe Hermippus

Smyr-

Smyrnæus Callimacheus, cujus multa circumferuntur historica. Meliori ratione adſcribas Berytenſi opus περὶ τῶν διαπρεψάντων ἐν παιδείᾳ δούλων de ſervis eruditione claris è cujus ſecundo quædam citat Suidas, in πόρος. Scripſit idem Berytius etiam περὶ τῆς ἑβδομάδος, ſeu de virtute numeri ſeptenarii, allegatus à Clemente Alexandrino Strom. lib. 6. Patet autem inde, eum hoc tempore inclaruiſſe, quod Stephanus Byzantius æqualem Nicanori, Hermiæ filio, Grammatico Alexandrino faciat, & addit Nicanorem ſcripſiſſe ad Hadrianum, qui Hadrianus vix alius quàm Imperator eſſe poteſt. Eodem tempore floret & Taurus Berytius, Platonicus, quem refert ad annum Chriſti 145. Euſebius. Et is eſt, quem toties Gellius celebrat. Fuit & Strato quidam Berytius, Medicus, cujus medicamentum contra epiphoras laudat Galenus de compoſ. med. ſ. l. c. 7. n. 5. Et hunc eſſe quintum de octo Stratonibus, quos Diogenes Laërtius numerat, ap. quem tamen quintus deſideratur, loco haud dubiè mutilo, Dn. Reineſius, qui & hunc Berytium mihi per epiſtolam demonſtravit, eruditè conjicit. Veriſimilior certè hæc aliorum conjectura, qui Stratonem quendam Ameſenum ſub Tiberio ex Suidâ ſubſtituunt, Geographum. Quo de vide Voſſ. de hiſt. Græc. p. m. 130. lib. 1. Ad hæc tempora referendus videtur Dionyſius Berytenſis, quem marmor ex Oriente in hortos Arundel. advectum exhibet iſtud:

ΔΙΟΝΙΣΙΟΣ ΖΗΝΩΝΟΣ
ΤΟΤ ΘΕΟΔΟΡΩΤ ΒΗΡΤΤΙΟΣ
ΕΤΕΡΓΕΤΗΣ
ΘΕΟΙΣ ΠΑΤΡΙΟΙΣ. Pertinet, ut videtur, ad tempora Antoniniana, factum honoribus Dionyſii cujusdam. Ευεργέτης dignitatis nomen eſt, quâ in quibusque collegiis adficiebantur potiores, uti προστάτου, προέδρου, Φροντιστοῦ.

15. At verò ſeculo tertio jam inſigniter ſtudio juris floruiſſe Berytum colligo ex *l. 1. C. Qui æt. vel prof. ſe excuſant.* Ibi enim Impp. Diocletianus & Maximianus reſcribunt in hæc verba:

Cum vos affirmetis liberalibus ſtudiis operam dare maximè circa juris profeſſionem, conſiſtentes in civitate Berytiorum, provinciæ Phœniciæ: Providendo utilitati publicæ, & ſpei veſtræ, decernimus, ut ſinguli usque ad viceſimum quintum annum ætatis

tis suæ studiis non avocentur. Hæç Impp. rescribunt cuidam Severino, & aliis scholaribus Arabiæ. Causa supplicandi erant, quod à studio juris avocarentur in patriam, ut ibi muneribus personalibus defungerentur.

Appellantur scholares Arabiæ, id est, ex Arabia oriundi. Et frustra est vir quidam clarissimus, qui non Arabiæ, sed Phœniciæ, contendit legendum. Nec ad rem facit, quod ait, Berytum non Arabiæ sed Phœniciæ urbem esse. Poterant enim in urbe Phœniciæ studiorum causâ consistere Arabes. Et id est, quod dixi, scholares Arabiæ non intelligi in Arabia degentes, sed in Arabia ortos; Arabes, sed in Phœnicia juri studentes. Sed ait vir doctisfimus, Arabiam Imperii R. tum quidem partem non audivisse. Quod valdè miret. Jamdudum enim sub Trajano Sextus Rufus *breviario* auctor est, Armeniam, Mesopotamiam, Assyriam, & Arabiam provincias factas, limitemque orientalem supra ripam fluminis Tigridis constitutum. Et quamvis Hadrianus successor Trajani, hujus invidens gloriæ, sponte suâ Armeniam, Mesopotamiam & Assyriam reddiderit, mediumque inter Persas & Romanos Euffratem esse voluerit, Arabiam tamen restituisse, non reperio. Fac restituisse aut in libertatem sese Arabes vindicasse, tamen idem Rufus à Severo eam denuo provinciam factam testatur, unde & nomen Arabico ei dictum. Et quamvis Persæ subinde rebellarent, tamen semper victi, ita ut Diocletianus & Maximianus Impp. (quorum hoc ipsum rescriptum est ad Arabes) ad internecionem usque eos ceciderint, quo facto ait Rufus pacem factam durasse usque ad suam ætatem. Vixit autem sub Valentiniano, cui breviarium suum dedicavit. Non adducam jam Pauli Diaconi *hist. misc. lib. 10. c. 3.* Messalæ Corvini *de Augusti progenie* & aliorum testimonia, quibus certior, quàm eorum, quæ ad Sagram olim, fit fides, Arabes sub Diocletiano in ditione Pop. Romani fuisse. Hi ergo studiosi Arabes, cum ad personalia munera domum devocarentur, ab Impp. hisce impetraverunt, ut usque ad annum XXV. in Academia Berytensi ad capessendam juris scientiam consistere liceret.

16. Pergo ad seculum IV. quo studio juris usque adeo eluxit Berytus, ut Eunapio, in vita Proæresii audiat horum studior. ma-

mater. Et hoc ipso seculo vixit auctor ille anonymus Græcus, qui *ἐξήγησιν τοῦ κόσμου* Constantio & Constante Imp. scripsit, à Godofredo filio editus, qui de Beryto tradit, in ea juris Auditoria haberi, per quæ omnia Romanorum tribunalia stent, cum ibi edoceantur Viri, qui per omnem terrarum orbem Judicum Assessores fiant, atque provincias tueantur, ad quos constitutiones subinde mitti soleant.

17. Dicit Juris auditoria ibi haberi. Ergo uno plura. Unum depingitur à Zacharia Scholastico, Episcopo Mitylenæo, dialogo de opificio mundi, quod spectaculum fuerit dignissimum, pulcerrimumque, mirabili picturarum & ornamentorum varietate distinctum, tantâ denique, tamque inusitatâ elegantiâ, nemo ut spectatorum satiari unquam possit. Et inprimis ad ornandum hoc Auditorium, Eustochii Episcopi magnificentiam prædicat. Ex his auditoriis ait Geographus omnia Romanorum tribunalia, tanquam coloniis deductis, integrari, Judicum assessoribus per omnem Romanorum orbem inde accersitis.

18. Jamdudum scilicet observatum est, Judices, id est, magistratus Romanos plerumque juris fuisse imperitos. Nempe viros militares, ex nobiliori familia quadam, arma, quàm leges scientes potius, quod & Græci Interpp. ad *L. 2. ff. Quod quisque jur.* his verbis notant: *πολλάκις οἱ ἄρχοντες οἱ τῶν δικαστηρίων προκαθήμενοι οὐκ ἴσασιν ἀκριβῶς τοὺς νόμους προβαλλόμενοι οὐχὶ διὰ τὸ καλῶς εἰδέναι τοὺς νόμους, ἀλλὰ διὰ τὴν ἀξίαν καὶ τὴν περὶ τὸν βασιλέα ἢ πίστιν, ἢ συγγένειαν.* Hinc fiebat, ut quicquid decernere vellent hi magistratus, id ex suggestione & consilio assessorum Juris peritorum fiebat, ut Seneca apertè indicat *lib. 1. de tranq. an.* his verbis. Qui inter peregrinos & cives ut urbanus Prætor adeuntibus assessoris verba pronunciat.

19. Erant enim Assessores Consiliarii, qui juris scientiam suggererent, quo de videndus *tit. ff. de Assessor. l. 7. C. de Assess. & domest. & Cancell. Jud. L. 1. C. Theod. de Comit. qui illust. agent. assiderunt.* Huc pertinet, quod Macarius *Homilia 15.* ait: *ὅταν γένηται ὁ ἄρχων, λαμβάνει ἑαυτοῦ βοηθὸν τὸν συγκάθεδρον.* Et quid clarius pro hac re, quàm quod Cicero *pro Plancio: Populus R.* ait, *magistratuum virtute & innocentiâ contentus est. Quotus enim quis-*

quisque disertus, quotus quisq; juris peritus est. Deniq; nec latere juris studiosis potest, inprudentiam assessori imputari, non magistratui, *l. 2. ff. Quod quisque jur.*

20. Augustinus *lib. 8. confess. c. 9.* talem describit Alipium suum. Verba sunt: *Apliius ociosus ab opere Juris peritorum post assessionem tertiam.* Hinc Libanius Sophista, *oratione de vitâ suâ* hos appellat *δικαζουμένοις συμμάχους.* Dicebantur & *πάρεδροι. Nov. 60. c. 11.* Ulpianus Rhetor in Midianam: *πάρεδροι ἐδίδοντο τοῖς νεωτέροις, οἱ νῦν καλούμενοι συγκάθεδροι.* Sed de his appellationibus JCtorum consummatissima illa idéa, Cujacius videri amplius potest, ad *N. 119.*

21. Porrò hoc eodem seculo vixit Libanius Sophista sub Valente Imp. qui Berytensi juris auditorio frequentissimum studiorum concursum invidens conqueritur oratione, 26. quod abdicato eloquentiæ studio adolescentes ad hauriendam juris disciplinam contenderent.

Hoc nimirum ægrè ferebant jam tum quoque Sophistæ, si imbibitis Philosophorum placitis, quò magis prodesse Reipub. possent adolescentes, ad legum latices hauriendos properarent, ut observat Caspar Barthius ad Zachariam Mitynelenæum. Ipsi enim Sophistæ seu Rhetores principatum omnium scientiarum sibi vindicabant, & sub flores affectatæ eloquentiæ rapere connitebantur.

22. Hoc eodem tempore anno XII. Constantii Imperatoris ut res humanæ nunquam perpetuo stabiles, cum summo stare fastigio videretur hæc Academia, urbs terræ motu maximam partem est eversa, ut scribit Cedrenus.

23. Sed surrexit tamen cum urbe & Academia. Nam seculo V. Nonnus lib. 41. Dionysi. Berytum salutat *πρέμνον Φοινίκης κλυτὸν ἀστυνόμων ἕδος Αυσονιήων.* Seculo VI. sub imperatore Justiniano augusto elogio Berytus celebratur, civitas legum veneranda, & splendida metropolis, in constit. *de conf. Dig. §. 9.* Et constitutione alterâ de ratione juris docendi, ad Antecessores §. 7. ait Berytum legum nutricem benè appellari posse.

24. Erant tum temporis Professores Juris unus Dorotheus, quem Magnificentissimum Quæstorem, & Doctorem in civitate

tate juris, nempe Beryto, vocat Justinianus. Et in *l. 1. §. 9. C. de Vet. ju. enucl.* appellat eum, virum illustrem, & facundissimum Quæstorem, quem in splendidissimâ Berytensium civitate leges discipulis tradentem propter ejus optimam opinionem & gloriam ad sese adduxerit, participemque operis, nempe enucleandi jus vetus, fecerit.

25. Alter, cujus Imperator & ipsius meminit, erat Anatolius, quem Justinianus magnificentissimum magistrum, id est, Professorem appellat. Et in *d. l. 2. §. 2. C. de V. I. E.* elogio viri illustris exornat, & Magistri, qui & ipse apud Berytenses juris interpres constitutus ad vetus jus componendum allectus esset. Addit Imperator hunc ab antiquâ stirpe, nempe à tertiâ generatione (ut habetur in constit: *Dedit nobis Deus.*) jura Beryti profitentium descendere. Pater enim ejus fuit Leontius, avus Eudoxius, quos Imperator optimam in legibus memoriam reliquisse deprædicat. Appellat utrumque & Dorotheum & Anatolium Imp. illustres Antecessores in inscriptione Constit: quæ incipit: *Omnem Reip.*

26. Nec tamen hic titulus tum temporis Professorum erat. Nam eandem constitutionem ad Salaminum quoque dirigit Imperator, quem disertissimum solùm Antecessorem nuncupat. Nempe priores illi Comites sacri Consistorii, eodem scilicet honore decorati, quo sunt, qui vicariâ dignitate potiti erant. *L. un. C. de Profess. qui in urb. Const. docentes ex legibus meruere Comitivam. L. sing. C. de comit. qui provincias regunt.* Unde Theophilus dicitur Comes sacri Consistorii, in Constit. *de novo Codice fac.*

27. Sanè aliis etiam locis, ut Alexandriæ, Cæsareæ & alibi jus Romanum eo tempore docebatur, nulla tamen urbs fuit, cui publicâ Imperatoris auctoritate permissum fuisset, præter Romam Constantinopolin, & Berytum, gravi interminatione adhibitâ denarum nempe auri librarum, si qui extra urbes regias & Berytensium Metropolin hoc facere ausus fuerit. Neque hoc solùm: sed & rejici ab eâ civitate jubetur, in quâ non docere leges, quàm in leges committere videatur, ut habent verba Imperatoris in constit. *Omnem, &c.* CA-

CAPUT V.

De Academiæ morbis, calamitate, interitu.

Conspectus.

1. Berytensium Studiosorum novitiorum petulans initiatio. Pennalismus.
2. Similis initiatio olim Athenis.
3. Justinianus ejusmodi serviles ludos Beryti & Constantinopoli prohibet.
4. Mandat Præfecto Urbi talia vindicare Cpoli; Beryti verò Præsidi Phœnices, Episcopo Beryt. & Prof. injungit coercitionem.
5. Non tamen fuit extincta protervia, quin tertio post Justinianum seculo denuo opus fuerit eam damnari.
6. Nomen petulantiæ, erat cylistra. Canon. concilii VI. in Trullo, eam damnans. Balsamonis expositio.
7. Vocis expositio ex Suidâ, Hesychio, Polluce, Vitruvio.
8. Nostra conjectura, quid fuerit monstri, cylistra.
9. Pancratium περὶ κυλίσεις versabatur.
10. Terræ motus Berytum prosternit, & surgere conatam incendium penitus hausit.
11. Epigramma Græcum περὶ ἁλώσεως hujus, Latinè à Rittershusio redditum.
12. Inde Berytus è manu Saracenorum à Regibus Hierof. vindicata. Benjamin Tudelensis. A Saladino capitur urbs.
13. Jus habuit Reges Babyloniæ, vel Hierosol. ut ibi coronarentur.
14. Hodie emporium est, & portus Syriæ.

I.

TAlis ac tanta fuit Berytensis Schola, cum inter studiosos quædam petulantior novitiorum initiatio, non absimilis ei, quem pennalismum hactenus, aut nescio quem statum appellant.

2. Sed & eadem prodigiosa initiatio Athenis quoque grassabatur inter Rhetorices studiosos, quâ de videri possunt Photius *in Bibl.* Gregorius Nazianzenus, *orat. 20.* & Eunapius Sardianus *Proæresio.* Mihi enim his ineptiis immorari tantum non fenio est: Sed tamen Berytensium studiosorum morem verbis Imp. Just. non possum facere, quin referam, ex constitutione ejus de ratione & methodo juris ad Antecessores §. 9. ita habent verba:

3. *Illud satis necessarium constitutum cum summâ intermi-*

natione edicimus, ut nemo audeat, neq; in hac splendidissimâ civitate, (Constantinopoli) *neq; in Berytensium pulcerrimâ urbe, ex his qui legum peragunt studia indignos & pessimos, imò magis serviles, & quorum effectus injuria est ludos exercere, & alia crimina, vel in ipsos Professores, vel in socios suos, & maximè in eos, qui rudes ad recitationem legum perveniunt, perpetrare. Quis enim ludos appellet eos, ex quibus crimina oriuntur.* Hæc Imperator.

4. Et statim §. seq. mandat Præfecto Urbi Constantinopoli tam observare, quàm vindicare; In Berytensium autem civitate Præsidi Phœnices maritimæ, & Episcopo Berytensi, unâ cum Legum Professoribus jubet coercere injuriosos hos ludos. Nec dubito, quin fecerint officium cum Præfectus Urbi tum Præses Phœnicæ, cum Episcopo & Professoribus Berytensibus.

5. Sed petulantia instar Hydræ est, cujus uno capite reciso plura renascuntur alia. Hinc Patres synodi sextæ in Trullo habitæ c. 71. sub eadem interdictione eos inhibent, tertio post Justinianum seculo, sub Constantino Pogonato.

6. Et signatè quoddam eorum genus damnant, quas CYLISTRAS appellant. Canon ita habet; Eos, qui docentur leges civiles, Græcis moribus uti non oportere, & neque in theatra induci, neque eas, quæ dicuntur, cylistras peragere, vel præter usum communem sibi vestes induere, nec quo tempore disciplinam aggrediuntur, vel ad finem ejus proveniunt, vel, summatim dicendo, in ejus doctrinæ dimidio: si quis autem deinceps hoc facere ausus fuerit, *ἀφοριζέσθω*, Balsamo ad hunc locum de cylistris ita: *κυλίστραι ἐγίνοντο, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, μεταξὺ τῶν διδασκόντων. τοῦ μὲν γὰρ ἰδιουμένου τὸν δὲ τὸν μαθητὴν, τοῦ δὲ ἑτέρωθεν ἀντιπίπτοντος, αἱ κυλίστραι ἐπενοήθησαν, καὶ τὸ ἐκ τῆς τύχης ἀποτέλεσμα ὡς γὰρ σήμερον ἐν ταῖς ἱπποδρομίαις χάριν τῶν καγκέλλων.* Id est: Cylistræ autē fiebant, ut mihi videtur, inter eos, qui docebant: Cum enim hic sibi discipulum vindicaret, ille vero ex altera parte resisteret, cylistræ excogitatæ fuere, idque fortuitu, ut fit hodie in equorum curriculis de cancellis. Quod non satis capio.

7. Suidas interpretatur palæstram, conistram: *κονίστρας* verò Julius Pollux *l. 3. c. 9.* refert inter loca *ἀσκήσεως* Gymnasticæ. Notum etiam est conisterium palæstræ ex Vitruvio *l. 5. c. XI.* Hesychius

κυ-

κυλίστραι, ἀλινδήθραι exponit, quod eſt volutabrum pulverulentum, quo jumenta volutant. Sic & idem Pollux alibi, nempe *lib. 1. c. XI.* locum, quo ſe equi volvunt ἀλίστρας, ἐξαλίστρας, κυλίστρας dici docet.

8. Unde ſuſpicor, injurioſas, quas vocat Imperator has initiationes ita fuiſſe peractas, ut novitii nudati cœno vel pulvere volutarentur, inſtar athletarum, qui in Gymnaſiis atque palæſtris ſuis nudi & oleo peruncti, atque pulvere, arenaque volutati luctabantur, quorum ad victoriam omnis ratio in ſubvertendo, terræque affligendo adverſario conſiſtebat, ut tradit Plutarchus *II. ſymp. quæ. 4.*

9. Inprimis autem id genus certaminis, quod Pancratium vocabatur, περὶ τὰς κυλίσεις ſeu circa volutationes verſabatur, ut ex eodem Plutarcho conſtat. Meminit volutationis ejus quoque Tertullianus de Pallio. Nam volutabantur, nexusque ſuos expediebant, impediebantque nec quisquam ante victus credebatur, quam ſe victum profiteretur, digitos ſuſtollendo. Talem ergo volutationem conjicio fuiſſe ſtudioſorum recens Berytum venientium infamem illam, & patribus concilii damnatam cyliſtram.

10. Cæterum anno Juſtiniani XX. horribilis terræ motus omnem pene Orientem concuſſit, qui usque adeo Berytum proſtravit, ut præter pavimenta nihil reliquum factum fuerit. Ingentem hominum vim ruentium ædificiorum mole fuiſſe oppreſſam memorat Agathias. Multos etiam Juvenes advenas nobiles & eruditos, qui addiſcendarum Romanarum legum cauſâ eò commearant, periiſſe ruinis narrat. Itaque Profeſſores juris, qui tum eſſent, Sidonem commigraſſe, ſcholasque eò translatas, tantiſper, dum Berytus inſtauraretur. Ecce, hæc fata manent Studioſos! ut alibi ipſius terræ motu, alibi motu terræ filiorum opprimantur, quod & noſtro tempore vidimus. Et quamvis inſtaurata urbs iterum fuerit, urgentibus tamen fatis paulò poſt inincendio miſerè conflagravit.

11. Extat in iſtam haloſin tragicum epigramma Græcum in anthologiâ εἰς πόλεις, quod Conr. Rittershuſius JCtus celeberr. commentario ad Salvianum ita Latinè vertit.

Heu nimium infelix urbs, non urbs, lumine caſſis
Fuſa ſolo, en jaceo mixta cadaveribus.


Nec

Nec sat erat, me Neptuni sensisse tridentem:
Mulciberis cladem hanc addidit ira novam.
Hæc mihi quæ pridem fuerat pulcerrima forma,
Eheu jam tenui pulvere versa jacet.
Vos quibus hac iter est, nostræ miserescite sortis,
Beryto & lacrymas post sua fata date.

11. Inde Berytum in Saracenorum potestatem delapsam anno Christi millesimo centesimo XI. mense Aprili Balduinus, primus Hierosolymorum Rex terrâ & mari per duos continuos menses impugnans, armorum vi recuperavit. Wilh. Tyr. Belli. sacr. lib. XI. c. 13. Circa hæc tempora vixit Judæus Benjamin, filius Jonæ Tudelensis, ut tradit Tsema David, sive chronicon Davidis Gans. (Mortuus enim ibi dicitur anno Christi 1173.) qui suo tempore quinquaginta fermè Judæos Beryti vixisse ait, quorum primarii R. Salomon, R. Obadias & R. Joseph. Sed anno millesimo centesimo 87. à Saladino capta fuit. Vide *Helmold. Presbyt. Chron. Slav. l. 3. c. 26. & ibi Dn. Bangertum Polyhistora industrium, amicum nostrum, commentario eruditissimo. p. 154.* Qui ibidem quoque fuit coronatus. Ita enim Helmoldus *lib. 5. c. 3.* *Est*, inquit, *Baruth nobilissima civitatum & nobilissimum præsidium ejus regionis. Quæ quia in optimo portu est maris sita, omnibus præbet introitum & exitum, nec ulla ibi potest navis, aut galea præterlabi, quin sponte aut in vitâ ipsâ portui addatur. Unde factum est, ut ab ipso Syriæ excidio, usq; tum, decem & novem millia captivorum Christianorum de eodem castro Saladini curiæ sint præsentata. Habet etiam talem prærogativam, ut omnes reges illius terræ ibi coronentur. Unde Saladinus cum eam cepisset, ibi coronatus & Rex Hierosolymæ sive Babyloniæ salutatus est.* Unde hoc discimus, Berytum nostram eâdem coronandi Hierosolymitanos Reges gloriâ, quâ Aquisgranum. *Aur. Bul. c. 28.* §. 2. aut Francofurtum nostrates, in regni Germanici; Aut Mediolanum, in regni Lombardici, aut Bononia, vel qua fuit alia, in imperii Romani coronâ imponendâ fuisse illustratam. At verò Berytus è manibus Saladini rursum decimo post anno à Christianis recepta, sæpiusque tum à barbaris vicissim destructa & instaurata est. Vide Borchardum Monachum par. 1. c. 12. §. 9. Jacob. de Vitriaco lib.

lib. 1. c. 26. Ziegler. in Syriâ f. 5. Cæl. Aug. Curion. & Wolffgang. Drechsler. ad ann. 1290.

14. Nunc verò maximum & celeberrimum est emporium & portus Syriæ, unde Berytiæ adferuntur uvæ, quas jam olim Plinius laudat lib. 15. c. 17. & hodie sunt nominatissimæ. Incolitur autem à Mahummedanis. Sed hic qui finis nobilissimæ juris scholæ, idem & hujus commentarii esto.



Σὺν Θεῷ.

DISSERTATIO
ad L. singularem Codd. Theodosiani & Justiniani
De oblatione votorum.

Codex Theod.
Impp. Arcadius & Honorius.
AA. Basilio Praef. U.

QUando votis communibus felix annus aperitur, in una libra auri solidi septuaginta duo obryziaci Principibus offerendi devotionem animo lubenti suscipimus. Statuentes, ut deinceps sequentibus annis unius cujusque sedulitas Principibus suis talia ingerant semper & deferant. *Dat. III. Nonas Martii, Med. Olyb. & Probino Coss.*

CAPUT I.
Explicatur rubrica.

AGitur hoc titulo de oblatione votorum. Ita enim esse legendum, non, *de observatione, vel obligatione votorum*, ut quidam libri habent, vel ex Codice Theodosiano liquere *Varia lectio tituli.*

 pot-

Oblatio, quid. potest. Oblatio est nihil aliud, quàm præstatio, functio, illatio, exhibitio, solutio ejus, quod vel pollicitatione, vel conventione, vel publica indictione, devotioneque debitum erat. Est alioqui peculiaris quædam species pensitationis, ut ex Asconio *ad IV. Verrinam* constat, similis ei, quam hodie subsidia, auxilia, Galli, *les aydes*, appellent, ut censet Budæus ad *tit. ff. de Off. Quæst. pag. m. 300.* eumque sequitur P. Gregorius *lib. 3. Syntag. cap. 6.* Sed speciali hoc significatu hoc loco non videtur poni. Etsi enim non nego, votivas præstationes ad genus oblationum esse referendas, oblationis tamen vocem hîc positam ita nego. Nam & indictitia & imperata tributa, quæ necessitatem præstandi publicis legibus, non ex obligatione pollicitantis habent, offerri passim dicuntur. Ita oblationis obsequia *l. 7. in f.* oblatio auri & argenti lustralis. *l. 8. C. T. de lustrali collat.* dicuntur, quæ in cæteris legibus, ejusce tituli præstatio, solutio, illatio nominatur.

Oblatio nomen tributi.

Diversa sunt, vota facere & solvere.

Frustra itaque sunt, qui oblationem votorum intelligunt de actu vovendi, seu ipsâ pollicitatione, votique sponsione. Quod amplius apparet ex titulo proximè antecedente nostrum *Codice Theod. de oblatione equorum*, quâ utique non promissio, sed exhibitio equorum venit. Diversa itaque erant, *fieri, concipi, nuncupari, suscipi* ab his scilicet *vota*, qui preces faciebant pro eventu quolibet: *Et offerri, solvi, reddi, persolvi vota.* Quod dicebatur de his, qui compotes voti se religione solvebant, præstando pollicita. Quod *Diis meritis, merentibusve* reddere dicebant. *Ovid. 5. Fast.*

Dii merentes, meriti.

Redduntur MERITO debita vini Jovi.

Et 4. Trist. El. 2.

Munera det MERITIS sæpe datura Deis.

Eâdem ratione, quâ meritos honores, meritas aras, dona merita bonis auctoribus usurpantur. Hinc in notis singulariis V. S. L. M. *Votum solvit lubens merito.* Primum itaque vota concipiebantur, cum concepta essent, inscribebantur, signabanturque.

Suet. Augusto c. 97. Vota, quæ in præteritum lustrum suscipi mos est, collegam suum Tiberium nuncupare jussit. Nam se, quamquam conscriptis paratisq; jam tabulis negavit suscepturum, quod non

non esset soluturus. *Plinius. libr. 10. Epistol. 44. ad Trajanum: solemnia vota pro incolumitate tuâ, quâ publica salus continetur, & suscepimus, Domine, pariter & solvimus, precati Deos, ut velint ea semper solvi semperq; signari.* Obsignata affigebantur Deorum statuis. Juvenal. *sat. 10.*

Legitimè fixis operitur tota tabellis Porticus. Vbi interpres: *id est, devotis precibus impletur.* Præcipuè autem genibus Deorum affigebantur, & quidem cerâ. Hinc illud Juvenalis *sat. 10.*

Vota genibus Deorum affixa.

Genua incerare Deorum.

Quâ voce etiam utitur semel atque iterum Prudentius: Lucianus *Philopseude*: πολλοὶ ἦδ' ὅς, ἔκειντο ὀβολοὶ πρὸς τοῖν ποδοῖν αὐτοῦ, καὶ ἄλλα νομίσματα, ἔνια ἀργυρᾶ πρὸς τὸν μηρὸν κηρῷ κεκολλημένα.

CAPUT II.

De inscriptione & subscriptione legis.

RESCRIPTUM hoc est Arcadii & Honorii, filiorum Theodosii primi, qui à Patre vivo adhuc in Imperium adsciti, ab obitu illud partiebantur, ut Honorio occidens, oriens Arcadio maneret. *Vide Zosimum, Socratem, Philostorgium, Sozomenum, Marcellinum comitem.* Directum est ad Basilium P. V. Exstat ad Basilium quempiam Alexandri Imp. rescriptum *l. 5. C. Just. si nupt. ex rescr. pet.* sed id nihil ad nostrum. Nec magis huc pertinet is, ad quem Diocletianus & Maximianus A. A. *in l. 5. de except. & præscript. rescribunt.* Procul dubio autem is est noster, qui sub Gratiano, Valentiniano & Theodosio comes sacrarum largitionum audit. *l. 35. C. de decur. Merobaude II. & Saturnino Coss.* quæ est *l. 101. C. T. de decur.* *Et l. 4. C. T. de immunit. concessâ, Honorio VII. & Theodosio II. Coss.* Meminit enim ejus *Zosimus lib. 5.* eumque ἔπαρχον ἀξίᾳ τετιμημένον ait. Quo titulo Præfecti urbi nuncupari solent. Et ita puto corrigendam inscriptionem *l. 1. C. T. Qui bon. ex L. Jul. ced.* ubi consulem, libri

Lex Arcad. & Honorii.

Basilius, quis.

L. 1. C. T. Qui bon. ced. ex L. Jul.

præferunt. At Consules subscriptos habet d. l. Ausonium & Olybrium. Nisi consularem fortè legeris.

Mediolanum, Metropolis.

Datum est rescriptum Mediolani, Italiæ Metropoli, ut dixi *dissertat. de centum Lapidibus.* Vbi Theodosius fatis functus erat, cum prius Honorium ad se eo accersivisset. *Philostorg. lib. 11. Zosimus lib. 4. extremo, Sozomenus lib. 4. cap. 4. Marcellinus Comes chronico.* Eique Occidentem commisisset. *Olympiodor. apud Photium.* Id est, Italiam, Hispaniam, Gallos atque Africam. Fallit tamen interdum scriptura, & pro, *Mediolani*, legendum, *Medianæ*, ut in *l. 8. C. T. de Jure Fis.* Nam cum Valentinianus Niceæ V. Kal. Mart. ut tradit *Socrat. lib. 4. cap. 1.* Valens autem sub finem Martii Constantinopoli Imperatores facti, Aprilem & Majum in Thracia exegissent, certè Mediolano rescribere non poterant. At verò ex Ammiano Marcellino libr. 26. amplius constat Imperatores hosce percursis Thraciis Næssum venisse, ibique in suburbano, quod appellatum, MEDIANA, Comites partitos fuisse, ut ait Marcellinus, oportet itaque, ut leges, quas initio Imperii sui ad Junium Mensem usque promulgarunt, alibi & quidem in Thraciâ, quàm Mediolani fuerint perlatæ.

Interdum nō Mediolani, sed Medianæ, vel Mediano legendum.

Mediana suburbanū Nassi, Thraciæ.

Olybrius & Probinus.

Edita est hæc constitutio 3. Idus Martias, Olybrio & Probino COSS. Hos fratres Germanos, sextum Anicium Hermogenianum Olybrium, & sext. Anicium Sext. Fil. Probinum, carmine panegyrico æternitati consecravit Claudianus Poeta. Pater fuit sextus Anicius Petronius Probus, vir omnium privatorum maximus, ut ait Onuphrius. Ejus dignitates sub unum adspectum inscriptiones duæ, in antiquis duabus Basibus Romæ in domo Cæsiâ collectas exhibent.

Horum Pater.

SEXTO.

SEXTO. PETRONIO. PROBO. V. C.
PROCONSULI. AFRICÆ.
PRÆFECTO. PRÆTORIO.
QVATER. ITALIÆ. ILLYRICI.
AFRICÆ. GALLIARUM.
CONSULI. ORDINARIO.
PATRI. CONSULUM.
ANICIUS. PROBINUS. V. C.
CONSUL. ORDINARIUS.
ET. ANICIUS. PROBUS. V. C.
QVÆSTOR. CANDIDAT. FILII.
MUNUS. SINGULARI. RELIGIONE.
DEBITUM. DEDICARUNT.

II.

SEXTO. PETRONIO. PROBO.
ANICIANÆ. DOMUS.
CULMINI. PROCONSULI.
AFRICÆ. PRÆFECTO.
PRÆTORIO. QVATER.
ITALIÆ. ILLYRICI. AFRICÆ.
GALLIARUM. CONSULI.
ORDINARIO.CONSULUM.PATRI.
ANICIUS. HERMOGENIANUS.
OLYBRIUS. V. C. CONSUL. ORDI-
NARIUS. ET. ANICIA. JULIANA.
C. F. EJUS. DEVOTISSIMI.
FILII.
DEDICAVERUNT.

Exſtant apud *Symmachum l. 4.* aliquot ad hos fratres Epiſtolæ. Et auxit utique ſplendorem gentis, quod & natalibus & dignitate eſſent pares. Vellejus ſcribit *lib. 2. c. 8.* ſingulari exemplo fratres duos Metellos uno die triumfaſſe; Fulvios duos germanos collegas in Conſulatu, duos Metellos patrueles in cenſurâ fuiſſe. Addamus, Annus urbis DLXXIV. duos fratres, Q. & P. Mucios Q. F. Scævolas Prætores habuit. Adde Othonem & Titianum ſimul COSS. Tacit. *1. hiſt. 77.* Julianum atque Paulinum fratres COSS. Imperatore Conſtantino, Anno quo ſynodus Nicæa celebratur. Denique Severini Bœthii filios, Felicem Gallum, & Secundinum, Anno Chriſti, DXI. ut conjicit Barthius ad Claudianum. Mater fuit Proba Faltonia, matrona laudatiſſima, Avia paterna Demetriadis. Hieron. Ep. ad Demet. Fuit enim Demetrias virgo neptis ex filio Olybrio, non è filiâ, ut Baronius tradit. Hæc Proba Alarico Romam dedidiſſe ferebatur. *Procop. l. 1. Vandal.*. Quod tamen Baronius refellit. *tom. 5. A. C. 410.* de eâ inſcriptio:

Exempla fratrum eâdem dignitate potitorum uno tempore.

Mater conſulum horum.

ANICIÆ. FALTONIÆ. PROBÆ. FIDEI. ET. NOBILITATIS. ANTIQVÆ. ORNAMENTO. ANICIÆ. DOMVS. FAMILIÆ. SERVANDÆ. AC. DOCENDÆ. CASTITATIS. EXEMPLO. CONSVLVM. MATRI. CONSVLVM PROLI.

Unde nomen Olybrio.

Cognomen Olybrii, vel ut quosdam libros habere Barthius teſtatur ad Claudianum, Olymbrii, ei fuit ab Olymbriâ quæ & Selybria & Selymbria, ſed & Eudoxiopolis Impp. Honorio & Theodoſio II. dicta eſt, ut docet ſubſcriptio *l. 2. C. T. de præd. & manc. curial.* & *l. 61. C. T. de hæret.* Thraciæ oppido, in quo partem patrimonii habebant Anicii, quippe quos opum amplitudine orbi Romano per quem univerſum patrimonia poſſiderent cognitos, laudet Ammianus *l. 27.* Vide Dn. Reineſium, τὸν πανεπιςήμονα, Patronum de me longè meritiſſimum *Epiſt. 69.* Beatus Hieronymus ad Demetriadem Olybrii filiam: *Nunc mihi Proborum & Olybriorum clara repetenda ſunt nomina, & illuſtris Anicii ſangvinis genus, in quo aut nullus aut rarus eſt, qui non meruerit Conſulatum. Aut proferendus Olybrii, Virginis noſtræ pater, quem immaturâ morte ſubtractum, Roma congemuit. Vereor plura dicere, ne ſanctæ matris*

matris vulnus exasperem, & virtutum ejus recordatio fiat doloris instauratio. Pius filius, vir amabilis, clemens dominus, civis affabilis, Consul quidem in pueritiâ; sed morum bonitate senator illustris. Felix morte suâ, qui non vidit patriam corruentem. Immò felicior sobole, qui Demetriadis proaviæ nobilitatem insigniorem reddidit, Demetriadis filiæ perpetuâ castitate.

CAPUT III.

Ipsam rescripti sanctionem proponit.

CUm ex rubricâ appareat agi de oblatione eorum, quæ votis promissa erant, jam Imperatores genus promissi, cum ex ratione temporis, tum ex qualitate rei sponsæ designant.

Ajunt ergo: *Quando votis communibus felix annus aperitur.* Felix annus appellatur ex omine, & qualem vellent perennare. Svavis hic est Lucas ille, Pennalis, qui annum fertilem exponit. Continent autem hæc verba temporis περιστατικὸν, designantque cum diem ipsum primum, Kalendas nempe Januarias, tum diem tertium post eas. Kalendis ipsis lætæ precationes initium capiebant. Plinius *lib.28. cap. 2.* *Cur primum anni incipientibus diem latis precationibus invicem faustum ominamur.* Junge Ovidium, *1. Fastor. ad Janum.* Egregiè Herodianus *lib.1.c.16.* Cujus verba, sed latinè, ex versione politissimâ Politiani non parco adscribere: *Kalendis Jan. vota fiebant.*

Diem (anni ineuntis) *Romani festum agunt. Ad Janum vetustissimum Italiæ Deum referentes, cujus etiam Saturnum ipsum, ab Jove filio pulsum quum in terram descendisset, fuisse hospitem prædicant, & quod ibi latuisset, nomen Latio inditum. Quocirca etiam nunc Romani saturnalia prius, dein verò initium anni more suo concelebrant. Estq; ejus diei biceps imago, ut à quo incipit, & in quem desinit annus. Potissimum Romani invicem se colunt, salutantq; & nomismata alter alteri, cæteraq; omnifariam munera missitant, summiq; magistratus, conspicuam sibi & solennem purpuram induunt.* Tibullus de Messalâ *lib. 4.*

Non modo fulgentem Tyrio subtemine vestem
Induerat, oriente die, duce fertilis anni.

Sub-

Subdit:

Quin largitæ tuis sunt multa silentia votis.

Annum aperire. Dicunt itaque Imperatores scitè, communibus votis annum aperiri. Virgilius *Georg. lib. 1. v. 217.*

Candidus auratis aperit cum cornibus annum
Taurus.

Cicero *de nat. D.* stellas aperire ait. Et Statius *4. silv. 1.* Insignemque aperit Germanicus annum. Symmachus *l. 10. Epist. 20. Kalendas anni auspices, quibus mensium recursus aperitur.* Et *lib. 1. Epist. 13. Primores Kalendas Janus aperiebat.* Sidon. *lib. 8. Epist. 6. Sub cujus Magistratu Consul Marius anni sui fores aperuerat.* Festæ igitur Gentilibus hæ Kalendæ. Christianis verò non item: Quin hac die jejunabant. Ut testatur Ambrosius *Serm. 17.* Concilium Toletanum *IV. can. 10.* In temporibus, *ais*, reliquis, id est, Kalendis Januariis, quæ propter errorem gentilitatis aguntur, omnino Alleluja non decantabitur, in quibus etiam præter piscem & olus, sicut in illis quadraginta diebus cæteris omnibus abstinetur. Quiescere tamen & his lites & fora jubent Impp. Valentinianus, Theodosius & Arcadius, Timasio & Promoto Coss. *lib. 2. C. T. de feriis.*

Christianis Kalendæ non erant festa.

In acta Principum jurabatur. Porrò his Kalendis in acta Principis jurabatur. Id erat ejusmodi. Liberâ Reipublicæ non jurabatur in cujusquam acta. Sed penes Magistratum erat, utrum finito alicujus Magistratu acta probare is vellet, an rescindere. Primi triumviri & jurarunt ipsi se Julii Cæsaris acta rata habituros & populum, ut juraret, adegerunt. Vide Lipsium ad 16. an. Tac. n. 39. Brisson. lib. 8. de formul. P. Fab. 1. Semest. in f. de magistr. p. 200. Plin. panegyr. ad Trajan. ubi formula juramenti.

III. Non. Jan. vota pro Principe facta. Et hæc quidem Kalendis ipsis. At verò pro salute Principis, æternitateque Imperii vota solemniter concipiebantur, die III. post Kal. Januarias, seu A. D. III. Nonas Januarias, id est, ante diem III. Non. Jan. Ita enim loquebantur Romani; A. D. IV. Eidus, item: Exante diem IV. Eidus, intelligentes, diem Iduum, cujus ἀρχαῖος rationem exponit Scaliger *de emendatione temp. lib. 2. pag.*

2. pag. m. 174. A. B. Confer Cujacium *ad L. qui ante 13. ff. de V. S.* Docet Cajus noster in *l. si calvitur. 233. §. 1. de V. S.* ibi: *Post Kalendas Januarias die III. pro salute Principis vota suscipiuntur.* Lucianus ψευδολογ. Ἦν μὲν ἡ τοῦ ἔτους ἀρχὴ, μᾶλλον δὲ ἡ ἀπὸ τῆς μεγάλης νουμηνίας, ΤΡΙΤΗ, ἐν ᾗ οἱ Ῥωμαῖοι κατά τι ἀρχαῖον εὔχονταί τε αὐτοὶ ὑπὲρ ἅπαντος &c.

Inscriptio vetus:

IISDEM. COSS. III. NONAS. JANUAR. SULPITIUS. CAMERINUS. MAGISTER. COLLEGI. FRATRUM. ARUALIUM NOMINE. VOTA. NUNCUPAVIT. PRO. SALUTE. NERONIS. CLAUDI. DIVI. CLAUDI. F. *Inscriptio vetus.*

Diem ergo III. Nonas Januar. innuunt Augusti, quando votis communibus annum aperiri inquiunt. Quod pluribus probat Lipsius *ad XVI Annal. Taciti.* Formula solennis erat: *Hunc tibi Jupiter bovem cornibus auro decoratis vovemus esse futurum.* *Formula voti solvendi.* Ubi Lipsius pro, *Futurum*, malit *facturum*, invitis tamen inscriptionibus. *Unde Gruteri opus fol. 519.* Factum hinc, ut à vovendi actu Votorum nomen in ipsum diem transiret: & hæc ipsa dies III. VOTA κατ' ἐξοχὴν appellarentur. *Vota dies III. Non. Jan.* Vopiscus Tacito: *Divorum templum fieri jussit, in quo essent statuæ Principum bonorum, ita ut iisdem natalibus suis, & Parilibus & Kalendis Januariis & VOTIS, libamina ponerentur.* Spartianus Ælio Vero: *Orationem pulcerrimam parasset, quâ Kalendis Januariis Hadriano Patri gratias ageret, acceptâ petitione, quâ se existimaret juvari, Kalendis ipsis periit, jussusque ab Hadriano, quia VOTA intervenibant, non lugeri. Confer Schechium in lib. 2. Velleji. Guther. de jure Pontif. lib. 4. c. 13.*

Mansit sub Christianis Principibus hæc eadem appellatio, ut docet nostrum rescriptum. Et hæc VOTA esse ipsa τὰ βοτὰ, quæ concilium demum sextum in Trullo abrogavit, *canone 62*. *τὰ βοτὰ, Concilii in Trullo.* Autumat Casaubonus ad Spartianum, refutans Theodorum Balsamonem, Patriarcham Antiochenum, qui commentario suo super canones concilii istius τὰ βοτὰ exponit πρόβατα ἢ λοιπὰ ζῶα, quasi festum quoddam Panis, ovium custodis fuerit. *Balsamon improbatur.* Balsamo-

nem

nem tamen sequitur Meursius, in Lexico Græco-barbaro, notatus propterea à Dn. Reinesio, Viro in omni literatura sine pari, amico nostro, *lib. 2, var. lect. c. 4.*

CAPUT IV.

Quid offerri Principibus debeat.

Verba textus. SAtis de tempore, quod Impp. describunt. Videamus quid fieri eo voluerint.

Codex Theodosianus.

In una libra auri solidi LXII. obryziaci *Principibus offerendi devotionem animo lubenti suscipimus.*

Codex Justinianus.

In una libra auri & solidis obryzatis *Principibus offerendi devotionem animo lubenti suscipimus.*

Non ita A. D. III. Nonas Januar. precationes solùm fiebant, pro salute Principis; sed adjiciebatur, quod quisque gratiarum loco, si exauditus, si damnas voti esset, præstare vellet. In qua pollicitatione consistebat ὁσία voti. Hanc præstationem Impp. nostri definiunt. Differt itaque donarium illud votivum, & strena. Quod hæ missitari solebant, etiam non promissæ: Cæterum antiquitatem strenarum à Tatio Rege, penè cum ipsa urbis origine repetit Symmachus *lib. 10. Epist. 29.* Illum enim verbenas felicis arboris ex luco streniæ, anni novi auspices accepisse primum ait. Addit, nomen indicio esse, quod viris strenuis ob virtutem debeantur. Græcis strena dicitur Σαρχισμὸς, ut est in glossis Cyrilli, forte quod oblatione earum felix initium anni fieret. Symmachus *de l. Epist. 20. Kalendas anni auspices, quibus mensium recursus aperitur impertiendis strenis dicavit antiquitas.* Reprehendit olim Ulpianum quidam Cynulcus apud Athenæum, *lib. 3.* quod strenas ἐπινομίδας appellasset, nempe exprobrans ei καινοφωνίαν. Quod vir doctus quidam perperam eò refert, atque si per religionem nefas fuisset, strenam alio quàm suo Romanis indigenâ nomine nuncupare. Defendit autem κειτούκειτον nostrum Casaubonus, *Animadvers. in Athenæum lib. 3. c. 18.*

Strena antiquitas & etymon.

Σαρχισμὸς Græc.

Ἐπινομίς.

Per-

Porrò strenas mittebant amici amicis, patroni clientibus, Senatus & Civitas Principibus. Et hoc jam inde ab Augusti temporibus. Vide *Sueton. Augusto c.57.* Sed hoc strenarum commercium prohibuit Tiberius, ultra Kalendas Januar. exerceri. Offensus interpellari se toto mense, ab iis qui potestatem sui die festo non habuissent. Svet. Tib. c. 34. Quare & Kalendis ab urbe abesse solebat, ne hominibus ob magistratus novos & ferias occupatis negotium præberet, neve strenas ab iis acciperet, quod Augustum fecisse improbabat, quia ea res multæ molestiæ, multique in rependendo sumtus esset, ut *lib. 57. & 60.* Dio Cassius refert. Aliter Caligula, qui ineunte anno in vestibulo ædium palatinarum ad captandas stipes stetit. *Svet. c. 43.* Sed Claudius iterum sustulit aucupium. Certè Augustus ex summa oblatorum preciosissima simulacra mercatus vicatim dedicabat, teste Svetonio: Exstat inscriptio, quam profert Torrentius, quâ Vulcano positum donum:

Strenæ à quibus & quibus missæ.

Caligula strenas captavit.

IMP. CÆS. DIVI. F. AUGUSTUS.
PONTIFEX. MAXIMUS.
IMP. XIII. COS. XI. TRIB. POTEST. XV.
EX STIPE. QVAM. POPVLVS. ROMANVS.
ANNO. NOVO. ABSENTI. CONTVLIT.
NERONE. CLAVDIO. DRVSO.
T. QVINTIO. CRISPINO. COS.
VOLCANO.

Item vetus lapis:

LARIBVS. PVBLICIS. SACRVM.
IMP. CÆSAR. AVGVSTVS.
PONTIFEX. MAXIMVS.
TRIBVNITIÆ. POTEST. XVIII.
EX. STIPE. QVAM. POPVLVS. EI.
CONTVLIT. K. JANVAR. ABSENTI.
C. CALVISIO. SABINO.
L. PASSIENO. RVFO. COSS.

Hh 2 Ad-

Addit ibi Svetonius Augustum tantummodo summarum acervos delibasse, neque ex quoquam plus denario abstulisse. Errat hîc Amaya comment. *ad lib. 10. Cod.* qui Tranquilli verba ita accipit, atque si ex strena Augusto in Capitolio dedicatâ, ipse Princeps simulacra fuisset mercatus. Imò ex summa strenarum, non strenam dedicatam sed emta simulacra ipsum Augustum dedicasse ait.

Emendatus Codex Theod.

Transiit hæc, ut Impp. Arcadius & Honorius usurpant, devotio etiam in istud seculum teste Libanio in Kalendis, & Symmacho. Unde Impp. nostri liberalitatem ad certam summam civilemque modum redigentes unam libram auri definiunt. Ubi Codicis Theodosiani lectio manifestè solœca est, vel potius in mendo cubat. Quid enim est? suscipimus devotionem offerendi Principibus solidi LXII. obryziazi? Quare aut legendum: In solidis: Aut: solidos septuaginta duos obryziacos rescribi structura sermonis postulat.

Libra auri tenuit LXXII. solidos.

Docet ergo hoc rescriptum, libram auri continuisse potestate solidos septuaginta duos. Quod confirmat *lib. 13. C. T. de suscept.* Ubi:

Illud etiam cautionis adjicimus, ut quotiescunque certa summa solidorum pro tituli quantitate debetur & auri massa transmittitur, in LXXII. solidos libra feratur accepto.

Eadem constitutio reperitur & in codice Justiniano *tit. de susceptoribus*, quinta. Accedit synopsis Basilicorum *lib. 56. c. 12.* ibi: *τῷ ἐν δικαίῳ σταθμῷ δέχεσθαι τὰ καταβαλλόμενα, ἐχούσης δὲ λίτρας, οβ.* N. N. Itemque Harmenopulus *προχειρ. 3. τιτλ. 7. §. τὸ μὲν ἀρχεῖ.* Ibi quærit: *Ὅπως δὲ καλοῦνται οἱ τόκοι ἑκατοστιαῖοι τῆς λίτρας μὴ ποσουμένης εἰς ιϛ ἀλλ᾽ εἰς οβ.* Et in hac supputatione convenit Isidoro *lib. 19. Orig. c. 24.* Alciato *3. disp. 9.* Budæo *lib. 5. de asse.* Covarruviæ *de vett. numism. collat. c. 3. n. 3.* Georgio Agricolæ *lib. 2. de ponder. & temp. mon.* Sed turbat. *l. 1. C. T. de ponderat. & auri illat.* ibi Constantinus:

L. 1. C. T. de ponderat. examinatur.

Si quis solidos appendere voluerit auri cocti, septem solidos, quaternorum scriptulorum nostris vultibus figuratos appendat, pro singulis unciis: Quatuordecim pro duabus. Et reliqua.

Jam quia uncia facit Partem duodecimam libræ, si septeni so-

ſolidi in ſingulas uncias putantur, libra non erit ſolidorum LXXII. ſed LXXXIV.

12. unciæ.
7. *ſolidi.*

84.

Putat igitur Jacobus Godofredus, vir divinarum humanarumque rerum ſcientiſſimus, diatribâ de mutatione monetæ, *pag. 5.* Conſtantinum libram quæ quadraginta octo ſolidis ante conſtabat, octoginta quatuor ſolidorum effeciſſe, ut ſinguli quatuor ſcripulorum ſeu ſcriptulorum eſſent. *Jacob. Godofredi encomium & ſententia. Quæ expenditur.*

Proinde ſolidos ſeptem quatuor ſcriptulorum à Conſtantino M. taxatos fuiſſe, ſed hanc libram poſtea à Valentiniano, *l. 13. C. Th. de ſuſceptor.* imminutam & ad LXXII. ſolidos reductam, ita cum antea ſeptem ſolidi in ſingulas uncias computarentur, à Valentiniani ſenioris tempore ſex tantum fuiſſe computatos. Unde ſolidum vult ſextulam dictam fuiſſe, id eſt, ſextam unciæ partem, auctore *Iſidoro 16. Orig. 24.* Eâdem quâ Græci ratione ἑξάγιον dixerint. Et ita quidem vir iſte incomparabilis. Ei verò qui minus aſſurgere poſſim, multa me impediunt de quibus jam olim etiam *diſſertatione 6. ad quinquag. Juſtiniani deciſiones c. 1. n. 19.*

Primò enim, quid attinuit. *l. 1. de ponderat.* Codici Theodoſiano inſerere ſi Valentinianus jam ante Theodoſium octoginta quatuor ſolidos unius libræ ad LXXII. reduxerat? Cui bono Juſtinianus poſt Theodoſium legem Conſtantini de 84. ſolidis in ſingulas libras computandis, repetivit, ſi jam à Valentiniano inde libra 72. ſolidis conſtitit? Quid opus, inquam, erat, jam Valentiniano antiquatam legem repetere? Sed nec ratio Godofredo conſtat. Si enim libra Conſtantiniana fuit 84. ſolidorum, non potuerant ſinguli ſolidi quatuor reddere ſcriptulos, quod tamen vult Conſtantinus *l. 1. C. T. de ponderat.* Fac ſolidum fuiſſe quaternorum ſcriptulorum, oportet, ut uncia, unde ſeptem ſolidi cuſi, viginti octo ſcriptulos continuerit; libra 336. At conſtat ex Voluſio Mæciano JCto, libram non plures ducentis octoginta ſcriptulis habuiſſe, unciam non ſupra XXIV. Ergo ſi ſeptem ſolidi putantur in unciâ, hi non poſſunt eſſe quatuor ſcriptulorum: Fac eſſe, non poſſunt in unciâ plures ſex, in librâ non ultra 72. com- *Et ab ea diſceditur.*

 pre-

prehendi. Fac unciam XXIIX. Scriptulos confecisse, necessario efficies, ut rectè Dn. Frid. Gronovius *tract. de sestertiis c. 13. lib. 4.* ostendit, nec drachmam amplius trium, non sextulam quaternum, non sicilicum senûm, non semunciam duodenûm scriptulorum mansisse, non scriptulum sex siliquarum, sed hæc omnia proportione aucta quoque fuisse oportuerit, atque adeo singulæ assis libralis partes erant immutandæ. Quod verò factum fuisse, πῶ κεῖται? Quare relinquitur, ut emendanda potius *d. l. 1. C. T. de ponderat.* Cum Pancirollo: & Savoto, *c. 17. de la troisiesme partie du poids & pris antiq. des medalles.* Et pro septem solidis, VI. &. XII. loco XIV. restituenda.

Gronovius laudatus.

Solidus, quid & an argenteus.

Porrò oblationem postulant Impp. Solidorum. Solidus moneta erat aurea, ut inter eruditos ferè constat, nisi quod repertus nostro ævo est Caspar Barthius, qui Romanis solidos argenteos cuderet, eosque partem sextam unciæ pendere doceret, adeoque sextam partem Thaleri nostratis, *libro. 11. Avers. 20.* Sed cras credo, hodiè nihil. Vide dissertationem nostram VI. *ad Justin. decisiones L.*

Solidus quare sic dictus.

Nomen sortitus est solidus ad differentiam à semissibus & tremissibus aureis, quos Alexander Severus cudit, ut rectè Covarruvias. Lampridius *Alexandro: Tunc primum semisses aureorum formati sunt: Tunc etiam cum ad tertiam partem vectigal auri decidisset tremisses: Dicente Alexandro, etiam quartarios futuros, quod minus non posset. Quos quidem jam formatos in monetà detinuit, expectans, si vectigal contrahere potuisset, ut eosdem ederet: sed cum non potuisset, per publicas necessitates, conflari eos jussit, & tremisses tantum, solidosque formari.*

Solidi obrizati.

Hotomanni laus.

Solidos volunt Impp. sed obryzatos, seu obryziacos. Sveton. *Nerone c. 44. Argentum pusulatum, aurum ad obrussam.* Franciscus Hotomannus, vir in politiori literatura & antiquitate non minus excellens quàm juris scientia *lib. 4. antiq. Rom. p. m. 658.* ita de obryzo: *Obryzum monetales viri purum & excoctum appellabant: Ac frustra se homines docti in illius verbi notione indaganda fatigarunt, quod in officina monetali natum esse Plinius non obscurè significat, ubi complura ejusmodi vocabula monetalia & metallaria artis propria. Sic denique nautarum, & singulorum ferè artifi-*

tificum & opificum propria quædam vocabula fuisse facilè ex auctorum locis cognoscere licet. Fuit igitur obryza, obrussa, probatio seu examen per ignem acerrimum, cujusmodi hodiè est quod cineritium appellant, ut apparet ex L. ult. C. T. de ponderat. *Ubi Impp. Valentinianus aureos numos diù multumq; cum edacis flamma examine in obryzá detineri jubet. Ubi edacem ignem Ovidii exemplo dicit, cujus ille notus est versiculus:*

Omnia purgat edax ignis, vitiumque metalli
Excoquit.

Nec dubito quin Constantinus, l. 1. eod. tit. *ita scripserit: Si quis solidos appendere voluerit auri obryza cocti. Nam per obryzam, quidquid alterius metalli admixtum erat, depellebatur.* Hactenus Hotomannus.

Quod ait de notione, quâ se fatigarint eruditi, utique alii aliam quæsivere, nec de Orthographiâ convenit, obrisum, obrus- *Etymon obryza, obrussa.* sum, obrizum, obryzum, obrydium scribentibus. Græcè ὄβρυζον scribit Etymologus magnus & scholiasta Thucydidis lib. 1. Ut ergo πορφύριζον, Latinis purpurissum, ut μάζα, massa, & alia id genus, ita postulat analogia ὄβρυζον, obrussum ut dicatur. Isidorus dictum putat, quod obradiet splendore, sed ita non ob- *Isidorus expe-* ryzum esset: Sanè Salmasius legit obridium; Et notum est Eru- *ditur.* ditis, syllabam δι apud Græcos cum sibilo, quasi ζ, efferri. Sciopp. *ζ pro δι.* Instit. Gramm. p. 190. Inde Zabolus, Diabolus, Zæta, diæta, orydia, oryza, trapedia, trapeza. Confer Pignorium *tr. de servis, p. 238.* ibi Epistolam Velseri p. 275. Casp. Barthium *in Phœbadium,* Dn. Dilherrum *in gustu Patrum pag. 343.* Sciopp. Instit. Grammat. pag. 190. Quare Salmasius forsan apud Isidorum non, obradiet, sed obrideat, legit. Inquit itaque Salmasius, obridium aurum apud Isidorum ut legatur, etymon, quod sequatur ille, poscere. Putare enim Isidorum, sic dictum, quod rideat: At in impressis exemplaribus non rideat, sed radiat habetur. Sed redimus ad obrussam, & sunt qui quasi ἄβρυστον dictam volunt, ab *Obryza quasi* ἀβρύνεσθαι, splendescere: Hieronymus, ab Ophir, quasi sit, O- *ἀβρύστη.* phrisum. Jesaiæ *cap. 13.* Et ad *Psalm. 44.* ad Principiam Virginem. Denique Salmasius in Solinum derivat à βρύειν, quod & βρύζειν, ut βλύειν, βλύζειν, πρίειν, πρίζειν. Dicuntur autem

βρύ-

βρύειν illa, quæ effervescendo spumant, & quasi in florem ebulliunt. *βρύζειν* autem & *ὀβρύζειν* perinde dicitur, atque *βρίμος* & *ὄβριμος*. Sed quidquid tandem de etymo fuerit, verissimè Hotomannus, esse probationis, sive examinis modum. Suadet Cicero in Bruto: *Adhibenda*, inquit, *tanquam obrussa, ratio.* Id est, ratio ita in examen & probam advocanda est, ceu obrussa adhibetur, ad excoquendum aurum. *Plin. lib. 33. c. 3. extremo: Auri experimento ignis est, ut simili colore rubeat, quo ignis, atque ipsum obryzam vocant.* Ita enim legendum puto, non obryzum. Hoc enim dicit Plinius, nempe, cum coquatur aurum quousque colore igneo rubeat, dici obryzam. Seneca *Epistola 13.* Hæc animi obrussa est. Et *4. naturalium qq. 5.* ad obrussam exigere. Sueton. Nerone *cap. 44. aurum ad obrussam.* Et ita sentit etiam Adrianus Turnebus, at quantus vir, *lib. 14. cap. 22.* Vide Alciatum *lib. 5. Parerg. c. 1.* Budæum *ad l. in nave ff. Locati.* Firmant Glossæ: Obrussa: *Τὸ δοκιμάζον τὸ χρυσίον, ὅταν παρατρίβεται.*

Comes obryzæ, vel obryziaci. Comitem etiam obrussæ vel obryzæ postliminio ex numis, Dn. Reinesius Epist. 51. pag. m. 490. revocavit, nec non ex notis Val. Probi & Pet. Diaconi. Huic enim COM. OB. exprimitur, comitia obdurata. Probus autem, comitia obriaca, obchiaca. Quæ nihili sunt, & butabata Nævii. Legendum: Comitiva obrydiæ vel obryzæ. Quare collatis inter se auctorum locis propemodum labor, ut putem, obrussam, formâ adjectivâ vitiosè dici. Etsi Cujacium & plurimos viros doctos hæc dictio habeat auctores. Imò Cujacius obrussam pro solido obrussâ excocto, ad obrussam exacto, usurpat. *7. obs. 39.* Sed Imperatores nostri non solidos obryzos, vel obrussos, sed obryziacos, obryziatos, dicunt. Sed nihil definio: Aliter enim Græci. Ei verò quod in hac Constitutione de LXXII. solidis statuitur non adversatur, *Objicitur Symmachus.* quod Symmachus, sub iisdem Imperatoribus florens, *lib. 10. Epist. 28.* de quinque solidis & paterâ aureâ Principibus oblatâ habet.

Pancirollus putat, pateram fuisse unius libræ, eique superadditos quinos solidos. Idque ex verbis legis nostræ confici opinatur, cum dicitur: unam libram auri, nempe in patera, & *Amayæ solutio.* solidos obryzatos, scilicet quinos esse offerendos. Amaya, ut solvat

vat hunc nodum ad diversa tempora, quo Symmachus scripsit, & quo lex nostra data est, provocat: Fortassis sic componenda hæc sunt, si distinguemus inter Judices, & quoslibet alios. De illis Symmachus: Verba: *Suscipite à Judicibus aperta obsequia*. Per Judices intelligit Præfectum Urbi & reliquos provinciarum Præsides, quâ notione hoc ævo nihil est frequentius. Ad illos ergo magistratus nova Imperatorum lex non pertinuit. Falsum autem est, quod ait Amaya, Symmachum, ut Paganum ritu gentilitio pateram Impp. obtulisse, nomine populi Romani. Non enim populi, sed suo nomine offert. Et quod rogat, ut suscipiantur à Judicibus obsequia, inde non sequitur magistratuum nomine cum non nisi quinque solidos obtulisse: sed ait quinos offerri, à singulis scilicet magistratibus. Neque patera ad ritum gentilitium respicit. Cum enim singuli magistratus pateram offerant, quorum maxima pars hoc tempore Christianam religionem erat amplexa, nihil hic gentilitii ritus quærendum est. Sed fac Symmachum nomine omnium Judicum vel Senatûs etiam, ut quibusdam placet, obtulisse, quis credat tot Christianos uni Gentili cessisse, ut suo ritu offerret? Nihili etiam emendatio ejus est, dum pro, & solidis, reponi vult, ex solidis. Non enim libra exigebatur, quæ ex solidis constaret. Nam perinde habent Imp. sive libra auri infecti, sive signati offeratur. Porrò inanis est ejusdem Amayæ quæstio, quare Impp. summam illam solidorum taxaverint, cum non in obligatione sed in mera facultate offerentium consisteret. Falsum enim & hoc quod summa in merâ offerenrium voluntate sita fuerit. Solvebant enim ex voto, unde quis nescit obligationem proficisci, id est, necessitatem solvendi, *l. 2. pr. ff. de pollicit.* Quare cum summam vovendi taxare non possent Impp. voluerunt id definire, quod in ipsorum arbitrio erat, nempe quam summam vellent accipere. Quare si maximè quis, plus septuaginta solidis vovisset, voluere tamen hac lege Impp. eum necessitate voti solvere, dum plus ad se pertinere nolunt LXXII. solidis. Fecerat similiter jam antea Julianus Imp. qui septuaginta aureis pretiosiores coronas aureas sibi vetuit mitti. Liban. orat. funeb. in Julia. obit.

Nostra conciliatio.

Amaya refutatur.

Amayæ emendatio rejicitur.

Ejus sententia improbatur.

Nunc reliqua hujus constitutionis videamus: Non tantum

 pla-

Impp. cabent & in annos futuros. placet Impp. devotio pro præsenti: Sed volunt continuari eam sequentibus annis, & ut unius cujusque sedulitas talia inferat semper & deferant. Quibus? Principibus suis. Sic enim & in superiori colo: Vulgò, principalibus, quod & Haloander retinet. Quæ vox nescio an non restituenda. Dicuntur Principales, primi seu primores Curialium, Seniores aut Decani. *Principales, qui.* Vide *l. militaribus 42.* Cujac. *ad l. 33. C. de Decur.* Quod & Lucæ de Pennâ suboluit. Hoc ergo recepto, id volunt Imperatores nostri, ut unius cujusque, nempe Curialium, sedulitas Principalibus suis hæc semper vertente anno inferat, vel, ut in Theodosiano, ingerat, & Principalium sedulitas Principibus deferat. Nec dubito, quin hæc tota constitutio ad Curiales pertineat. De quarum iniquâ conditione alibi dicendi erit occasio. Hoc tantum addam, illos ad vota pro Principe facienda usque adeo fuisse devinctos etiam in Epistolis ad Principem, ut Rhodienses cum neglexissent, *νομιζόμενον*, ut *Dio lib. 57.* nempe *εὐχὰς ποιεῖν*, id tanquam insigne clementiæ exemplum in Tiberio observatum fuerit, quod illis indulsisset, indemnesque dimisisset.

CAPUT V.

De abrogatione hujus Constitutionis.

Diximus supra, non omnes Impp. eâ fuisse aventiâ (an habentiâ dicam?) ut strenas captarent. Sed & imprimis religio apud Christianos effecit, ut Kalendarum observationes & celebritates improbarentur. Tertullianus seculo tertio libro de idololatriâ Saturnalia & Kalendas Januarias damnat: *Saturnalia & Januariæ & Brumæ & Matronales frequentantur*, inquit, *munera commeant, strenæ consonant, lusus, convivia constrepunt. O melior fides nationum in suam sectam, quæ nullam solennitatem christianorum sibi vindicat.* Exstat sermo, quem Augustino tribuit Gratianus Decreti compilator *can. 17. caus. 27. q. 7.* de Kalendis Januariis. Ibi: *Non observetis dies, qui dicuntur Ægyptiaci, aut Kalendas Januarii, in quibus cantilenæ quædam & commessationes & adinvicem dona donantur, quasi in principio anni boni fati augurio, aut aliquos menses, aut tempora, aut dies, annos, aut lunæ solisque cursus*: & reliqua. Martinus Bracarensis

c. 74.

c. 74. Non licet iniquas observationes agere Kalendarum, & otiis vacare gentilibus, neque lauro aut viriditate arborum cingere domos. Omnis enim hac observatio paganismi est. Et Zacharias Papa anathemate eos ferit, qui Kalendas Januarias & Brumam ritu paganorûm colunt, aut mensas cum dapibus vel epulis in domibus præparant, & per vicos ac plateas cantiones & choros ducunt. Postea Patres concilii quinisexti in Trullo *can. 66.* Kalendas & vota & Brumalia, penitùs sublatas voluere. *Τὰς οὕτω λεγομένας καλάνδας, καὶ τὰ λεγόμενα βοτὰ καὶ τὰ καλούμενα βρουμάλια, καὶ τὴν ἐν τῇ πρώτῃ τοῦ μαρτίου μηνὸς ἡμέρᾳ ἐπιτελουμένην πανήγυριν καθόπαξ ἐκ τῆς τῶν πιστῶν πολιτείας περιαιρεθῆναι βουλόμεθα.* Vide ibi plura. Exstat inter sermones Maximi Taurinensis homilia inscripta: De Kalendis Januarii increpatio, quæ & Ambrosio tribuitur & totam hanc insaniam pluribus exaggerat. Confer Balsamonem *in can. LXI. LXII. & LXV.* & Montacutium *orig. Ecclesiast. parte priore à n. 135.* In concilio Antisiodorensi Anno Christi 613. vel ut Baronius Anno 595. aut secundum Sirmundum anno 578. factus est talis canon. *Non licet Kal. Januarii veculâ aut cervolo facere, vel strenas diabolicas observare, sed in ipsa die sic omnia beneficia tribuantur, sicut & reliquis diebus.* Ubi quid vecula, quid cervolo monstri sit, eruditi quærunt. Sunt, qui legunt, *cericola, vericola*, quos inter Marcellus Donatus elucidationibus in Svetonium *cap. 86.* Ubi rem ita exponit, ac si strenæ mitti solitæ fuerint cum voto ad singulare aliquod numen, verbi gratiâ ad Cererem, pro felici frugum proventu, vel ad Venerem, ad suscipiendos feliciter liberos, inde strenas illas, cericolas, quasi Cerericolas, has Vericolas, quasi Venericolas appellatas. In Caranzæ epitoma conciliorum legitur: *Vecolo aut Cervolo*, Biniana editio: *Vecolâ aut cervolo.* Martinus del Rio *disquis. Mag. lib. 3. part. post qu. 4. sect. 5.* conjicit, *vitulo seu buculo, aut cervolo.* Sirmondus, *vetula, aut cervolo.* Quam lectionem confirmat è sermone, qui apud Augustinum *tom. 9. tract. 20.* habetur, & ex MSctis Eligio, Episcopo Noviomensi adscribitur: Ibi: *Nemo in Kalendis Januarii nefanda & ridiculosa*, vetulas aut cervolos aut jacticos *faciat.* Adducit insuper Sirmondus ex pœnitentiali veteri in Codice Andegavensi hæc verba: Si quis in Kalendis Januariis in *cervulo aut vetula* vadet, tribus an-

nis pœniteat, quia hoc dæmonum est. Quæ lectio vera, certè veræ proxima est. Vetula enim dicebant tum temporis pro *vitula* : Prohibebant ergo, ne Christianus Kalendis Januariis corio vituli aut cervuli hirsuto tectus incedat. Confer Vossium *de vit. serm. l. 3. c. 4.* Jocticum autem esse corium pilis abrasis præparatum, nostratum Juchten/opinor. Nihil enim de isto definio, & amplius cogitabo. Imò propius est, ut conjecturam hanc damnem. Ex qui bus apparet solitos fuisse Christianos hisce Kalendis multa superstitiosa & partim idololatrica sibi permittere, quod utinã & nostrâ ætate intermitteretur, ne anticipato ausu in ipsis vigiliis Nativitatis Christi perpetrarentur. Jam olim Burchardus in pœnitentiali *l. 19.* in ejusmodi impios invehitur. *Observasti*, ait, *Kalendas Januarias ritu paganorum, ut vel aliquid plus faceres propter novum annum, quam antea, vel post soleres facere.* Ita dico, *ut vel mensam tuam cum lapidibus*, (lautitiis, vult Delrio) *vel epulis in domo tua prapares eo tempore, aut per vicos & plateas cantores & choros duceres, aut circa tectum domus tua sederes ense tuo circumsignatus, ut ibi videres & intelligeres, quid tibi in sequenti anno futurum esset, vel in bivio sedisti super taurinam, ut & ibi futura tibi intelligeres, vel si panes pradictâ nocte coquere fecisti tuo nomine, ut si benè elevarentur & spissi & alti fierent, inde prosperitatem vita tua eo anno provideres.*

Et hæ fortè fuerunt causæ, quo minus lex nostra ætatem benè ferre potuit. Nam Curialibus hæc strenarum oblatio fuit remissa, constitutione Leonis & Majoriani, *tit. 1. de Curialibus ad Basilium Praf. P.* quem alium esse oportuit, atque ad quem rescripsere Impp. nostri. Verba constitutionis sunt : *Strenarum, Kalendarum ac pulveratici nomine à Curialibus nihil petatur. Si quis horum aliquid poposcerit, aut etiam offerentem interdicta susceperit, singulas auri libras per singulas Curiales à se noverint exigendas.* Pulveraticum, docente Cujacio, *lib. 4. observ. 18.* non solùm id erat, quod quasi pro labore & pulvere agri mensoribus dabatur. Hac notione enim exstat in quadam Theodosii & Valentiniani constitutione apud Frontinum: Sed etiam de ejusmodi exactione, quæ à Præsidibus, singulas provinciæ civitates obeuntibus, exigebatur, ut in hac Novella, & apud Cassiodorum *lib. 12.* accipitur.

Sed hac hactenus.

Index Legum explicatarum, conciliatarum & emendatarum.

Monendus B.L. ex incuria in diſſertatione II. de centum Lapidibus bis eſſe rubricatum *§.1.* §.*1.* & in fine bis *§.ult.* §.*ult.* cùm tamen nigrum illud ſub priori *§.1.* non ſit §.1. ſed principium legis 1. & nigrum ſub poſteriori *§.ult.* poſitum, ſit lex ultima. Quod in evolutione hujus indicis maximè erit attendendum. Ceterùm prima litera *d.* notabit diſſertationem, altera *c.* vel *Rubr.* vel *Princ.* vel *§.* vel *L.* vel *th.* caput, Rubricam, Principium, Paragraphum, Legem vel theſin, tertia *n.* demum numerum indigitat.

Ex Inſtitutis.

Ex Digeſtis.

Ex Codice Juſtiniano.

Ex Codice Theodoſiano.

Ex Novellis.

Ex Jure Canonico.

B

C. Cæ-

C

E

M

No-

Poë-

S

qualis

dies

Ve-

W

Z

Err

Errata, quæ fugitivos etiam oculos detinuere, ita reſtituantur.

d. 1. c. 4. n. 3. lin. 2. pro *maritorum* lege *maritimorum*.
c.6.n.7.lin.1.pro *portu* lege *portus*.
c.7.n.1.lin.6. pro *dominio* lege *domino*.
c.9.n.3.lin.7. pro *Moſ*.lege *Noſ*.
d. 2.ad princ.n.1.lin.20.pro *reatus* lege *creatus*.
ad §.10.n.10.lin.5.pro *libertum* lege *patronum*.
ad §.12.n.4.lin.8.pro *ſolit* lege *ſolitus*.
ad L.ult.n.5.lin.3.pro *penult*.lege *ult*.
d. 3. th.3. lin.20.pro *quidem* lege *quidam*.
th. 51. in margine pro Beſkgw lege Beſkaw.

d.4.c.1.n.7.lin.15. pro *ſatis lege fatis*.
lin.22.pro *agunt* lege *ajunt*.
d. 5.c.1.n.1.in fin.pro *qui cùm* lege *quo cùm*.
n.2. lin.15.pro *verè* lege *ferè*.
n.5. lin.27.pro *inſtitutio* lege *inſtituto*.
lin.43.pro & lege *ut*.
lin.53. pro *oſtendere* lege *oſtendi*.
d.6.c.4.n.6.lin.10.pro *illuſtres* lege *inter illuſtres*.
d.7. c.3. lin. 48. pro *Reipublica* lege *Republicá*.





